Samuelis Pufendorf

ELEMENTORUM Jurisprudentiæ UNIVERSALIS Libri II.

Unà cum

APPENDICE DE SPHÆRA MORALI,

& Indicibus.

Editio Noviſſima & Emendatiſſima.

CANTABRIGIÆ,
Ex Officina *Joann. Hayes*, Celeberrimæ Academiæ Typographi. 1672.
Impensis *Joann. Creed*, Bibliopolæ *Cantab.*

MVSEVM
BRITAN
NICVM
3 A k

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
CAROLO LUDOVICO
COMITI PALATINO AD
RHENUM, SACRI ROMA-
NI IMPERII ARCHITHE-
SAURARIO ET PRINCI-
PI ELECTORI, DUCI BA-
VARIÆ, &c. DOMINO ME-
O CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR, DOMINE CLEMENTISSIME,

AUdax sane facinus hic liber aggreditur, qui nulla genii sui fiducia ad tantum Principem viam adfectat, & ultrò oculos istos in se convertere non veretur, ad quorum fulgorem non possunt non rubore suffundi, qui suæ se tenuitatis conscientia metiuntur. Et poterat quibusdam modestius videri, minus augustum nomen tantillo operi præscribere, ni constaret, sublimes istas mentes eo blandius multis allu-

bescere, quod simplicius eosdem ipsarum æstimatores humanitatem perspiciunt. Facit nobilitata Tua in literas, earumq; cultores benevolentia, SERENISSIME PRINCEPS, ut vel conatum duntaxat aliquem circa easdem præ se tulisse, commendationis instar apud Te habere credamus, & cum magnitudinem Tuam religiosa veneratione prosequamur, eandē tamē exigua isthæc donaria in sui diminutionem accepturam nulli metuamus. Scilicet fastigii Tui splendorem auges potius, quam delibas, quod ad ista mediocrium hominum studia aliquando Te demittis, nec eo minus nobilitas sua Soli illibata persistit, qui depressis quoq; terrarum locis suæ usuram indulgere non dedignatur. Qualem alii operose effigiant magni Principis imaginem, eam in Te felicissime expressam cominus contemplari licet. Demissum per tot Heroës sanguinem, & à summa proximam dignitatem, quæq; alia in unicam laudum materiā apud illos exposita sunt, quos cæca velut fata istuc loci protrusisse videntur, in Te recte pro alienis ducere possumus, propriis circumfluente opibus. Ultro Majoribus

bus Tuis quod imputes, habes, qui per Te non ſui tantum ſeculi decora fuere: & uſq; adeo facile eſt Tibi apud ſortunam nomen Tuum diſpungere, ut ipſa in ære Tuo ſit futura, ſiquidem pro cujuſq; meritis bona ſua diſpenſare cordi ipſi ſoret. Ex Te ipſo Tua Tibi ſurgit gloria. Animus ſublimis, erectus, ipſi ſortunæ merendus, perſpicax præterea, divini humaníq; juris intelligentiſſimus, & qui, ſi quiſquam alius, per ſe Principis menſuram impleat. Hic eſt, quem præprimis in Te ſeculum admiratur, & inter ornamenta ſua ambitioſe oſtentat. Idem tamen ubi Principis ſatisfecit muneri, ad amœna quoq; ſtudiorum divertitur, & vigorem iſtum per omne genus Sapientiæ feliciſſime circumfert. Non poteras ſanctiore voluptate negotium Tuum diſtinguere, nec aliter tam nobilis animi otioſæ horæ collocari debebant. Invenis heic, quam ſincera veneratione Tui ſimilium memoria colatur ab illis, queis nullus amplius ex adulatione fructus: & dum mutos illos audis videſque, alienis opus habere auribus oculíſq; deſinis, quibus diſtorte ſæpenumero Principibus

res repræsentantur. Sed & ut apud Tuos ista floreant studia, non minus præsidio quam exemplo efficis. Quassa Sapientiæ delubra liberalissime instauras, & ne ad eorum splendorem aliquid desit, præsentiam quoq; Tuam iis indulgere tuo fastigio non inferius judicas. Addis animum tanto honore timidis Musis, nec fortuna ipsis sua displicere amplius potest, postquam tanti Patroni favor tam familiariter istis sese dispensat. Mihi quoq; inusitata isthæc humanitas persuasit, ut in Tuam magnitudinem me non peccaturum autumarim, si hoc libelli qua decet veneratione Tibi offerre auderem. In quo cum principia omnis juris pro modulo ingenii explicare sim conatus, vel ipso argumento molliorem eidem apud Te aditum auguror, quo fidentius Themis intimam Principum admissionem suo sibi jure solicitat.

SERENITATIS TUÆ

Lugduni Batavorum Kal Sept. An. cIↃ IↃ cLV.

devotissimus

SAMUEL PUFENDORF.

PRÆFATIO.

Scientiam juris & æqui, quæ non unius civitatis legibus absolvitur, sed quæ quorumvis hominum erga se invicem officia regunt, pro eo ac ipsius necessitas & dignitas postulabat, non usq; adeo excultam hactenus dedere, qui universa studium sapientiæ ipso nomine venditarunt. Inter ejus rei præcipuas causas & hæc videtur fuisse, quod communis hactenus eruditis sederit persuasio, firmam atq; fallere nescian certitudinem rebus moralibus per naturam suam deesse, & quæcunque circa easdem cognoscantur, probabili duntaxat opinione constare. Unde factum, ut suspenso fere brachio excolerent, quæ tam lubrico inniti fundamento credebant; & plausibilis heic negligentibus excusatio suppetebat, certos demonstrationibus ista haudquaquam contineri, sed crassa duntaxat Minerva posse tractari. Quam quidem excusationem adhi-

bere eo minus vulgo pudor fuit, quod ipse Aristoteles, qui, nescio quo velut fatali favore, humani fastigium ingenii plerisq; hactenus superare visus fuit, eandem tanquam superbum emblema, frontispicio operis sui moralis præfixisset. Enimvero præterquam quod prorsus absurdum videtur, hominibus certam negari scientiam circa ea, quæ opere exprimenda per auctoritatem Creatoris ipsis fuere injuncta, cum tamen firmiter atq; perspicue liceat cognoscere, quæ impune ignorantur, totum isthunc errorem hactenus tam pertinaciter aluit prava trium solummodo aut quatuor verborum ex Aristotele interpretatio, quæ ubi genuino sui sensui restituerus, etiam per Stagirensia decreta Furi inter scientias, quas vocant, demonstrativas nomen suum profiteri licebit. Nam quæ ipse dixerat de demonstratione, ex qua vera ac firma scientia resultat, ea hoc modo fuere explicata, ut illi inter moralia locus negaretur, ideo quod hæc essent entia contingentia à causis liberis producta. Sed revera isthic loci subjectum demonstrationis notat effatum seu propositionem, (nequaquã autem subjectum in propositione demon-

stra-

ſtrativa, prædicato contradiſtinctum,) qua demonſtranda eſt, i. e. in qua neceſſaria prædicati cum ſubjecta connexio oſtendenda eſt per principium aliquod ſeu effatum generalius, quod rationem iſtius connexionis contineat. Unde ad demonſtrationem ſufficit, ſi res vel actio aliqua habeat attributum, cujus cum ſubjecto neceſſariam connexionem ex axiomate aliquo indubio mediate aut immediate demonſtrare liceat, ſive ipſa actio vel res à neceſſariis cauſis dependeat ſive non. Adeóq; quemadmodum ridiculum foret, ſi quis in diſciplina aliqua demonſtrare velit, v.g. Sejum heic & nunc furari, Titium latrocinari, ita nemo cordatus negare auſit, quin, ubi ponamus Sejum furari, Titium latrocinari, poſſit demonſtrari, eoſdem in legem naturæ peccare, ſaltem ut quia ea de re non minus certus ſit, ac de eo, quod in diſciplinis, omnium confeſſione ſcientiarum certitudine gaudentibus, ad nauſeam inculcatur, hominem eſſe riſibilem, quia eſt rationalis, & paſſerem eſſe unum, verum, bonum, quia eſt ens. Quæ omnia non ita pridem peculiari libro perſpicue admodum & ſolide aſtedit V. C. L. Dn. Erhardus Weigelius,

gelius, *in Academia Ienensi Mathematum Professor, amicus meus honorandus. Qui idem primus me hortatus est, ut in isto genere quid conarer, & cujus ingenium in nonnullis facem mihi utilissime praetulit. Eum porro laborem eo cupidius suscepi, quod & peculiari adfectu in istud studiorum genus propenderem, ac operæ pretium videretur indicasse, quæ circa isthanc materiam traduntur, haudquaquam omnia vacillantibus opinionibus constare, sed liquido satis ex certis primisq; principiis fluere. Cæterum quod ad methodum libri attinet, ipsa equidem ratio satis ostendit, tradituro disciplinam aliquam initio explicandum esse, quidnam intelligatur per illas res, de quibus est acturus; deinde circumspicienda certa principia, ex quibus effata necessario vera circa easdem res deducantur. Unde quævis disciplina tribus absolvi debet partibus, quarum una Definitiones, altera Principia, & tertia Propositiones seu Conclusiones ex principiis derivatas complectatur; quibus si opus videatur, quarta addenda, in quam conjiciantur, quorum certitudo liquido non adparet. Quæ enim de differentia methodi*

syn-

synthetica & analytica vulgo feruntur, inania sunt. Verum nobis visum fuit Propositionibus peculiarem librum non attribuere; sed quamq; earum statim definitionibus aut principiis, ex quibus præcipue dependebat, subnectere; cum nescio quæ ariditas isthanc disciplinam deformatura videatur, si in minutas velut discerpta partes ad instar scientiarum mathematicarum proponatur. Sed & illud heic monendum fuit, multa nos desumpsisse ex mirando illo opere de Jure belli & pacis Viri Incomparabilis Hugonis Grotii. *Qui cum partem duntaxat jurisprudentiæ universalis tractare visus sit, ita tamen plerasque ejus partes attigit, ut nihil fere in hoc genere scribi possit, quin iste tanquam autor aut testis occurrat. Nec parum debere nos profitemur* Thomæ Hobbes, *cujus hypothesis in libro de Cive etsi quid profani sapiat; pleraque tamen cætera satis arguta ac sana. Quos heic velut in universum allegasse voluimus; in ipso autem opere, quoties eorundem expressa fuit sententia, ipsos nominare supersedimus, quia præter tædia crebræ citationis, rationes eorum potius quam autoritatem*

tem secuti sumus. Nam quando ab iisdem atque aliis veritatis studium dissentire nos subegit, nomina eorum ideo dissimulavimus, ne magnorum virorum naevos vellicando gloriolam captare velle videremur. Et stultum semper judicavimus, cum ipse te hominem noris ab erroribus haudquidquam immunem, aspera in alios censura reliquos ad paria tibi reponenda irritare. Cujus modestiae eo certiorem nobis apud cordatos favorem pollicemur, quo frequentius inter humanitatis studia professos est, alios non sine verborum contumelia inhumane insectari.

INDEX

INDEX DEFINITIONUM, AXIOMATUM ET OBSERVATIONUM.

Def. 1.

ACtiones humanæ dicuntur actiones hominis voluntariæ in vita communi cum imputatione suorum effectuum spectatæ. p. 1

Def. 2.

Objectum actionum moralium dicitur omne id circa quod illæ versantur. p. 5

Def. 3.

Status est ens suppositivum morale, in quo objecta moralia positiva, & potissimum personæ dicuntur esse. p. 7

Def. 4.

Persona moralis est persona spectata cum statu suo, quem habet in vita communi. p. 19

Def. 5.

Res moralis est res spectata cum respectu pertinentiæ ad personas. p. 23

Def. 6.

Titulus est attributum morale, quo designantur discrimina personarum in vita communi secundum existimationem ac statum. p. 61

Def. 7.

Potestas est potentia moralis activa, qua persona aliqua legitime & cum effectu morali potest edere actionem voluntariam. p. 62

Def.

Def. 8.

Jus est potentia moralis activa, personæ competens ad aliquid ab altero necessario habendum. p. 66

Def. 9.

Existimatio est valor personarum in vita communi, secundum quam aptæ sunt cum aliis personis exæquari aut comparari, eisq; vel antehaberi, vel postponi. p. 69

Def. 10.

Pretium est quantitas moralis seu valor mercium aut rerum, & actionum homini bonarum vita communi, secundum quod aptæ sunt invicem comparari. p. 72

Def. 11.

Principia actionis humanæ sunt à quibus oritur & dependet, quibusq; perficitur actio humana. p. 76

Def. 12.

Obligatio est qualitas moralis operativa, qua quis præstare aut admittere vel pati tenetur aliquid. p. 80

Def. 13.

Lex est decretum, quo superior sibi subjectum obligat, ut ad istius præscriptum actiones suas dirigat. p. 168

Def. 14.

Potestas est potentia moralis activa, qua persona aliqua legitime & cum effectu morali directo potest edere actionem. p. 194

Def. 15.

Affectiones actionis voluntariæ sunt modi, quibus illa certa ratione denominatur aut determinatur. p. 197

Def. 16.

Actio bona est, quæ cum lege congruit; Mala, quæ ab eadem discrepat. p. 199

Def.

Def. 17.

Actio justa est, quæ ex progressi recte adplicatur ad personam, cui illa debetur. p. 203

Def. 18.

Quantitas actionum moralium est modus æstimativus, quo illæ dicuntur quantæ. p. 210

Def. 19.

Effectus actionis moralis dicitur id, quod ab ea producitur. p. 230

Def. 20.

Meritum est qualitas moralis æstimativa in hominem ex actione indebita resultans, secundum quam illi debetur bonum æquipollens ab eo, in cujus gratiam ista actio fuit suscepta. p. 235

Def. 21.

Demeritum est qualitas moralis æstimativa, ex actione mala in hominem resultans, qua tenetur pensare damnum alteri ista datum. p. 233

Axiom. 1.

Quælibet actio ad normam moralem dirigibilis, quam penes aliquem est fieri vel non fieri, potest ipsi imputari. *Et contra*: Id quod neqsin se neqsin sua causa penes aliquem fuit, non potest ipsi imputari, (*scilicet ex debito, bene tamen ex gratia imputantis, si fuerit bonum aliquod.*) p. 243

Axiom. 2.

Quilibet potest sibi subjecto efficaciter, seu cum obligatione præstandi injungere ea, ad quæ sua in ipsum potestas sese extendit. p. 254

Observa.

Observ. 1.

Homo de rebus adprehensis vi intellectus recte judicare potest. p. 257

Observ. 2.

Homo ex principio interno potest se movere ad actionem aliquam suscipiendam vel omittendam. p. 265

Observ. 3.

Homo per naturam destinatus est ad agendam vitam socialem cum hominibus. p. 273

Observ. 4.

Homini ita curam sui agendam recta ratio dictitat, ut ne societas humana turbetur. p. 280

Observ. 5.

Ad vitam hominis socialem servandam non sola lex naturæ immediate sufficit, sed, ut in particularibus societatibus imperia quoque constituantur, necessum est. p. 322

Appendix ad *Def.* 18. in qua explicatur Sphæra Moralis. p. 226

SAMU-

SAMUELIS PUFENDORF

ELEMENTORUM JURISPRUDENTIÆ UNIVERSALIS

Liber Primus.

Definitio I.

Actiones humanæ dicuntur actiones hominis voluntariæ in vita communi cum imputatione suorum effectuum spectatæ.

I. *Actionis voluntariæ, quæ & moralis.*
II. *Materiale.*
III. *Fundamentale.*
IV. *Formale.*
V. *Quod est ens positivum.*
VI. *Actionum divisio.*
VII. *Actio naturalis.*
VIII. *Oeconomia libri primi.*

§. 1. Vocamus actiones voluntarias illas actiones in hominis facultate positas, quæ a voluntate velut à causa libera dependent ità, ut citra ipsius determinationem, ab actibus ejusdem elicitis prævia cognitione intellectus prosectam, non fierent; & quidem prout illæ spectantur non in suis naturalibus, sed quatenus à voluntatis decreto fiunt. Actio quippe voluntaria duo involvit; unum

est quasi materiale, quod est exercitium in se spectatum; alterum quasi formale, quod est dependentia exercitii à decreto voluntatis, & ratio velut progretica, qua actio ut à voluntate decreta concipitur. Ipsum exercitium seorsim & in se spectatum, distinctionis gratia, actio voluntatis potius, aut à voluntate proveniens, quam voluntaria dicitur. Enimverò actio voluntatis ulterius consideratur vel in se & absolute, prout est motus aliquis Physicus, prævio voluntatis decreto susceptus; vel reflexive, quatenus effectus ejus homini imputatur. Quam reflexionem complexæ actiones voluntariæ speciali vocis usu dicuntur *humanæ*. Et quoniam imputatio potissimum respicit inclinationes animorum & vitæ consuetudines, quæ *morum* appellatione proprie veniunt, factum inde est, ut ipsæ actiones humanæ synecdochica ratione *morales* sint appellatæ.

§ 2. Actionis igitur humanæ seu moralis essentia in hisce tribus consistit, quorum unum est quasi materiale, alterum fundamentale, tertium formale. Materiale est motus aliquis physicus potentiæ physicæ, puta locomotivæ, appetitus sensitivi, sensuum exteriorum & interiorum, & intellectus quoad exercitium adprehensionis, (nam judicium ex qualitate objecti ita necessario dependet, ut circa istud voluntatis directioni non sit locus;) immo etiam ipsius voluntatis actus, in esse suo naturali consideratus, i.e. prout præcise spectatur ut effectus aliquis per potentiam à natura inditam, quà talem productus. Nec non privatio motus alicujus physici, quem motum homo vel in se, vel in sua causa producere potuerat. Item inclinationes potentiarum naturalium in certa objecta, productæ per antegressas actiones voluntarias. Ut & actus illi seu solennitates, certis ceremoniis humana voluntate introductis constantes, quels ex mero hominum arbitrio effectus aliquis moralis signatur. Neque tantum actiones meæ, tali modo sese habentes, possunt esse materiale actionum mearum moralium; sed etiam

tiam hujusmodi actiones, actionúmque privationes aliorum hominum, quæ à voluntate mea possunt dirigi. Immo & actiones brutorum, vegetabilium & rerum inanimatarum, quæ sunt capaces directionis à voluntate mea procedentis. Sic in ipsa lege divina Domino imputatur damnum à bove cornipeta datum, quem talem ipse norat. Sic ipse vinitor tenetur, quando per illius negligentiam vitis omnem fœcunditatem in sarmenta effuderit. Et ignis voracitatem luit, qui suppositus. Etsi circa istháec omnia, ut aliorum actiones pro nostris censeri queant, necesse est apud nos aut actionis alicujus debitæ intermissionem, aut actionem quampiam, absque qua altera contingere non poterat, interveniſſe. Quin & materiale actionum moralium possunt esse admissiones seu receptiones actionum alterius; quæ quidem in esse suo naturali consideratæ passiones sunt; accedente tamen imputativitate, quæ ex eo oritur, quod prohiberi seu arceri potuerint, pro actionibus censentur.

§. 3. Fundamentale actionis moralis est ratio proxretica, qua motus ille physicus ut à decreto voluntatis productus intelligitur. Quæ quidem ratio proxretica præsupponit aut includit facultatem hominis, in qua positum sit, illos motus produci vel intermitti.

§. 4. Formale actionis moralis consistit in imputatione seu potius in imputativitate, qua effectus actionis voluntariæ agenti potest imputari, sive ipsum agens effectum physice produxerit, sive per alios eum produci fecerit. A qua quidem actionis formalitate ipsum etiam agens moralitatis denominationem participat, & *causa moralis* appellatur. Unde facile intelligitur, causæ moralis proprie ac stricte loquendo formalem rationem in imputatione, sed terminaliter spectata, consistere, eámque nihil aliud esse, quam agens voluntarium, cui effectus imputatur aut imputandus est, eo quod effectum ut fieret sive ex toto sive ex parte causaverit (significantius Germanice **verursachet**;) ejúsque autor exti-

terit; atque inde, si quid boni fuerit; ipsi acceptum sit ferendum, si quid mali, eidem adscribendum, ipsumq; adeo agens pro effectu quasi stare, déque eo respondere teneatur.

§. 5. Cæterum formale actionis humanæ, i.e. imputativitas formæ positivæ rationem habet, ex qua radicaliter affectiones illæ, proprietates & consecutiva, de quibus heic est agendum, resultant. Unde moralis actio ens positivum (in genere moralium non naturalium) dici potest, sive materiale sit motus physicus, sive privatio talis motus. Ad esse enim entium positivorum in genere moralium sufficit, si ponant aliquid, ex quo veræ affectiones resultent in eodem genere; cum, ut non entis nullæ sunt affectiones; ita cui certæ ac positivæ competunt affectiones, non ens simpliciter dici haudquaquam possit. Quæ sint illæ affectiones, infra declarabitur.

§. 6. Distinguuntur autem heic actiones morales potissimum. 1. Ratione causæ in *immediatas*, quas quis ipse per se produxit; & *mediatas*, quas per alium produci fecit. 2. Ratione ipsius actus in *puras* & *mixtas*. Puræ sunt, quæ motu quodam alicujus potentiæ certa ratione ad objectum adplicato absolvuntur. Uti sunt, agnitio DEI, ejúsque celebratio, exhibitio honoris ac venerationis, obsequium, dilectio, aversatio, consolatio, laudatio, vituperatio, &c. quorum effectus consistit in eo, quod objectum ex actione certo modo afficiatur aut affectum intelligatur ad complacentiam aut displicentiam. Aliæ vero sunt quasi mixtæ, quæ commodi quid aut incommodi realis alicujus personæ aut rebus adferunt, quales sunt v.g. donatio, commodatio furtum, cædes, &c. quarum effectus potissimum consistit in aliquo opere realiter alterius personam aut res juvante vel lædente. 3. Ratione objecti varie de quibus infra.

§. 7. Moralibus actionibus contradistinguuntur *actiones naturales*, seu actiones quarumcunque potentiarum, quatenus

quatenus considerantur in esse suo naturali, tanquam motus producti à potentiis, quæ per naturam insunt citra respectum tum ad decretum voluntatis, tum ad imputativitatem, adeóque præciso moralitatis tum fundamento tum ratione formali. Et tales sunt actiones non tantum potentiarum necessariarum, quæ positis omnibus ad agendum requisitis non possunt non agere; verum etiam liberarum, quæ positis omnibus ad agendum requisitis possunt agere vel non agere, siquidem considerentur modo jam dicto. Inter quas tamen hoc discrimini est, quod illæ in se & immediate non sunt capaces fundamenti moralitatis, hæ vero sunt.

§. 8. Possunt autem actiones morales considerari vel in genere vel in specie. In genere secundum, 1. *Objectum.* 2. *Principia.* 3. *Affectiones.* 4. *Effectus.*

Definitio II.

Objectum actionum moralium dicitur omne id, circa quod illæ versantur.

I. *Objecti moralitas ex Impositione.* | II. *Divisio.*

§. 1. PArticipat inde moralitatis denominationem ipsum hoc objectum, atque sub hoc respectu consideratum ipsum quoque morale dicitur. De quo in genere notandum, quod ipsius moralitas dependeat ex *impositione*, i. e. ex determinatione agentium liberorum qua talium, quæ vel ex mero arbitrio, vel ex aliqua congruentia naturæ rei cum imposita moralitate, inita quoque mutua conventione, tacita vel expressa, rebus ac personis, moralitatem imposuerunt, utque ea certi effectus sequerentur constituere. Id quod etiam ad morali-

ralitatem ipſarum actionum adplicari poteſt. Ubi tamen hoc probe notandum quod, quando actioni alicui naturaliter moralitas ineſſe dicitur, non hoc ita ſit intelligendum, quaſi moralitas ex principiis phyſicis rei, aut ipſa natura actionis in ſe reſultet; ſed quod ea non ex arbitraria hominum impoſitione originem ducat, verum ex diſpoſitione ipſius DEI, qui hominis naturam ita formavit ut certæ actiones ipſi neceſſario congruerent vel non congruerent. At vero, ut hac & non alia ratione hominem formaret, in mero ipſius arbitrio ſitum fuit. Quod ſi actionum, quæ naturaliter honeſtæ aut turpes audiunt, moralitas ex ipſarum natura in ſe oriretur, ac non ex arbitrio Creatoris, ad quod tamen natura creaturæ rationalis fuit attemperata, nulla poſſet ratio reddi, cur certi actus hominibus morales ſint, qui brutis tales non ſunt. Sic etiam, qui ſtatus hominis dicitur naturalis, revera eſt ex impoſitione, non tamen arbitraria hominum, ſed ipſius Creatoris, ad eum homines in ipſa creatione deſtinantis.

§. 2. Eſt autem actionum moralium objectum aliud *ſuppoſitivum*, aliud *poſitivum* ſaltem moraliter. Illud vocatur *ſtatus*; hoc communiter in *Perſonas* & *Res* dividitur.

DEFINITIO III.

Status est ens suppositivum morale, in quo objecta moralia positiva, & potissimum personæ dicuntur esse.

I. *Status analogia cum spatio.*
II. *Status ubicativus naturalis.*
III. *Quando incipiat.*
IV. *An possit jus irrevocabile quæri ei, qui nondum est in rerum natura?*
V. *Pax.*
VI. *Bellum.*
VII. *Libertas, servitus.*
VIII. *Status adventitii particulares.*
IX. *Status ex loco.*
X. *Admonitio circa vocabula statuum.*
XI. *Obligationes veræ status generis comitantes ex diversis principiis possint derivari.*
XII. *Status quandicativus.*

§. 1. STatus dicitur ens suppositivum, quia rebus moralibus positivis velut substernitur, ut in eo suam, quam habent, moralem existentiam quasi ponant, & actiones suas atque effectus exserant. tque ita analogiam quandam habet cum spatio, quod itidem rebus naturalibus velut supponitur, ut in eo suam, quam habent, naturalem existentiam ponant, & motus suos physicos exerceant. Quanquam in eo differat à spatio, quod hoc sit quoddam substantiæ genus, immobile & extensum primo ac per se, quod etiam remotis ipsis rebus naturalibus existat: status vero, (ut & omnes res morales formaliter consideratæ, & qua tales,) qualitatis & attributi duntaxat rationem obtineat, ita ut remotis rebus physicis existentiam suam tueri nequaquam possit.

§. 2. Dividi autem potest status ad analogiam spatii in *Ubicativum* & *Quandicativum*. Ille est, qui involvit respectum ad aliquod ubi morale, ac considerari potest vel *indeterminate* vel *determinate*. Indeterminate consi-

ſideratus eſt vel *Naturalis* vel *Adventitius*. Naturalem hominis ſtatum, cum peculiari vocabulo careat, tantiſper vocabimus Humanitatem, ſeu vitam humanam, quæ eſt illa conditio, in qua quilibet homo, eo ipſo quod homo eſt, conſtituitur. Eáque involvit obligationem ſervandi legem naturæ tum adverſus ſeipſum, tum adverſus alios homines, atque cum illis ſocialiter vivendi; uti etiam jus abs quovis homine fruendi officia ex jure naturæ debita, ac cætera uſurpandi privilegia, quæ univerſim humanam comitantur vitam; ut & capacitatem peculiaria ſibi inter homines jura adquirendi. Cui contrariatur ſtatus ſeu vita brutorum, quæ nullo invicem juris vinculo nexa ſunt, ita ut citra injuriam, quæcunque potuerint aut voluerint, etiam per vim ſibi mutuo inferant.

§. 3. Iſta igitur, quam diximus, obligatio, ut & jura, cum ſtatum hominis naturalem comitentur, non incongrue hoc loco inquiritur in terminos hujus ſtatus, quando ſcilicet is initium ac finem capiat. Illud recte videtur ſtatui quando aliquis vere homo dici poteſt, etiamſi adhuc deſint illæ perfectiones, quæ non niſi poſt aliquem temporis tractum hominem ſequuntur; adeóque quando vivere & ſentire incipit, etſi nondum viſceribus maternis ſit egreſſus. Obligatio porro cum ad ſui impletionem requirat intellectum ſui & ejus, quod agitur, non niſi tunc efficaciam ſuam exſerit, quando homo actiones ſuas ad normam aliquam conferre, & eas inter ſe diſcernere novit. Jura vero, quæ in aliis, rationis uſu jam gaudentibus obligationem aliquid præſtandi inferunt, & prodeſſe poſſunt etiam ignorantibus quid geratur, ſtatim atque homo quis eſſe incipit, vim ſuam proferunt. Unde ſine dubio injuriam facit, qui aliquid teſtamento relictum, aut alio titulo tributum eripit illi, qui adhuc in utero eſt, etiamſi fors intra primos conceptionis dies jus iſtud illi accreverit; adeóque poſt adultus recte illud vindicare poterit. Ac ſufficit tunc ipſum

sum testari, invito id sibi illatum, quando per ætatem commode id significare potest; præsertim cum ejus dissensio semper debuerit præsumi. Quemadmodum injuriam mihi statim intulit, qui rem meam absente me abstulit aut corrupit, licet ego post intervallum demum reversus de damno resciscam. Injuria autem corpori infantis inferri nequit, nisi jam corpus actu habuerit, aut materiam ita dispositam, ut ea læsa formando inde corpori noxa oriatur. Unde si quis matrem injuste violaverit, ita ut infans debilis aliquo membro inde nascatur, putamus hunc adultum isti injuriarum actionem posse intendere, nisi is ignorantiam efficacem probare possit. At vero cum informe semen intra primos conceptionis dies neque homo neque corpus humanum proprie dici queat, arbitramur, si quis efficiat, ut istud corrumparur atque elidatur, in semen illud injurium dici non posse: etsi revera in legem naturæ peccet, societati humanæ membrum intercipiendo; & injuriam faciat civitati, quam cive, parentibúsque, quos prole sperata spoliat.

§. 4 Ulterius vero quæritur, an etiam alicui, antequam omnino in rerum natura extiterit, jus adquiri possit per alium, cum hoc effectu, ut si ab aliquo alienetur, aut quocunque modo intervertatur, deinceps natus quasi de injuria sibi illata queri, & restitutionem in integrum postulare queat? Nos sepositis fictionibus juris civilis, per quas in quibusdam casibus eorum, qui nondum sunt, personam lex sustinet, arbitramur, non posse illi, qui nondum est, jus aliquod quæri, nisi mediate per alium jam existentem, per quem istud in deinceps nasciturum derivetur; ita tamen, ut jus illud effectum non habeat in ordine ad nasciturum, nisi postquam ipse natus est. Idque contingit, quando aliquid alicui adquiritur vel traditur, cum hoc habendi modo obtinendum, ut illud ad successores quoque suos demittat. Ubi tamen discrimen aliquod deprehenditur. Quædam enim ita conferuntur in alterum, ut conferentis nihil interfit,

utrum

utrum ad posteros alterius res ista perveniat, an non; etsi quantum ad ipsum, facultatem habeat is, cui quid conferatur, id ad posteros transmittendi. Quædam autem ita conferuntur, ut conferens in modum habendi à se determinatum jus sibi aliquod retineat, ita ut iste citra ipsius consensum mutari nequeat. Utrovis modo possidentur aliquid ab nondum nati antecessore ad ipsum transmittendum, si quocunque modo intercipiatur aut alienetur antequam nascatur, deinceps nascituro haudquaquam injuria fit, nisi saltem prætensionem ad id per modum hæreditatis ipsi reliquerit. Nam priori casu, quia res cum modo habendi plene est penes possessorem, siquidem ille eam alienaverit, aut quacunque ratione factum sit, ut ea non amplius sit ipsius, omne prorsus ejusdem jus extinguitur; adeóque non potest in nondum natum derivari, qui ad talia majorum suorum bona nullum potest jus prætendere, nisi quod ipsi jam existenti ab iisdem velut de manu in manum traditur. Posteriori autem casu, cum penes eum, qui alteri rem aliquam contulit, potestas adhuc sit circa modum habendi, sane nihil agit possessor in præjudicium successorum, si rem istam alienet, aut quocunque modo subductam pro derelicto habeat, nisi conferens consentiat. Adeóque si populus alicui regnum contulerit, in sobole ex se procreata semper continuandum, nihil aget Rex, si invito populo id alienet; nec iste parentis actus proli etiam nondum natæ fraudi esse potest, siquidem populus modo habendi regnum semel constituto inhærere velit. Quod si autem id fiat consensu utriusque, tam qui rem possidet, quam cujus est de modo habendi disponere, illud jus itidem prorsus extinguitur, antequam ad post nascituros perveniat. Nec populus habendi modum mutans hisce injuriam facit. Nam non horum, sed sui ipsius causa jus sibi circa modum habendi reservavit; adeóque nemini heic præter sibi ipsi jus quæsivit aut retinuit, quo si se abdicet, aut illud mutet, nemo præterea querendi causam

ſam habet. Ex quibus patet, quomodo decidenda ſpinoſa alias quæſtio; an nondum natis jus ſuum tacite per derelictionem majorum decedere poſſit? Finitur autem ſtatus humanus per mortem naturalem, poſt quam quæ exuviis & famæ præſtatur reverentia & honor, ſuperſtitum potiſſimum cauſa exhibetur. Quæ præterea de ſtatu hominum poſt mortem ex religione Chriſtiana credimus, ex Sacris Scripturis petantur.

§. 5. Statui hominis naturali ſubordinatur, & ex eo immediate profluit *Pax*. Ad hanc enim cum quolibet homine colendam quilibet eo ipſo, quod homo eſt, obligatur, quamdiu cura propriæ ſalutis ob injurias aliorum eam abrumpi non ſuadet. Eſt autem pax vel *univerſalis* vel *particularis*. Illa ſeſe extendit in quoſlibet homines jure naturæ adverſum nos utentes; & conſiſtit potiſſimum in hoc, ut nemo alterum injuſte lædat, & ſi quæ fors controverſiæ inciderunt, per mutuam tranſactionem aut per arbitros componi curet. Hæc pax ſola legis naturæ obligatione ſtat, ac niſi eo ipſo in unum corpus aut ſocietatem paciſcentes coëant, pacto aut fœderibus eam muniri inutile eſt. Nam per ejuſmodi pactum nihil ſuperadditur obligationi legis naturæ neque arctior ea fit, ac pari injuria violatur heic homo, ſive pactum interceſſerit, ſive non. Abhorret quoq; à conſuetudine hominum tale pactum inire, cujus capita ſeu conditiones nihil aliud contineant, quam meram non violationem immediatam juris naturæ. In quolibet enim pacto pro conditione ſeu capite ponitur aliquid, quod alter alias jure naturæ à me poſtulare non poterat, adeóque quod non perfecte ex jure naturæ ipſi ego debebam; uti nec ad pactum cum altero ineundum eodem jure adſtringor: etſi conſequenter & poſito conſenſu meo circa præſtandam alteri rem alias indebitam me obligem, quod non velim violare legem illam naturæ, quæ pacta ſervari jubet. Nam quemadmodum, qui alteri ſua miniſteria addicit, haudquaquam pro capitibus pacti

pacti expresse & immediate constituit, se non fore adversus ipsum v.g. proditorem, furem, nebulonem, &c. etiamsi consequenter ista pacto involvantur; ita erubescenda esset pactio, si quis alteri ad nihil aliud se obstringeret, quam se non violaturum adversus ipsum pacem universalem, i.e. se non usurum erga illum jure in bestias solito usurpari. Fœdera autem amicitiæ, quæ vocant, paci universali aliquid superaddunt. Plus enim sane debemus amico quam cuivis alteri homini, qua tali, non hosti. Pacta porro illa seu instrumenta & tractatus, quibus ex statu belli ad pacem duntaxat universalem pervenitur, nil aliud continent, quam publicam contestationem, à bello utrinq; cessandi, & conditiones ab utraq; parte aut alterutra implendas, siquidem arma deponi debeant; quibus factis post ex sola legis naturæ obligatione pax universalis profluit. Pax particularis est vel *interna* vel *externa*. Illa est inter eos, qui in unum corpus seu societatem coivere, quando præstant id, cujus causa societas est instituta, nec per vim repugnant potestati, quam societas jure in illos exercet. Hanc pacem non quælibet vis usurpata turbat, sed illa duntaxat, quam non adhibitum iri in pacto societatis ineundæ cautum fuit. Sic v.g. in civitate pax interna non turbatur, quando Magistratus facinorosos vi coërcet ac plectit; sed tum demum bellum existit intestinum, quando alii istos per vim pœnæ eximere, & Magistratui jus suum usurpanti resistere conantur. Pax particularis externa est, quæ colitur cum aliis societatibus, peculiaribus sancita & munita fœderibus. Qualia sunt, post fœdus amicitiæ, fœdus commercii, ut liceat in aliorum fines ire, agere, negotiari, res rationésque contrahere, mercaturam ultro citróq; exercere, eodem circa isthæc cum civibus jure frui, &c. Nam ut alterum in terris meis negotiari permittam, non requiritur ex lege naturæ, præsertim si vel periculum aliquod mihi inde immineat, vel lucrum decedat; adeóque pacto ea commerciorum libertas est

quæ-

quærenda. Item fœdera societatis & auxilii mutui idque vel contra invadentes duntaxat, vel contra quemlibet, etiam quem nos invadimus. Hæc pax rumpitur, quando vel una pars vi adhibita alteri quid inferre conatur, quod altera vi repellit, vel quando injuria jam illata vi vindicatur.

§. 6. Enimvero cum obligatio jus naturæ adversus alterum usurpandi cesset, ubi alter idem adversus me non usurpat, (de quo libro II. pluribus agimus,) inde velut subsidiarius homini status emergit *Bellum*, quando salus nostra non nisi per vim expediri potest. Hic status etsi interdum necessario est subeundus, quando scilicet ob perversitatem hominum, pacificas rationes respuentium, jus nostrum tueri aut consequi non nisi per arma possumus; naturalis tamen modus ad jus suum perveniendi proprie dici nequit, eo quod ad eum usurpandum natura homines directe non destinavit, sed duntaxat in defectu commodioris medii ad id confugere indulsit. Dividi autem potest bellum ad modum pacis in *universale* & *particulare*. Illud est immediatum consectarium status belluarum, quando nemo adversus alterum ullum usurpat jus, sed sola vi ab omnibus res geritur. Qualis status hominum futurus erat, ni per legem naturæ ad societatem invicem colendam essent obligati. Bellum particulare est vel *internum* vel *externum*. Illud est inter eos, qui in unam societatem particularem coiverunt, ubi rupto societatis vinculo armis in se invicem insurgunt. Quale bellum, ubi intra primam velut effervescentiam, & citra operosum utrinque apparatum deflagrat, *seditio* dicitur. Ubi à subditis in Principem arma injuste capiuntur, *rebellio* est. In democratiis autem & aristocratiis ubi in partes hostiliter invicem agentes discedunt populus & proceres, *bellum civile* proprie vocari suevit. Bellum externum est inter eos, qui eadem civitate non continentur. Hoc dividi communiter solet in *solemne* & *minus solemne*. Illud

etiam

etiam vocatur juſtum ex jure gentium, (ea vocabuli ſignificatione, qua juſtus exercitus opponitur incompoſitæ alicui manui prædonum,) & eſt, quod geritur autoritate ſummæ poteſtatis civilis præcedente indictione; cujus non iſte eſt finis, ut hoſti ſpatium ſit parandi ſeſe ad reſiſtendum, ſed ut conſtet, non privato paucorum auſu, ſed publice bellum geri, adeoq; hoſtis ſciat, cum quo ſibi res ſit futura. Cætera, quæ talibus deſtituuntur requiſitis bella minus ſolemnia ſunt. Aſt ubi nulla autoritate publica citra indictionem & juſtam cauſam per clandeſtinos incurſus & incompoſitum agmen alii invaduntur, *latrocinium* appellatur.

§. 7. JCti porro Romani latiſſimos & generaliſſimos ſtatus hominum, (ſcilicet prout in Rep. Romana aut ejus ſimili homines ſpectabantur,) faciebant *libertatem* & *ſervitutem*. Horum natura ut accuratius cognoſcatur, ſciendum, libertatem communiter concipi ut ſtatum, in quo ſit facultas aliquid ex proprio arbitrio agendi: ſervitutem contra ut ſtatum, in quo ſit neceſſitas ex alterius voluntate res gerendi: facultatem autem agendi conſtringentium impedimentorum duo eſſe genera: phyſica, ut vincula, compedes, carcer, cuſtodia; & moralia, ut obligatio, lex, imperium, poteſtas. His poſitis apparet, libertatem eſſe vel *omnimodam* vel *limitatam*. Illa eſt, quæ neque naturalibus neque moralibus impedimentis circumſcribitur. Tali libertate neminem abſolute præter DEUM gaudere credimus. Inter homines autem ſummo libertatis gradu fruuntur, qui legibus civilibus ſunt exempti, ſeu qui ſumma in civitatibus poteſtate gaudent. Hi enim, etſi imperio Divino legique naturæ ſubjecti, nullius tamen imperium hominis agnoſcunt, nec abs quopiam, quamdiu tales, per modum pœnæ coërceri poſſunt. Libertatis limitatæ complures dantur ſpecies ac gradus. Peculiari vocis ſignificatione libertas illis tribuitur, qui in Ariſtocratia, ac potiſſimum qui in Democratia vivunt. Communi-

ter

ter autem libertas notat statum illorum, qui tantum civitati serviunt, non etiam concivi; quibus pro arbitrio licet adplicare actiones suas quascunque, circa quas à legibus communibus nihil est dispositum. Quæ libertas eo magis coarctatur, quo pluribus quis obligationibus particularibus tenetur. Sic sui qui juris est in civitate, nec alteri determinatam ministeriorum suorum addixit partem, laxiori utique fruitur libertate, quam qui est sub potestate patris aut tutorum, aut qui concivi operas suas locavit, vel honestiores seu notionales, vel viliores seu physicas; sub quorum posteriori genere apud nos veniunt mercenarii & famuli. Servitus vero communiter est, quando quis actiones, circa quas à legibus communibus nihil dispositum, non solum ex alterius arbitrio, sed etiam in solidum ad ipsius usum adplicare tenetur, ita ut directe ex propriis actionibus in ipsum nihil redundet extrinsecæ utilitatis, nisi quantum alter gratuito voluerit. Cui accedit, quod hi in civitate caput non habere intelligantur, ac rerum nomine, non personarum, censeantur. In talem servitutem quendam vulgo, & apud quasdam gentes hodiéque, redigunter bello capti, temperamento quodam humanitatis & sævitiæ, ut, qui jure occidi poterant, pro usu vitæ perpetuo capientibus ministeria præstarent. In hos nonnullæ civitates Dominis jus vitæ & necis relinquebant, eo quod non iniquum videretur, quæ semel sub ipsorum potestate fuerat, vitam deinceps quoque esse. Eundem statum subeunt ex istis nati, & qui sponte eo descendunt. Nonnullis etiam in pœnæ locum servitus imponitur. Ultimum autem servitutis gradum experiuntur, qui vinculis quoque physicis coërcentur, ut sunt, in ergastula, in carceres, ad remos dati, qui compedibus onerati, aut parietum objectu clausi opus facere coguntur. Cæterum quod JCti dicunt, jure naturali omnes homines ab initio liberos natos, id intelligendum est ἀνυπαρκτῶς, non ὑφεστηκότως, uti quidam loquun-

loquuntur, i.e. per juris naturalis præceptum nemini absolute, & citra præcedens ipsius factum libertas est adempta; idem tamen jus nequaquam prohibuit, quo minus quis certa de causa in servitutem abstrahi possit. Actu autem ipso status servitutis, ejúsque conditiones ex arbitrio hominum sunt introductæ. Quod autem vulgo Philosophi quosdam homines, tardioris nempe qui sunt ingenii, & ad seipsos regendos haud idonei, servos natura vocant; non ita est intelligendum, quasi ejusmodi homines per naturam in statu servitutis constituantur, aut necessario in eum sint abstrahendi, ita ut contra naturam fiat, si liberi maneant: sed quod ipsorum ingenia à natura ita sint formata, ut servitutem æquo animo ferre queant, ac bona libertatis non capiant, nec iis uti commode nôrint.

§. 8. Porro qui in civitatibus, potissimum Christianis, degunt, in triplicem vulgo statum dispescuntur, *Ecclesiasticum*, *Politicum* & *Oeconomicum*. Priores duo vocantur *publici*, eo quod ordinarie homines auctoritate societatis civilis, aut eorum, per quos illa gubernatur, qua talium, in iis constituantur; ac tendant immediate & directe ad commodum societatis, qua talis. Posterior vocatur *privatus*, eo quod dependeat ex proprio cujusque arbitrio, ac immediate & directe tendat ad commodum singulorum, qua talium. In statu Politico publica autoritate tractantur res civilem hominum societatem qua talem directe spectantes. Ecclesiasticus vendicat sibi cultum divinum peculiariter exercendum ad felicitatem societatis. Nam etiamsi singulorum quoque salutem personæ Ecclesiasticæ curent; tamen quod peculiaris istis status fuit adsignatus, ob bonum societatis seu publicum factum est. Status Oeconomicus tractat res in vita communi usum habentes ad utilitatem singulorum qua talium. Horum commune velut seminarium est

status

ſtatus *Scholaſticus*, in quo ingenia liberali cultura imbuuntur. In ſingulis complures occurrunt particulares ſtatus, quos cuivis ad ſuam claſſem redigere in proclivi erit. Determinate conſideratus ſtatus eſt vel *honorificus*, vel *minus talis*. Illum communiter vocamus *officium*; & eſt, in quo quis ad alterius utilitatem aliquid efficere tenetur opera potiſſimum notionali cum aliqua dignitate: hunc *ſervitium*, in quo quis citra dignitatem quid in alterius utilitatem opera potiſſimum phyſica præſtare tenetur.

§. 9. Statum etiam adfert peculiarem vel ſolus locus, in quo aliquis degit, vel conditio, ſub qua degit. Qui enim in ſolo patrio, vel in quo ſedem fortunarum fixit, agit; jure pleno loci fruens, *civis* dicitur; qui ſemipleno, *incola*; qui minus ſtabilem & temporariam ſedem alicubi locavit, *inquilinus*. Qui in ſolo alieno commorandi duntaxat ad breve tempus cauſa verſatur, *peregrinus* audit, cujus ſtatus *peregrinitas*.

§. 10. In genere autem hoc admonendum, quod tum ob inopiam vocabulorum, tum ob incuriam Philoſophorum circa entia moralia, una eademque voce frequenter cogamur exprimere & ſtatum, & attributum ac qualitatem ſtatui propriam. Quæ tamen revera diſtincta ſunt, ac diverſo modo concipiuntur. Sic v. g libertas pro ſtatu concipitur ad analogiam ſpatii, pro facultate agendi ad modum qualitatis activæ. Sic nobilitas alias notat ſtatum, alias attributum perſonæ, quod ad modum qualitatis patibilis concipitur.

§. 11. Sed nec illud prætereundum, quemadmodum complures ſtatus in una perſona poſſunt concurrere; ita obligationes, quæ ſtatum aliquem comitantur, poſſe ex diverſis principiis per partes derivari. Unde haud ſtatim ille, qui obligationes ex uno aliquo principio fluentes colligit, reliquis prætermiſſis, ejuſmodi formet ſtatum, cui præter eas, quarum ipſe meminit, nullæ poſ-

ſint adhærere obligationes aut debeant. Sic qui ex ſolis Scripturis Sacris partes officii ſacerdotum colligit, haudquaquam negat, ad illa quoque obeunda eoſdem obligari, quæ ex conſtitutionibus Eccleſiaſticis singularum civitatum requiruntur. Sic & nos, qui hic ea duntaxat hominis officia attendimus, quorum neceſſitas ex lumine rationis colligi poteſt, nequaquam pertendimus, ejuſmodi ſtatum hominum unquam fuiſſe aut eſſe debuiſſe, in quo ſolæ iſtæ obligationes ipſi competerent.

§. 12. *Status quandicativus* eſt, qui reſpectum involvit ad quando ſeu tempus moraliter conſideratum; ac dividi poteſt, 1. In *junioratum* & *ſenioratum*. Quorum uterque dicitur vel in reſpectu ad durationem exiſtentiæ in vita humana, vocatúrque *ætas*, cujus gradus infantia, pueritia, adoleſcentia, juventus, ætas virilis, ſenecta, ætas decrepita; vel in reſpectu ad durationem in ſtatu aliquo adventitio, ut tyrocinium, veteraniſmus, ſtatus emeritorum, &c. Ad priorem claſſem fortaſſe etiam referri poteſt primogenitura, quando aliquis non habet ante ſe fratres ex eodem parente natos. 2. In *majorennitatem*, quando quis cenſetur habilis ad res proprio Marte adminiſtrandas; & *minorennitatem*, cum quis tutore aut curatore opus habet. Cujus ſtatus termini apud diverſos populos variant.

Definitio IV.

Perſona moralis eſt perſona ſpectata cum ſtatu ſuo, quem habet in vita communi.

I. *Perſonarum moralium ſeorſim conſideratarum varietas. Perſonæ publicæ.*
II. *Perſonæ privatæ.*
III. *Ex plurium perſonarum conjunctione fit perſona compoſita ſeu ſocietas.*
IV. *Ejus diviſio.*

§. 1. Generaliſſima hæc eſt perſonæ moralis definitio. Alias perſona, apud JCtos præprimis, illa dicitur, quæ caput, i.e. libertatem perſonalem habet; quo ſignificatu mancipia inter res referuntur. Cæterum conſiderari poſſunt perſonæ morales vel *ſeorſim* vel *conjunctim*. Seorſim conſideratæ pro diſcrimine ſtatuum ſunt vel *Publicæ*, quæ in ſtatu publico: & *privatæ*, quæ in privato verſantur. Perſonæ publicæ ſunt vel *Eccleſiaſticæ* vel *Politicæ*. Hæ ſunt vel *principales* vel *minus principales*. Inter principales quidam ſumma cum poteſtate Remp. regunt, ut ſunt Imperatores, Reges, Principes, aut quocunque nomine veniant, penes quos eſt ſummum imperium; quidam poteſtate à majeſtate delegata partem aliquam imperii exercent, quos generali vocabulo Magiſtratus vocant. Horum nomina in diverſis Rebuſp. diverſa. Minus principales ſunt, qui Principibus aut Magiſtratibus operam ſine imperio locant, quos inter infimum occupant ſubſellium apparitores, lictores, & denique carnifices. Horum converſationem, etſi nulla infamia juris notatorum, honeſtiores paulo homines vulgo averſantur; idque potiſſimum, quod miniſteriis illorum cum atrocitate & ſæ-

ditate aliqua conjunctis plerunque mores ipsorum soleant respondere, aut quod non nisi viles animæ ad istud vitæ genus se sponte adplicent. In bello Magistratibus respondent Duces superiores & inferiores. His subsunt milites gregarii, qui etiam inter personas publicas referuntur, quia per summam potestatem civilem immediate aut mediate autorantur ad arma pro Rep. gerenda; quod fieri intelligitur, quando sacramento adiguntur, aut peculiari jussu superiorum ad actus bellicos exercendos amandantur. Peculiaris quoq; species personarum politicarum potest constitui, quas dicere possis *repræsentativas*, quæ potestate & autoritate agendi ab aliquo instructæ, hujus vice apud alium negotia eodem cum effectu expediunt, ac si ab ipso essent confecta; ut sunt Legati, Vicarii, Plenipotentiarii, item Syndici. Istorum instar inter personas privatas tutores & curatores gerunt. Personarum Ecclesiasticarum varietatem cuivis, prout religioni alicui innutritus fuerit, cognoscere in proclivi erit. Nec Scholasticæ fugere eruditum possunt.

§. 2. Privatarum personarum distinctiones desumuntur, 1. *Ex sexu*, unde est, mas, fœmina, hermaphroditus. Isthæc etsi proprium in physicis locum obtineant, huc tamen pertinent ob moralem aliquem respectum, quatenus in vita civili aliter tractantur. Nam & infra dignitatem iræ virilis pleraſque fœminas ducimus, & minoris ipsorum convicia facimus, quam virorum, nec tanti ipsorum judicia ac testimonia æstimamus, nec ad munia publica, licet cætera capaces, ordinarie admittimus. Hermaphroditum autem velut monstrum naturæ averſamur. 2. *Ex statu morali quandicativo*, unde aliter agitur cum juvene, aliter cum sene; & aliud senem decet, quod non decet juvenem, & contra. Sic alia quoq; autoritas senis, alia juvenis. 3. *Ex situ morali in civitate*. Hinc enim alius civis, alius inquilinus, alius incola, alius peregrinus. Qui uti diverso modo obli-

obligantur civitati; ita quoque circa distributionem bonorum & impositionem onerum non eodem modo æstimantur. 4. *Ex statu morali in familia.* Unde est Maritus, Uxor, Pater, Liberi, Dominus, Servus: qui sunt membra velut ordinaria, quibus extra ordinem interdum accedit Hospes. 5. *Ex stirpe.* Unde est nobilis, isque vel illustri vel minus illustri familia ortus; vel plebeius, quorum in diversis civitatibus varia discrimina. 6. *Ex arte*, cui quis peculiariter operam adplicuit, quæ est vel liberalis, vel illiberalis. Huc pertinent mercatores, qui mutandis mercibus quæstum faciunt, quorum agmen institores claudunt. Item queis agri, plantarúmque aut brutorum cura geritur; ut sunt rustici, vinitores, hortulani, pastores, &c.

§. 3. Conjunctim consideratæ personæ constituunt *Societatem* seu concilium, quando plures personæ ita inter se uniuntur, ut tum voluntas tum actio ipsorum pro unica actione aut voluntate, non pro pluribus, censeatur. Idque tunc fieri intelligitur, quando singuli in societatem coeuntes voluntatem suam unius alicujus, qui sit societatis caput, voluntati, vel toti concilio ita subjiciunt, ut pro sua voluntate & actione velint agnoscere & haberi, quicquid iste, aut major pars societatis circa res societatem spectantes decreverit aut egerit. Unde est, quod cum antea, quicquid plures voluerint aut egerint, pro totidem voluntatibus & actionibus habeatur, quot personæ physicæ ibi numerantur; in societatem conjunctis una voluntas tribuatur, quæque ab illis qua talibus proficiscitur actio non multorum, sed unius judicetur, etiamsi complura individua physica ad eam concurrerint. Inde etiam ejusmodi societas jura ac bona peculiaria nanciscitur, quæ haudquaquam à singulis, qua talibus, sibi queant vindicari. Ubi id quoque observandum, quemadmodum personæ singulæ manent eædem, etsi successu temporis per

varias particularum acceſſiones & deceſſiones corpus inſignes mutationes ſubierit; ſic per particularem individuorum ſucceſſionem non aliam fieri ſocietatem, ſed eandem manere, niſi uno tempore ejuſmodi mutatio ingruat, quæ prioris corporis ſeu ſocietatis rationem prorſus tollat.

§. 4. Societates porro ſeu perſonas morales compoſitas ad modum perſonarum ſingularium dividere poſſumus, in *publicas* & *privatas* Illæ iterum ſunt vel *ſacræ* & *Eccleſiaſticæ*, vel *politicæ*. Inter ſacras quædam ſunt *generales*, ut Eccleſia Catholica, item Eccleſiæ particulares, vel certis regionum ac civitatum terminis comprehenſæ, vel publicis confeſſionum formulis diſtinctæ: quædam *ſpeciales*, ut Concilium Oecumenicum, Nationale aut Provinciale, Synodus Diœceſana, Conſiſtorium, Capitulum, Presbyterium. Societas politica itidem eſt vel *univerſalis*, ut civitas, quæ in diverſos ſpecies, puta Monarchiam, Ariſtocratiam & Democratiam diſpoſcitur, prout ſummum imperium eſt vel penes unum, vel penes concilium paucorum aut univerſorum: vel *particularis*, ut Senatus, Scabinatus, tribus, &c. Eandem diviſionem ſocietas Scholaſtica admittit. *Societas ſagata* dicitur exercitus, cujus partes ſunt legio, turma, cohors, decuria, manipulus, &c. *Societates privatæ* non ſolum ſunt familiæ, ſed etiam in civitatibus quæ vocantur collegia mercatorum, opificúmq; & ſimilia. Quæ ſigillatim heic exſequi longum foret. Nobis ſumma tantum faſtigia rerum perſtrinxiſſe ſufficiat.

DEFINITIO V.

Res moralis est res spectata cum respectu pertinentiæ ad personas.

I. *Respectus pertinentiæ rerum quotuplex?*
II. *Dominium eminens, directum vulgare & utile.*
III. *Dominium plenum, diminutum.*
IV. *Quid proprium, quid commune.*
V. *Propria bona societatum.*
VI. *An à rebus innoxiæ utilitatis civitas exteros possit excludere?*
VII. *An mare proprietatis capax?*
VIII. *Mare litoribus propinquius proprium est.*
IX. *Oceani vasta videntur à gentibus pro derelictis habita.*
X. *Navigatio & commercia in Oceano quomodo libera?*
XI. *Possessio proprietatis complementum.*
XII. *Origo dominii in res ex jure divino.*
XIII. *Dominii hominis in bruta quantum ex jure divino.*
XIV. *Quantum ex jure naturæ*
XV. *Origo proprietatis.*
XVI. *Modus adquirendi originarius occupatio.*
XVII. *à primo Domino res in posteros quomodo transierint?*
XVIII. *Quomodo bona in filios dividenda?*
XIX. *Modi adquirendi lucrosi.*
XX. *Onerosi.*
XXI. *Incrementa & fructus rei adquirunter domino.*
XXII. *Species materiam sequatur, an hæc illam?*
XXIII. *Modi adquirendi spurii.*
XXIV. *An vitium adquisitionis tollatur per tempus?*
XXV. *An idem in tertium transeat?*
XXVI. *Proprietas quomodo amittatur, ubi de testamentis.*
XXVII. *Furor non tollit proprietatem rerum.*
XXVIII. *Res nullius; earum differentiæ.*
XXIX. *Res corporalis.*
XXX. *Incorporalis.*

§. 1. RESpectus pertinentiæ, *indeterminate* & præcise consideratus, prout est ratio formalis rerum moralium, est vel *affirmativus*, vel *negativus*. Ille terminatur ad proprietatem & communitatem, unde res morales dicuntur *propriæ* vel *communes*; hic uniformis

mis quasi est, & neutralitatis rationem induit, unde res morales dicuntur *nullius*. *Determinate* autem consideratus respectus ille pertinentiæ, *meum* & *tuum* constituit. Materialiter porro & in se spectatæ res distinguuntur in *corporales* & *incorporales*.

§. 2. In tres communiter species, quas modos habendi vocare possis, dominium dividunt; *eminens* puta, directum *vulgare* & *utile*. Priori denotatur potestas illa, quæ civitati aut ejus capiti competit in res civium ad utilitatem publicam. Cujus hic est effectus, ut vim dominii vulgaris efficaciter restringere possit, prout è bono publico visum fuerit. Dominio vulgari privati bona sua possident, circa quæ plenam disponendi facultatem habent, nisi quatenus à potestate eminenti ea restringitur. Ubi si ususfructus sit penes alium, vocatur dominium directum, quale habet dominus fundi in emphiteusin dati. Dominium denique utile in illa habere bona dicimur, quorum ususfructus duntaxat est penes nos, directum dominium penes alios; ut quæ tanquam emphiteutæ possidemus.

§. 3. Est autem dominium vel *plenum* vel *diminutum*. Illud, quando eidem tam proprietas rei, quam ejus ususfructus actu competit. Quo modo possidentur non tantum, in quæ eminens nobis dominium est, conjunctum cum vulgari; quemadmodum interdum Principi aut populo regio aliqua adquiritur cum omnimoda proprietate, in cujus partes deinde singulis dominium diminutum traditur: sed & in quæ vulgare duntaxat, abs quo ususfructus non est separatus, nisi forte ad tempus, per modum beneficii revocabilis. Diminutum dominium est, quando vel ususfructus rei meæ ad alterum spectat, vel contra ususfructus rei alterius hæreditario jure mihi competit. Quo posteriori modo haberi volunt regna non patrimonialia, ab initio per consensum populi delata, & in hæredes transmittenda. Modum enim habendi diminutum arguit, quod propria Regum auto-

ritate

ritate citra conſenſum populi tota aut pars eorum vendi, teſtamento cuilibet relinqui, donatione aut alio modo alienari nequeant. Quo ipſo tamen haudquaquam vis imperii imminuitur, quippe cum ſola alienandi iſtius poteſtas ſit ſublata, quæ in ſe ad facultatem imperandi nihil facit. Diminuto etiam modo habetur res, cujus dominium qualecunque certo temporis ſpatio circumſcribitur, quo elapſo expiret. Ex quibus obiter appareret, quænam limitatio ſit addenda vulgatæ illi JCtorum regulæ; Res ſua non poteſt alicui fieri magis ſua: ex qua concludunt, neque pignus, neque depoſitum, neque emptionem, neque locationem rei ſuæ poſſe conſiſtere, item, inutile eſſe legatum, ſi quis rem legatarii ipſi legaverit, item, neminem rem ſuam futuram in eum caſum, quo ſua ſit, utiliter ſtipulari. Scilicet, niſi fors modus habendi diminutus in pleniorem evehatur; quod fit, ſi v. g quod feudum fuit, in poſterum tanquam abſolutus & independens principatus poſſideri incipiat.

§. 4. Quæ igitur res tanquam *propriæ* ad nos pertinent, ſive modo vulgari, ſive eminenti etiam, (qua ratione civitates aut earum capita bona ſua poſſident,) iis pro arbitrio noſtro frui, & quoſvis alios inde arcere poſſumus, niſi per pacta conventa, jus ſingulare ſuperveniens quæſiverint, ac eodem modo, dum noſtræ ſunt, alterius in ſolidum eſſe nequeunt. *Eodem modo*, inquam; nam & nihil impedit, & uſitatiſſimum eſt, eandem rem pro diverſis habendi modis ad diverſos ſpectare. Sic in eundem fundum civitas dominium habet eminens dominus fundi directum, emphyteuta utile. Additur quoque *in ſolidum*. Nam & plures eandem rem eodem habendi modo tenere poſſunt, non tamen in ſolidum, ſed pro rata quiſque parte. Quod contingit in iis bonis, quæ indiviſim poſſidentur à pluribus, eodem dominii genere circa eandem rem occurrentibus. Quales res vocantur *communes*, quæ ſcilicet ad plures eodem

eodem dominii genere indiviſim pertinent. Communitas enim à proprietate differt non quoad modum aut vim dominii, (idem quippe pluribus in rem communem juris, quod uni in propriam, & uti proprietas rei alicujus ad unum ſpectantis, quorumvis aliorum jus in eam rem excludit; ita quoque à re communi excluduntur omnes alii, qui ſunt extra illos, queis res dicitur communis:) ſed quoad pertinentiæ terminum duntaxat, quod res propria ad unam perſonam, communis ad plures ſpectet. Quorum cum nullus jus in rem obtineat, velut in totam ſe extendens, ſed quod in partem duntaxat rei valeat, patet ſane, unum non poſſe ſuo jure de tota iſta re diſponere, ſed pro rata tantum; ac ſi de tota re aliquid ſit ſtatuendum, ſingulorum, ad quos ea ſpectat, conſenſum & autoritatem requiri

§. 5. Cæterum propria ſunt non ſolum, quæ ad perſonas ſingulares pertinent, ſed & quæ ad perſonas morales conjunctas ſeu ſocietates qua tales. Hæ enim uti unum quoddam ſunt; ita ſua quoque ſibi habent bona & jura propria quæ, in ſolidum aut partem eorum, non modo nemo extra ſocietatem, ſed ne ipſa quidem ſub ſocietate comprehenſa membra, quatenus non ut tota ſocietas concipiuntur, velut propria ſibi vindicare poſſunt tali proprietatis modo, quo ſocietas gaudet. Sunt autem res ad ſocietatem publicam ſeu civitatem pertinentes in triplici potiſſimum differentia. In quaſdam enim civitas dominium duntaxat eminens uſurpat, vulgare autem ſingulis reliquit aut aſſignavit. Ut ſunt, territoria, provinciæ, urbes, pagi, agri, &c. item quævis res privatorum, quæ quidem à ſingulis per partes modo dominii vulgari poſſidentur, ita tamen ut in ea civitas dominium eminens obtineat. Cujus vis in hiſce ſeſe exſerit, quod ſinguli iis de rebus impoſita tributa aut vectigalia ſolvere teneantur, immo totas publicis concedere uſibus, ſiquidem ſalus Reip. id popoſcerit. A quibuſdam autem omne penitus ſingulorum, qua talium,

um, dominium civitas excluſit, ac ſibi in ſolidum earundem diſpoſitionem atque uſurpationem reſervavit; ut ſunt, reditus publici, vectigalia, ærarium, fiſcus, & ſimilia. Quarundam denique uſum civibus indiviſim reliquit, dominium autem vulgare nemini peculiariter adſignavit. Et hæc alias *publicorum* nomine veniunt, circa quorum uſum, ſiquidem quoad eaſdem partes ſingulis ſimul non ſufficiant, ille potior eſt, qui prior uſum occupavit. Sic v.g. quem quiſque locum in theatro occupavit, eum jure retinet contra tardius venientem, niſi fors de talibus peculiariter fuerit diſpoſitum. In hoc genere ſunt ædes publicæ, loca publica, fora, theatra, plateæ, &c. item, maria flumina, lacus publici, quorum uſus cuilibet civi conceditur. Quo etiam pertinent res ſacræ, ut templa, utenſilia ſacra, ornamenta & reditus templorum & ſimilia. Nam iſta non ſunt nullius, ſed revera ad civitatem pertinent, nec prorſus humanæ poteſtati aut uſibus eximuntur. Vocantur autem ſacra à fine, cui à civitate deſtinantur, nempe ut exercitio cultus divini peculiariter inſerviant, donec circa ipſa aliter fuerit diſpoſitum. Inde eſt quod, premente Reipub. neceſſitate, ſi alia media non ſuppetant, poſſit civitas vel conflare calices & cætera utenſilia aut ornamenta ſacra, vendere campanas, uſurpare reditus templorum, &c. citra obligationem ſimilia deinceps reſtituendi, eodem jure, quo poteſt aggredi pecuniam in ærario ſanctiore ſitam, aut privatis agrum publicum vendere. Niſi quod jus illud extrema duntaxat neceſſitate ingruente ſit uſurpandum, ne ſuſpicio irreverentiæ erga Numen apud vulgum incurratur. Quæ hactenus de bonis civitatis dicta ſunt, etiam ad bona cæterarum ſocietatum, quæ civitates non conſtituunt, per analogiam poſſunt applicari.

§. 6. Heic tamen ulterius notandum circa res civitatis, quod quædam ita ſint comparatæ, ut citra detrimentum iſtius earum uſus vel omnimodus, vel reſtrictus,

ctus, etiam exterius quibusvis non-hostibus promiscue patere queat. Quæ res etiam innoxiæ utilitatis vocantur; ut sunt, aqua profluens, flumina, freta, maria, viæ regiæ, &c. quorum usurpationem itineris faciendi causa facultas commerciorum ad exteros populos obeundorum includit. Harum rerum usum cum communiter civitates cultiores promiscue extraneis non-hostibus permittant, inde quidam autumarunt, omni eos proprietate carere, ac legem naturæ omnino illarum proprietatem interdicere, & illimitatum earundem usum omnibus concedendum præcipere; adeóque jus naturæ violare, qui vindicata sibi earum proprietate ipsarum usum exteris restrictiorem facere, aut omnino occludere voluerint. Enimvero istos falli certum est. Ac de viis quidem publicis constat, posse prohibere territorii dominos, ne quis exterus omnino illac transeat, aut transitum non nisi certa lege, certóve onere indulgere. Cum enim istis territorii proprietatem nemo deneget, cujus pars viæ publicæ sunt, patet quoque iisdem competere jus de viis disponendi, adeóque earum usum, siquidem ita expedire videatur, aliis interdicendi. Etsi eo jure, quamdiu intra innoxiam utilitatem usus iste subsistit, ob communem hominum inter se obligationem non sit utendum, qua quilibet cujuslibet necessitates, quantum citra fraudem suam fieri potest, sublevare tenetur. Nec tamen nisi extrema necessitas ejusmodi viæ usum sibi per vim adserendi potestatem facit; cum contra, si æquale omnium in eam jus esset, quacunque quis de causa uti ipsa prohibitus, justam belli causam haberet. Inde recte & jure suo Dido Æneæ socios hospitio arenæ prohibuit, donec constaret, ab ipsis novellæ civitati nullum imminere periculum. Sic non injuste Edomitæ Israelitis, indemnitatem verbo duntaxat spondentibus, transitum per regionem suam ex metu non improbabili denegabant, ita ut hi molesta ambage fines ipsorum legere cogerentur. Iisdem quoque Israelitis adversus Si-

honem

honem & Ogum Reges Amoræorum justam bellandi causam non dabat denegatio transitus per ditiones suas, sed quod ipsis præter fas cum exercitu extra fines suos obviam procederent, & ad pugnam eosdem lacesserent. Nam heic ad extraordinarium DEI jussum confugere non est necesse, uti in istis bellis, queis Cananæos ea gens invasit. Ea enim alias injustissima fuissent, nisi peculiare DEI mandatum Judæos autorâsset, peccatis licet vehementer contaminatas excidio dare gentes, quæ nulla tamen injuria istorum in se arma provocaverant.

§. 7. An vero mare quoque proprietatis sit capax, à clarissimis nostro seculo ingeniis acriter fuit disceptatum, his aientibus, illis negantibus. Quorum nullius tamen existimationem inique quis læsisse censendus est, si civitatis quemque suæ commodum magis, quam veritatis partibus nullis obnoxiæ studium ante oculos habuisse dixerit. Nos perspicue & solidè controversiam istam expediri posse arbitramur, si heic supponamus, (quod paulo post latius ostendetur,) dominium hominis in res ut sit licitum ex lege divina positiva, oriri ex concessione DEI, qua hominem totius orbis dominum constituit. Qua in concessione, privilegii non præcepti rationem habente, cum æque piscium maris, quam animantium terrestrium expressa fiat mentio, in quæ dominium intelligi non potest, nisi simul sit jus elementum, quod inhabitant, prout ejusdem admittit natura, usurpandi; ex hac sane parte nihil impedit, quo minus homines dominium maris sibi queant arrogare. Idem dominium ut sit licitum ex jure naturæ, facit indigentia & necessitas hominis, qui cum citra usurpationem & consumptionem aliarum rerum vitam tolerare nequeat, potestatem quoque ad ea usurpanda & consumenda habere intelligitur. Isti indigentiæ cum mare quoque aliquatenus mederi queat, nec heic quidquam obstabit, quo minus illius usus quoscunque potest homo sibi vindicet,

dicet, postquam ipse terrestre animal in alieno elemento versari didicit. Sed id dominium ut actu adquiratur, & effectus suos tam in ordine ad res ipsas, quam adversus cæteros homines obtineat, necesse est ut comparatum sit modo aliquo inter homines recepto, qui supponat aut involvat pactum, quo cæteri homines sua in rem illam prætensione renunciasse intelliguntur. Concessum igitur fuit hominibus ex lege naturali & divina, ac in ipsorum arbitrio positum, utrum maris quoque sicuti terræ dominium usurpare, an vero id pro derelicto habere velint. Quæ enim de fluiditate maris, capacitate & sufficientia ad usus omnium, ut & de terminorum incertitudine objiciuntur, in jocularia plerunque dicterii abeunt: ac nihil proprietati ista officere, ab aliis dudum fuit ostensum. Ac bene observandum, effectus proprietatis clarius aut obscurius sese exserere prout id substantia rei physica admittit; nec tamen proprietatem statim expirare, etiamsi usus ipsius ab uno aliquo minus commode velut ambiri posse videatur. Inde sufficit ad hoc, ut mare aut ejus pars alicujus propria dici possit, si jus iste habeat usus ipsius ita in solidum sibi vindicandi, ut nisi alii eosdem ab ipso per modum beneficii agnoscere velint, jure eos inde arcere queat; licet ipsius custodiam & velut exclusivam possessionem ipsius laxitas difficilem, exuberantissimus vero usus prope supervacuam reddant.

§. 8. Huc igitur potissima redit controversia: An gentes uti per partes terram, sic mare quoque sibi proprium fecerint? An vero id in universum, vel quasdam ejus partes tacito consensu pro derelictis habuerint? Cui expediendæ utile est considerare, quosnam usus mare mortalibus præbeat ita comparatos, ut si promiscue omnibus pateant, civitatis alicujus conditio deterior sit futura. Inde enim in proclivi erit judicare, quænam maris partes occupatæ & propriæ, quænam pro derelictis censendæ sint. Sepositio igitur aquandi & lavandi

vandi uſu, qui nec magni eſt, nec niſi litorum accolis patet, duo potiſſimum deprehenduntur, ob quæ in propinquo ſibi mari cæteros promiſcue verſari populus aliquis citra detrimentum ſuum pati non poſſit; piſcatio & munimentum regionis. Piſcatio etſi in mari longe uberior, quam in fluminibus aut lacubus; manifeſtum tamen eſt, eam accolis maris maligniorem fieri, aut ex parte exhauriri poſſe, ſi diverſæ gentes propter litora alicujus regionis piſcari velint. Idem vero mare cum munimenti quoque, ſed ancipitis, vicem terris præſtet, quo uti terreſtria itinera abrumpuntur, ita navigiis patulus præbetur acceſſus; patet ſane, haudquaquam expedire populis maritimis, ut cuilibet mare regionibus ipſorum prætenſum promiſcue citra cautionem de non offendendo navigare liceat: non magis, quam ut cuivis concedatur per foſſas urbium aut vallum tranſeundo viæ compendia ſectari. Præſumitur ergo, quemlibet populum maritimum in mare terris ſuis prætenſum tale ſibi reſervare dominium voluiſſe, quod ſufficeret ad hoc, ne ex propius accedentibus navigiis aliquid ſibi periculi poſſet intentari. Inde eſt, quod cum alias uſus itineris maritimi innoxiæ prorſus ſit & inexhauſtæ utilitatis; quales res cuipiam denegare aut imputare, niſi aliud id ſuaſerit, ſummæ inhumanitatis foret:) tamen ob jam dictam rationem munimenti populus aliquis recte poſſit prohibere, ne quis exterorum intra certum ſpatium litoribus ipſius appropinquet, niſi per antegreſſam denunciationem conſenſu populi iſtius impetrato, aut certo ſigno amici acceſſus aut tranſitus dato. Quantum autem ſpatium maris ejuſmodi vicem munimenti obtineat, cujus reſpectu à populo aliquo in illud dominium uſurpetur, non ita accurate determinari in univerſum poteſt, ſed ex conſuetudine apud ſingulos populos recepta cognoſcendum. Quod ſi vero ſinus aut fretum inter duos ſeſe populos infundat, eorum imperia in medio freti aut ſinus terminari intelliguntur,

tur, niſi alterutri ex pacto aut conſenſu alterius in totum iſtud æquor dominium ſit quæſitum. Unde patet, imperium in ſinum maris ordinarie obtinere illum populum vel populos, quorum terris iſte ambitur. Sic Romani, cum omnes Regiones mari mediterraneo adfitas obtinerent, quin in idem tale imperium habuerint, aut recte uſurpare potuerint, ut quævis exterorum naves per fretum Gaditanum ingreſſu prohibere quiverint, dubitare non licet.

§. 9. Enimvero non tam de his maris partibus, quam de vaſto illo Oceano diſceptatur. Quem licet ſua latitudo proprietatis non abſolute reddat incapacem; negari tamen non poteſt, inutilem fere ejus poſſeſſionem futuram, ſive ille ad unum duntaxat populum ſpectaret, ſive ad plures. Nam neque immenſa illa æquora commode piſcationem admittunt, aut hæc operæ pretium reddit; nec remotæ nimis à terris partes Oceani munimenta amplius cenſentur. Nec enim adeo meticuloſam crediderim nationem, quæ ſuæ ſecuritatis intereſſe putet, ne navis extera v.g. ultra ducenteſimum à litoribus ſuis milliare naviget; adeóque ea de cauſa iter iſthac cuiquam interdicere haud poterit, modo ne intra illud ſpatium, ex quo efficaciter periculum poteſt intentari, accedat. Unde non magis audiendi forent v.g. Hiſpani aut Luſitani, ſi ex hoc capite Anglis aut Batavis navigationem ad Indias vellent interdicere, quam v.g. Colonienſes, ne quis Spiræ Rhenum tranſmittat. Quod ſi vero omnino Oceanum totum ob navigationis commoditatem ſub dominio eſſe expediret, tunc ſane non unus aut alter populus iſtum ſibi, excluſis cæteris omnibus, vindicare poſſet, ſed quotquot Oceanum accolunt populi pro ſuæ quiſque regionis proportione ad ejus poſſeſſionem concurrere deberet, niſi ſi quis forte jure ſuo ceſſerit, & id in alterum contulerit. Talis diviſio Oceani inter gentes cum nunquam facta legatur, fieri quoque eam inutile ſit; recte judicatur,

catur, Oceanum, si litoribus propinquas partes excipias, gentes, quantum ad proprietatem, habuisse pro derelicto; ita tamen, ne quis populus sibi soli ejus usum arrogare possit. Nec ideo quisquam in eum peculiare sibi jus præ cæteris tribuere debet, ideo quod primus eum transmiserit; non magis quam Amalfitani ab usu acus magneticæ alios possunt excludere, eo quod civis ipsorum princeps eam ostendisse perhibeatur.

§. 10. Ex quibus patet, navigationem & commercia quorumlibet populorum Oceani accolarum cum quibuslibet itidem Oceani accolis, respectu tertii, invicem esse libera; ac iniquo cæteras gentes monopolio premere, qui ea solis sibi vindicant, nisi ex istorum consensu tale sibi jus quæsiverint. Ubi tamen observandum, quemadmodum Princeps jure prohibere potest, ne merces in sua ditione natæ aut factæ ab exteris exportentur, nisi pacto aut liberali illius concessione eam sibi facultatem paraverint; quale tamen pactum inire, aut quam gratiam de jure naturæ nemini indulgere tenetur, nisi si quem forte extrema urgeat necessitas, citra commercia cum ipso periturum: ita si v. g. populus Europæus regionem quandam Africæ aut Indiarum suam fecerit eo modo, qui inter gentes dominium inducere solet, recte eum, si videatur, omnem aditum ad illam aliis posse interdicere, vel non nisi sub certa conditione aut certo onere eum permittere. At vero nullo juris colore unus populus alteri non hosti interdicere præsumit, ne per Oceanum ad tertium populum ipsi non hostem commerciorum exercendorum causa commeet, ex ista duntaxat ratione, quod suo inde lucro aliquid decedat, nisi forte tertius alterum populum certis de causis velit excludere. Nec obstat, quod sola illa gens duntaxat, etiam per longum temporis spatium eo negotiandi causa commearit. Nisi enim hic populus alteri ad se accedendi facultatem peculiariter concesserit

cum exclusione cæterorum omnium, non magis hic per prioritatem suam reliquos jure inde prohibere poterit, quam qui prior ab œnopola vinum emit, ne alii quoque ibidem emant.

§. 11. Porro ultimum velut complementum proprietatis, & quo posito actualiter illa effectus suos plene exserere incipit est *possessio*, qua quis rem aliquam per se se aut alium ipsius nomine actu adprehendit atque occupavit, prout rei id natura patitur, & ita habet in sua potestate, ut dominii vires actu exercere, & de ea disponere queat. Hæc initium suum capit ab adprehensione corporali, quæ ut effectum aliquem producat, non solum in ipso qui adprehendit intentio debet esse, isthoc actu rei possessionem capessendi, sed etiam ita est ea instituenda, ut cæteri præsumere possint, illo fine eandem fuisse susceptam. Fieri autem intelligitur apprehensio non solum quando corpus ad rem applicatur, sed sæpe etiam per signum aliquod ad id destinatum, quale est, acceptio clavium, quando v. g. aliquis ædes emit, aut merces in horreo repositas, & similia. Duplex porro deprehenditur possessio; *legitima*, quando in rem, quam tenemus, jus nobis existit, observatis quoque in eadem apprehendenda requisitis, si quæ fors à legibus positivis præscribuntur; & *illegitima*, quando nullum quis, aut non sufficiens jus obtinet in illam rem, quam in potestatem suam redegit.

Hæc iterum est vel *quieta*, quando nemo qualecunque jus possessoris in dubium vocavit; & *turbata*, quando idem jus protestationibus aut aliis modis in controversiam fuit adductum. Qualemcunque autem possessionem in civitatibus ille semper effectus sequitur, ut res possessoris videatur, donec de contrario manifeste constiterit. Per quam præsumptionem etsi interdum illegitimus quoque possessor sublevetur, deficientibus dominum arguentis vim probandi habentibus in foro civili, ubi non nisi per exteriora signa in rei veritatem pene-

penetrare datur; in univerſum tamen illud recipi publici boni intereſt, quod alias ex cujuſque libidine quilibet circa probandum poſſeſſionum ſuarum titulum fatigari poſſet. Quæ tamen præſumptio inter eos, qui ſolo jure naturæ inter ſe utuntur, non valet, quamdiu nulli ſe arbitro aut judici ſubjiciunt, quia iſti juris ſui firmitatem nemini tertio adprobare tenentur. Hinc poſſeſſoris conditio in foro civili ſemper melior eſt quam petitoris, quippe cum illi non incumbat niſi nuda probatio poſſeſſionis, quæ evidentiſſima & facillima; hic autem ad probationem juris teneatur, quæ longe intricatior & difficilior, manente quoque interim dominio & uſu rei apud poſſidentem, donec petitionis ſuæ jura judicibus adprobaverit. Ex quo patet etiam ratio vulgati illius JCtorum Romanorum; minus eſt actionem habere, quam rem. Scilicet etiamſi firmis fundatum probationibus jus habeas ad rem quæ ab altero poſſidetur, adeóque res illa aliquatenus tua cenſeri poſſit: tamen præterquam quod uſu rei tantiſper carere cogeris, in civitate quidem labor tibi incumbet judici jus tuum demonſtrandi, qui ſi forte corruptus injuſtam tulerit ſententiam, adquieſcendum utique erit; inter eos autem qui ſolo naturæ invicem jure utuntur, ancipiti Martis aleæ lis committenda. Contra quæ alteri perfecte debemus, etſi quamdiu ea nondum ſolvimus, inter bona noſtra adhuc aliquatenus locum obtineant, reverâ tamen noſtra non ſunt. Sic eum qui mille aureos habet, totidem autem debet, nihil habere; qui autem plus debet, quam habet, minus quam nihil habere haud abſurde dixeris. Unde lucem capit illud obærati cujuſpiam: Aliquammultis talentis opus eſt, ut nihil habeam.

§. 12. Proximum igitur eſt, ut diſpiciamus de origine proprietatis, modiſque adquirendi communitoribus. Ubi initio quidem illud ex Sacris Scripturis ſupponimus, concedente ac volente Numine factum fuiſſe, ut homo proprietatem ſibi & dominium in res non inanimatas

matas ſolum, ſed etiam animatas aſſereret. Terra enim naſcentia expreſſe homini in alimentum, quod citra conſumptionem eorundem fieri nequit, adſignata legimus. Nec minus in animantia aëre, terris, aut aquis habitantia imperium homini DEUS conceſſit. Quæ conceſſio, uti jam ſupra innuimus, non habet vim præcepti, ſed indulgentiam duntaxat privilegii quo quis uti, quouſque libet, poteſt, nec ad omnimodum ejuſdem exercitium tenetur. Alias enim in legem divinam peccaret homo, ſi vel animal quoddam, v.g. avem, piſcem, aut feram liberam dimitteret aut occaſionem eam in poteſtatem redigendi negligeret; quod nemo ſanus dixerit

§. 13. Iſta porro conceſſio dominii in animantia an infinitam homini poteſtatem largiatur, ita ut iſta etiam ob uſus non neceſſarios occidere poſſit, ex ipſa dominii natura non ſatis apparet. Nec enim hoc licentiam impune & pro lubidine necandi involvit; nec parcam fuiſſe divinam in ſe indulgentiam queri potuiſſent homines aut neceſſitatibus ſuis maligne proſpectum, etiamſi poteſtas in vitam animantium denegata iiſdem fuiſſet. Quippe cum opera eorum in excolenda terra, eorundem fructus alias ipſis inutiles, puta lac, pars ovorum, lana, &c. ſufficere hominibus ad vitam tolerandam potuiſſent Nec ſtatim ex eo, quod in ſignum cultus divini immolare ea juſſit DEUS, homo in eſcam eadem pro lubitu vertendi accepit poteſtatem. Poteſt enim homini aliquid ex peculiari DEI juſſu licere, quod alias ipſi haudquaquam erat licitum. Enimvero quia nuſpiam DEUM cædem iſtam animantium in hominis victum improbaſſe, ſed potius certas circa eandem leges tuliſſe deprehendimus, recte eam ipſius voluntati non adverſari concludimus.

§. 14. Quod ſi vero merum jus naturæ conſulimus, id ſane cum hominibus vitam tuendam commendet, quæ ſine uſurpatione & conſumptione ſaltem vegetabilium

lium conservari nequit; indulsisse utique intelligitur ea usurpare & consumere, sine quibus vitam homo tueri haud valet. Præsertim cum pleraque eorum citra ipsius operam aut non nascitura fuerint, aut etiam absque hominum consumptione alias citra ullius usum sint peritura. Idem de inanimatis animantium fœtibus plerisque judicandum, puta, pilis, lana, lacte, ovis, item ad speciei propagationem non necessariis. Ast vero licentia animalibus mortem per vim inferendi, eaque in cibum convertendi, ex moro jure naturæ non ita liquido apparet. Quæ causa est cur antiquorum Philosophorum non pauci cædes istas improbaverint. Cur enim vitam ab eodem Creatore datam homo superfluæ voluntatis causa eripiat innoxio animanti? Præsertim cum ne leonum quidem, aut luporum, aliorúmque carnivorarum exemplis belluarum sese excusare queat. Has enim ita natura formavit, ut non nisi cruento victu tolerare vitam queant, & terrestres refugiant cibos; quod in homine secus est. Nec sane alia de causa fabulam illam suam de metempsychosi Pythagoram finxisse crediderim, quam ut isthoc velut terriculamento suos à cædibus animantium absterreret, verentes scilicet, ne in porcina aut bubula cognatas carnes violarent. Ac in propatulo est, truculentiam hominum primitus animantium cædibus velut irritatam aut duratam, post in ipsos homines prorupisse; & queis pro delectamento erat innoxias feras conficere, proximum erat in imbecilliores homines & injuriis patentes ferrum stringere. Præcipua igitur ratio defendendi cædes bestiarum ex jure naturæ hæc videtur esse, quod nullum hominibus illisque jus nullaque obligatio invicem intercedat, nec etiam per naturam intercedere debeat; eo quod hæ obligationis ex pacto oriundæ, quæ vinculum est juris pluribus communis, non sint capacia, saltem adversus homines. Ex quo defectu juris communis sequitur status belli inter eos, qui se mutuo lædere possunt, & pro-

babilibus de cauſis velle poſſe intelliguntur. Quo in ſtatu cuique facultas eſt, alteri quicum ipſi bellum, quæcunque velit & poſſit, inferendi. Et hic quidem ſtatus in immanibus belluis clare eluceſcit, quæ ubicunque occaſio datur, non in alia duntaxat bruta, ſed in ipſos etiam homines ſæviunt; queis ſi quis ab hominibus parci velit, deteriore hos conditione, quam illas, eſſe poſtulet. Cicures autem beſtiæ uſibus ſeſe hominum præbent non ex aliqua obligatione; ſed vel illecebra victus captæ, vel vi coërcitæ, quam ubi removeris, mox in libertatem ſuam abibunt, nonnullæ etiam in ipſum hominem inſurgent. Nec illud nihil ad rem facere videtur, quod, cum alias innocuæ iſtæ beſtiæ aliarum rapacium prædæ atque lanienæ ſint expoſitæ, melior potius quam deterior illarum redditur conditio per hoc, quod homines tantum ſibi in eas poteſtatis aſſeruerunt; quippe qui & de pabulo ipſis velut in compenſationem proſpiciunt, & contra incurſus belluarum eaſdem defendunt.

§. 15. Cæterum jus naturæ uti homini poteſtatem conceſſit ſibi vindicandi & uſurpandi ad vitam neceſſaria; quæ poteſtas etiam ad ea extenditur, quæ quocunque modo uſum aliquem præbent, modo non jus aliquod in re uſurpanda, vel in tertio aliquo exiſtens adverſetur: ita modum poteſtatis, ejuſque intenſionem & extenſionem arbitrio ac diſpoſitioni hominum reliquit; ſcilicet an certis, an vero nullis limitibus eam circumſcribere; item an cuilibet in quælibet, aut certam duntaxat rerum partem eam velint competere, an vero ſuam cuilibet aſſignare portionem, qua contentus in reliqua nihil ſibi juris queat tribuere. Etſi pax & tranquillitas humani generis, quam jus naturæ præprimis intendit, haud obſcure innuant quidnam hoc ab hominibus conſtitui naturæ ſit quam convenientiſſimum. Nam ut cuilibet in quælibet æqua poteſtas pateat, ſeu ut quælibet res cujuſlibet uſui ac diſpoſitioni ſit expo-

expoſita, vel, quod eodem recidit, ut omnia omnibus ſint communia, pax humani generis, ſaltem poſt ejus multiplicationem non admittit. Paratiſſima quippe belli occaſio duorum pluriúmve circa eandem rem concurrens appetitus aut indigentia, ac nemo ferre velit, in rem ipſius cura productam alterum tantundem, quantum ipſe, ſibi juris velle adſcribere; ut cætera incommoda ſicco tranſiliam pede. Id igitur ſuadebat natura, ut ob conſervandam pacem de iis rebus, ex quarum promiſcua uſurpatione probabiliter lites erant orituræ, cuique certi quid aſſignaretur, in quod alter nihil ſibi juris vindicare poſſet. De reliquis, quorum uſus inexhauſtus, in mero hominum arbitrio per naturam, quid diſponere placeat, fuit relictum. Nec vero talis unquam ſtatus extitit, ſaltem poſtquam in plures familias homines diſceſſere, ut omnia eſſent omnibus communia. Nam quæ Poëtæ de aureo ſeculo fabulantur, vel de ſtatu hominis in Paradiſo ſunt detorta, vel liberalitatem & humanitatem priſcorum hominum innuunt, qua cuivis indigenti rerum ſuarum uſum largiter indulſerunt. Qua ratione hodiéque amicorum omnia communia dicimus. Nec tam ſolicite campum ſignari limite neceſſe erat, cum ejuſdem laxitas hominum paucitati abunde ſufficeret. Huc denique ſumma dictorum redit, res conceſſu D a 5 & nullo in natura ſua repugnante obſtaculo velut ſeſe præbentes, urgente etiam neceſſitate, primum ſibi hominem vindicaſſe; quas multiplicatis poſt hominibus diviſim poſſideri à ſingulis per partes cum excluſione cæterorum natura ſuaſit, ad evitanda ex communione oriturа incommoda: quarum actualis diviſio ſingulis certæ rerum portionis dominium conferens pactis hominum tacitis aut expreſſis eſt firmata: adeóque proprietatem, quatenus infert diviſionem rerum in plures dominos excluſivos aliorum ſuaſit natura, actualiter autem pacta hominum conſtituerunt.

§. 16. Ex dictis apparet, si merum jus naturæ spectemus, primis rerum dominis solam suffeciſſe *occupationem*. Cum enim nullum jus impediret, quo minus res tam animatas quam inanimatas in uſus ſuos dicaret homo, nihil reliquum erat, quam ut actu eas ſibi vindiret. Iſte modus hodiéque locum habet in iis rebus, quæ ducuntur pro derelictis, i.e. quæ vel nemo unquam ſibi aſſerere voluit, vel quæ prior dominus abjecit, aut caſu aliquo amiſit citra animum recuperandi. Qui animus præſumitur ex verbis & ex factis, puta, quando res abjicitur, niſi ſors temporum cauſa, & ut iterum requiratur id factum; aut quando quis ſciens cum altero rem olim ſuam poſſidente, tanquam cum domino de eadem contrahit. Idem quoque ex non-factis intelligitur, ſcilicet quando quis ex nulla probabili cauſa intermittit, quod ad recuperandam rem illam commode facere poterat. Quo minus autem ad ejuſmodi res alii quoque homines velut ad communem hæreditatem concurrere poſſint, in cauſa eſt, quod jus in res per modum hæreditatis in alterum tranſituras velut per manus non interruptum à priori domino ejuſdem voluntate expreſſa aut præſumpta tradatur: in hiſce autem rebus vel nullius omnino jus actu extiterit, vel à priori domino in alterum non derivatum omnino expiraverit, ut nemo in id jus ſibi peculiariter aſſerere queat, niſi qui de integro peculiariter id quæſiverit. Cum enim à primis relictam hominibus hæreditatem poſteri cernerent, præter principale pactum, quo quilibet hæredum, accepta ſua portione, prætenſioni in cætera renunciavit, aliud quoque pactum tacite iniviſſe cenſeri debent ut, cum ipſi univerſalem velut orbis hæreditatem adierint, quidquid expreſſe alicui tunc non fuiſſet aſſignatum, ſaltem per modum univerſitatis id in poſterum prius occupanti cederet. Quale pactum ad evitandas lites deinceps aliàs obortiuras neceſſario intelligendum eſt. Etſi per occupationem haudquaquam vindicari poſſint ab uno aliquo

res, quæ tacito gentium consensu ita pro derelictis sunt habitæ, ut ne quis eas sibi proprias citra earundem indultum tribuere posset; quod de vasto Oceano à litoribus remoto supra dicebamus. Solo igitur occupationis titulo, si concessionem DEI removeas, potestatem in res omnes accepit primus homo, nec ullo præterea opus fuit, quippe cum nemo extaret, cujus jus ipsi impedimento esse posset. Nec eo minus in omnes res dominium ipse adquisivit, quod actu possessionem omnium rerum capessere, eásque ad usum suum adplicare nequiverit. Sufficit enim, ut dum aliquam rerum partem corpore apprehendit, cæteras animo complexus fuerit, eásdem quoque adprehensurus, cum usus tulerit. Uti qui unum duntaxat conclave palatii intravit, totum occupasse, ac in rebus per universitatem ad aliquem devolutis, qui partes aliquas duntaxat adprehendit, universarum possessionem cepisse judicatur. Atque idem jus suffeciſſet, etiamsi plures simul homines à DEO fuissent creati. Pactum enim, quod tunc circa divisionem rerum ob servandam concordiam inire necessum habuissent, novum titulum aut jus ipsis non dedisset, sed commune duntaxat jus certis limitibus circumscripsisset, ac ratam cuique partem adsignasset. Quippe cum tale pactum circa res jus aliquod in eásdem omnino præsupponat.

§. 17. Abs primo homine dominium illud in res variis titulis derivatum in posteros & conservatum fuit: ita tamen, ut in isto fuerit indivisum & ex omni parte illibatum atque irrestrictum; in his autem propter pluralitatem eorum, qui æquali jure gaudebant, haudquaquam unus in totam hæreditatem potuerit succedere, sed in plures partes res fuerint dividendæ. Ac cum multiplicati post homines in civitates discesserint, penes has fuit effectus proprietatis determinare, certisque includere limitibus; puta, ne certam rei speciem cuilibet usui cuivis adhibere liceret, item, ut ne cuilibet eo quo vellet modo res suas alienare concederetur, & similia.

milia. Eorum porro titulorum, queis à primo homine in posteros qua tales derivatæ fuerunt res, potissimum duo sunt: *Donatio à vivo facta. & in defuncti jus successio*, seu hæreditatis aditio, eáque vel ex testamento, vel ex intestato. Partem bonorum à vivo adhuc patre in liberos transfusam satis patet ex longævitate primorum hominum, quæ tanto temporis spatio sine peculio vixisse filios credere nos non sinit, & ipsa historiæ sacræ fides reclamat. Abelem enim & Cainum de suo sacrificasse DEO legimus. Sic postquam deinceps totius terræ dominium ad Noachum rediisset, in tres ipsum filios tres orbis partes distribuisse, probabiliter traditur.

§. 18. Circa hanc autem donationem & velut assignationem peculii observandum, non necessum fuisse, ut pater uni liberorum præcise tantundem attribueret, quantum alteri, nec peccasse in legem naturæ, si uni plus, alteri minus dederit, modo huic dederit quod necessitatibus ipsius posset sufficere. Etsi posterorum hujus, prout probabiliter eorum multitudo conjici poterat, rationem duci par fuerit, ne post per vim indigentiæ suæ prospicere necessum haberent. Alias non nisi ad necessaria liberis suppeditanda parentes natura perfecte obligat. De reliquis autem uti commodissimum quidem est invidiæ inter liberos prohibendæ, si inter æquales & æqualiter meritos liberos æqualia pater distribuerit; ita recte nihilominus in multis civitatibus potuit constitui, ut ad servandum familiarum splendorem pleraque bonorum primogenito soli cedant, nec filiæ, utpote in alias familias transeuntes æqualiter cum filiis de quibusvis bonis participent. Nec sane cæteris liberis fit injuria, si uni aut alteri parens eximii quid præ istis, ob certas in ipso causas, aut ob solam animi peculiarem propensionem tribuerit. Idem quoque circa testamenta valet. Nec de jure naturæ querela inofficiosi testamenti locum habet, nisi ubi non ex præcedente delicto ne necessaria quidem

quidem filio pater legavit. Filiis enim in bona parentum, durante adhuc ipsorum jure, non jus, sed aptitudo duntaxat competit, saltem quantum ad necessariam eorum sustentationem requiritur, quæ aptitudo eundem cum jure effectum habet, quando necessitas urget; qualis hoc in casu datur, quippe cum alias ipsi sit pereundum, aut vita misere toleranda. Potest igitur tali ratione præteritus filius vel judicio repetere à cæteris cohæredibus suam portionem, si in civitate extiterit, aut vi, si extra eandem. Quod si vero ex intestato est succedendum, sine dubio, qui æquali cognatione defunctum attingunt, æquales quoque partes de illius bonis capiunt, ubi positivæ leges diversum quid non statuunt. Pro æqualibus autem & illa habentur, quæ quis pro sua portione ipse consensu cæterorum elegit, aut à cohæredibus assignata approbavit, aut sorte accepit, etiamsi fors reliquis portionibus in se pretio paria non fuerint.

§. 19. Sunt præterea modi complures, quibus res ab uno ad alterum transit non tanquam in hæredem suum, qui commode dividi possunt in modos seu titulos *lucrativos*, & *onerosos*. Inter illos est Donatio, quando alteri ex mera liberalitate aliquid, quod absque iniquitate omitti poterat, citra stipulationem alterius rei aut operæ velut necessario exhibendæ datur. Ejus species sunt Eleemosynæ seu stipes, quæ in pauperes & calamitosos distribuunrur. Huc pertinent etiam præmia, quando alicui quid datur intuitu quidem præcedentis operis, sed non velut in compensationem mercenariam, verum tanquam ex libera quadam munificentia, ad ornandam ipsius virtutem, & eandem, cæterorúmque, ulterius extimulandam. Tali modo transeunt quoque Hæreditates quævis sive ex testamento sive ex intestato. Quibus tamen vix annumerare possis Fideicommissa, & quæ cum his cognationem habent, puta quando hæreditas tota in certos usus à testatore designatos est impendenda.

His

His enim proprie non adquiritur aliquid, ſed non niſi mandati onus, iiſdem in alios transferendis, ſuſcipitur. Ubi notandum, quemadmodum de jure naturæ nemo tenetur adire hæreditatem quæ debitis eam ſuperantibus eſt onerata; ita de eodem jure, ſi adierit, non tenetur de ſuo ſupplere, qua hæreditas non pertingit. Aſt ubi leges civiles in hæredem omnia teſtatoris debita ſolvenda devolvunt, non ex teſtamento & voluntate defuncti, ſed ex proprio conſenſu ad ea tenebitur. Etſi in jure Romano ſervus obærati domini neceſſarius fiebat hæres, non ut de ſuo quidquam impendere cogeretur, ſed ut auctionis ſub ſuo nomine factæ ignominiam ſuſtineret, in cujus compenſationem libertate fruebatur. Sub hac claſſe veniunt quoque Legata, quando alicui non tanquam primario hæredi certa bonorum portio teſtamento relinquitur. Item Dotes, quæ ex cauſa matrimonii ad virum per uxorem deveniunt; ut & donationes propter nuptias, quæ à ſponſo in ſponſam conferuntur, & ſimilia. Tali quoque modo adquiruntur, quæ pro derelictis à priori domino habita à primo inventore occupantur. Sub quo cenſu theſauri, è naufragio in littus ejecta, in itinere & alibi amiſſa hactenus comprehenduntur, ſiquidem priori domino deſit animus recuperandi. Alias enim etſi improviſo caſu aliquo rei meæ poſſeſſio aliquantiſper interrupta ſit; non tamen jus mihi in eam perit, niſi neglectu inquirendi, aut alia ratione, ejuſdem velut abdicationem ſignificavero. Unde bene conſulunt conſcientiæ ſuæ, qui inventionem ejuſmodi rei quam à domino pro derelicto habitam ex certis circumſtantiis colligere non poſſunt, publice promulgari curant. Quod maxime locum habet in rebus per jacturam aut naufragium, vel in itinere amiſſis. In theſauri autem inventione id adeo neceſſarium non eſt. Quem enim quis in proprio effoderit ſolo, eum tantiſper recte poterit retinere, donec alius ſe legitimum ejus dominum probaverit, cauſáſque probabiles occultationis

nis & dissimulationis ad id usque tempus attulerit. Nam abs quo ager vel domus ad præsentem dominum rei inventorem pervenit, non præsumitur sciens reliquisse in eo abs se repositum thesaurum, cum agrum vel domum alienaret; uti nec ille, qui in alieno solo tale quid inscio domino occultaverit, rei suæ vindicandæ occasionem amisisse, ubi probabilis metus erat, ne in alterius manus illa perveniret. Aſt vero qui in alieno solo thesaurum offenderit omnino id saltem domino fundi indicare tenetur. Ad hunc enim res solo ipsius contentas pertinere communiter præsumitur. De quibus tamen rebus leges positivæ diversis in locis diversa statuunt. Lucrolo denique titulo adquiritur præda, quam de rebus hostium præter stipendium milites indultu Ducis agunt. Alias enim ad principaliter belligerantes pertinet, quidquid bello capitur, quibus etiam incumbit de præda pensare, quidquid ante bellum aut in eo suis damni ab hoste illatum fuit. Milites autem stipendiis suis, aut quæ illorum vicem supplent contenti esse debent; si quid de præda ipsis conceditur, liberalitati Ducis imputabunt.

§. 20. At vero oneroso titulo parantur militibus stipendia, aut quæ in illorum locum adsignantur. Ut & omnia illa, quæ per pacta onerosa aut contractus nobis accedunt, puta, pretio, re æquipollenti, labore aut opera parta, etiamsi non omne prorsus lucrum heic abfuerit. Sic oneroso utique titulo rem faciunt mercatores, etsi merces pluris vendant, quam ipsi emerunt. Lucro enim respondere censentur labores & pericula advehendi & tractandi merces. Qua ratione etiam usura pecuniarum in fœnore locatarum huc pertinet, scilicet quia illæ, dum alterius usui commodantur, præter periculum pereundi, ad alios ipsi usus fructuoso impendi nequeunt. Immo & pecunia vel res sponsionibus, urnis, quas vocant, fortunæ, aut quovis ludo partæ. Nam & circa ista omnia contractus intercedit, & æquali periculo

res

res vel pecunia mea, quam alterius, fuit exposita. Quamvis ejusmodi contractus alicubi leges civiles omnino prohibuerint, aut judiciorum subsidia contra eos, qui illis stare nolunt, denegaverint. Nec minus cum onere adquirunt Principes, quæ ex reditibus imperii fiscus in personas aut familiam ipsorum impendenda accipit. Ea enim dantur in qualemcunque compensationem curarum & laborum pro Rep. suscipiendorum. De cæteris autem reditibus, quæ in publicos usus impenduntur, non nisi administratio & distributio ipsis est relicta, adeóque ea ipsis adquiri, cum in ærarium inferuntur, proprie non dicuntur. Sub hanc classem veniunt & ea, quæ bello justo hostibus extorquentur. Etsi enim, qui mihi justam bellandi causam dat, jus quoque quantum in se det omnia ipsius occupandi, quamvis fors longe damnum ab ipso datum excedentia, (uti alicubi ostendetur,) adeoque posita justa bellandi causa ad ejus res mihi adquirendas præter occupationem nihil amplius requiratur; quia tamen, præterquam quod in pensationem accepti damni imputantur, ista occupatio non potest fieri sine impensis, periculis & laboribus, ut taceam ancipitem Martis aleam, onerose ejusmodi res transire censentur. In bello autem nostræ fiunt res hostium, mobiles quidem, quando intra præsidia nostra fuerunt adducta; immobiles autem, etiamsi ad tempus sub nostra potestate teneantur, non nisi tunc, quando ita à nobis sunt occupatæ, ut pro tempore hostibus ad eas accessus non pateat. Quieta tamen earundem possessio demum obtinetur, quando vel hostes penitus sunt deleti aut dissipati, vel pacto quoque sua in eas prætensione cesserunt. Heic porro notandum, si inter res hosti ereptas fuerint quædam tertio cuipiam itidem bello extortæ, siquidem hic earum persecutionem intermiserit, atque secundo quietam possessionem reliquerit, non posse eum ab ultimo occupatore res illas repetere. In remenim justo ablatam bello omne simul jus amisisse

se intelligor. Idem contingit, quando jus meum in rem quoquo modo ereptam ipse expirare patior neglectu recuperationis aut saltem protestationis de injuria, vel transactione cum ereptore. Nec obligatio restituendi rem injuste ablatam ab ereptore in ultimum occupatorem transit, eo quod ista obligatio in persona illius hæreat, nequaquam autem rem comitetur, quam primus possessor jam pro derelicto habuit. Quod si vero primus possessor jus suum conservavit, recte poterit rem ab ultimo occupatore repetere, ita tamen, ut ipsi pro labore in recuperanda ea exhausto satisfacere teneatur.

§. 21. *Hi* sunt fere modi, quibus vel per universitatem, vel tanquam singulæ res adquiruntur, uti pro tempore in rerum natura existunt. Ille præterea modus adquirendi quam maxime naturalis est ut rei nostræ incrementa & fructus naturales & artificiales seu industriæ, & quævis ejusdem in melius evectiones nobis accedant. Qui quidem modus quam latissime patet, & omnium fere frequentissimus juxta ac fœcundissimus est, utpote cum pleræque res aut incrementa naturalia capiant, ejusque generis fructus producant; aut per industriam humanam meliora, auctiora & fructuosiora queant reddi. Sunt autem incrementa fructúsque rerum vel mere naturales, vel mere artificiales, vel mixti. Ad primam classem referri possunt arbores plantæque aliæ citra culturam hominum è terra enascentes, earúmque fructus ad sui productionem labore & industria hominum non indigentes. Cui accensere quoque possis Alluvionem hactenus, quod citra operam humanam fiat, adjungente vi fluminis partem soli aliunde derasam, & quidem tacitis incrementis, alterius fundo. Eam domino fundi accedere intelligitur ea maxime de causa, quod nemo certo possit demonstrare, hoc & non alibi partes de suo fundo detractas fuisse adjectas: item quicquid adpositum, de suo solum agro, & non aliunde esse. Tertiæ classi

classi subjiciuntur illa incrementa & fructus, in quibus tam operatio naturæ, quam industria & opera hominum concurrunt. Uti sunt quælibet segetes cultura hominum promotæ, arbores quæ per insitionem silvestrem naturam exuunt, earúmque fructus. Item fœtus fructúsque animalium, quæ ab hominibus aluntur, vel quorum fœtus fructúsve citra humanam operam aut non producuntur, aut eadem sunt sustentandi. Voco autem fructus animalium lac, lanam, pilos, plumas, dentes & cornua caduca, & similia. Secundæ classi attribuimus illas res quæ per solertiam humanam induunt formam certis usibus aptam, uti sunt omnia fere circa quæ opificum & artificum occupatur industria, quæ rudia velut naturæ beneficia in expeditissimos vitæ humanæ usus concinnare suevit.

§. 22. Heic quoque non incommode subjicitur, quod alias inter JCtos disceptari solet, de confectione speciei ex materia aliena, forma artificialis sequatur materiam, an hæc illam? Quam controversiam etsi lex civilis pro imperio dirimere potuit, distinguendo inter species, quæ ad priorem formam reduci possunt, & quæ non possunt, ita ut in illis forma cedat materiæ, in his contra: tamen jus naturæ solum sequentibus dispiciendum, utrum quis industriam suam in elaboranda materia aliena posuerit vel ex errore, vel ex præsumpta probabiliter voluntate domini materiæ; an vero ex dolo & cum intentione materiam hac ratione intervertendi? & deinde materia an artis pretium pluris sit? Qui enim sciens dolo malo materiæ meæ novam induxit formam, ut eam hac ratione interverteret, is nec in materiam quid juris adquisivit, nec magis à me laboris sui mercedem postulare potest, quam perfossor parietum, quod operose novum ostium in ædes meas fuerit molitus. Quod si per errorem non ex supina prorsus incuriâ contractum id fecerit, siquidem alias ea materia aliunde facile possit reparari, vel domino non adeo fuerit necessaria, aut exteroquin

teroquin venalem eam habuerit, adhuc optio est penes dominum, utrum accepto pretio materiæ rem ipsi relinquere, an soluta operæ mercede eam ipse retinere velit. Nam absurdum foret, errorem alterius in rem meam invito me jus posse generare, quod juri meo præponderet, præprimis ubi opera ipsius materiæ pretium non excedit. Sic cur is, qui ex olivis, uvis aut frumento meo per errorem velut ex suis oleum, vinum, aut panes presserit vel coxerit, validius quam ego jus habeat? aut cur illi potius quam mihi optandi sit prærogativa? præsertim ubi, quod sæpe contingit, ejusmodi rebus carere nec possumus nec volumus. At vero ubi materiæ pretium ad formam nullam fere proportionem habet, uti sit in tabulis pictis, automatis ex materia minus pretiosa, v.g. ære, ferro, lignis confectis, omnino æquitas postulat, ut accepto pretio materiæ dominus rem artifici cedat, quippe cum ejusmodi materiæ ita fere sint comparatæ, ut restituto pretio nihil domino damni emergat. At quæ ex voluntate probabiliter præsumpta huic fuere facta, perinde valent, ac si expressa domini voluntas affuisset. Sic v.g. si ex ære alterius, quod alias venale prostabat, statuam confecero, aut aliud quidpiam, postquam probabilem attulero rationem, cur ipso inscio rem suam usurpaverim, ac pretium obtulerim, non potest me jure cogere, ut eam rem ipsi relinquam. Ubi vero quis in alieno solo ædes struxerit, frumentum sparserit, arbores plantaverit, nihil inde in solum juris adquirit, nec dominum soli adigere potest, ut omnino materiæ ac laboris mercedem solvat, quippe cum ejusmodi casus fere non nisi ex supina & crassa incuria contingere queat. Et ædificium quidem, qui struxit, dirnere iterum, & materiam tollere, sibique vindicare potest; ita tamen, ut si ea structura solum deterius sit factum, id sarcire teneatur. Arborem autem segetémque haudquaquam ita auferre, sibique retinere potest, eo quod ex solo alimenta trahant;

hant, & dominus impeditus fuerit, quo minus sua in istorum locum fuerint posita. Si tamen ab altero dolus abfuerit, æquum est dominum soli tantum ipsi restituere, quantum ex alterius arbore vel segete solum suum melius fuerit redditum.

§. 23. Restat, ut de modis adquirendi spuriis dispiciamus, qui ad duo præcipua capita possunt revocari, *Vim & Fraudem*, quando scilicet aliquis, legitima possessione destitutus, alteri vel vi extorquet, vel per fraudem & clanculum subducit id, in quod ipsi nullum jus competit, ita ut alterius jus lædatur. Ubi duo notanda, 1. Sæpenumero fieri, ut quis in rem aliquam, quæ penes alterum est, jus habeat, puta, quando ipsi eadem vel tantundem debetur; qui tamen in civitatibus non recte judicatur ad eam perveniſſe, quando privato sua per vim aut clam sibi eam vindicat. In his enim constitutum est, ut nemo civium id, quod sibi debetur, privata autoritate invito concivi extorqueat, sed subsidio Magistratus utatur. Etsi mero jure naturæ quovis modo id, quod mihi debetur, adserere mihi possim ab eo, qui sponte id tribuere renuit. Et inde vim heic in civitate adhibens, non furti aut raptus crimen, sed violatæ pacis & concussionis admittit. 2. In alterius bona alicui posse esse jus vel perfectum & velut anceps, vel quasi μονόπλευρον. Illud est, quando revera ex acta aliquo præcedente in rem quampiam mihi jus est quæsitum, ita ut alteri quoque sit obligatio eam mihi tribuendi. Hoc est quando ego quidem citra injuriam rem aliquam mihi vindicare possum, ita tamen, ut in altero non sit obligatio eam mihi tribuendi. Id quod contingit in bello, ubi ille, abs quo injuria proficiscitur, non nisi damnum originarium & inde pullulans, quod dedit, restituere tenetur: Quia tamen idem quantum in se, communionem juris cum altero rupit, læsóque potestatem contestit in se, & sua in infinitum, (uti inferius explicabitur,) læsus citra injuriam alterius bona quantacunque

cunque quovis modo ſibi vindicare poteſt, etſi alter nequaquam teneatur ea ipſi ſponte offerre aut concedere, ſcilicet illa, quæ ſupra damnum abs ſe datum ſunt. Prorſus ut inter duos, qui mutuo conſenſu in pugnam deſcenderunt, uterque alteri plagas inferendi poteſtatem habet, neuter vero ſe ictum intentanti ſponte præbere tenetur. Iſte modus adquirendi etſi cum injuria non ſit conjunctus, adeóque illegitimus ſimpliciter non ſit pronunciandus; non tamen ulterius natura ejus uſum indulget, quam belli, quod ſubſidiaria velut ratione, ubi pace uti non licet, ſecuritati hominum ſuccenturiatur.

§. 24. Speciatim autem modorum adquirendi ſpuriorum varia dantur nomina. Sub priori claſſe cenſentur rapina, latrocinium, piratica, abactus, &c. ſub poſteriori furtum, peculatus, ſacrilegium, & quævis defraudatio in contractibus. Enimvero illud altioris eſt indaginis, an vitium quod rei adhæret ex ſpurio adquirendi modo non poſſit corrigi per ſubſequens factum, vel etiam ſolo temporis tractu? Et num etiam vitium adhuc maneat, quando ad tertium bono titulo pervenit? Ubi illud certum eſt, quamdiu res injuſte erepta apud primum ereptorem permanſerit, vitium ſemper illi adhæreſcere, quamdiu à priori domino non fuerit deletum, quantocunque temporis ſpatio eam poſſederit. Solum enim tempus in ſe neque vitium tollere, neque novum jus producere poteſt, quippe quo duntaxat continuatur vitium aut jus, quod initio adfuit. Moribus autem gentium introductæ & in pleriſque civitatibus receptæ fuerunt uſucapiones & præſcriptiones, quarum vi intra certum temporis ſpatium, bono titulo, bonâque fide parta, & quiete poſſeſſa res tali jure poſſideri judicatur, ut tertii prætenſio, alias legitima, locum amplius non habeat. Idque tum quia nemo præſumitur rem ſuam tamdiu apud alterum ſciens voluiſſe permanere, cum commode eam vindicare poſſet, nulla ſaltem conteſta-

tione juris sui facta, per quam integrum jus servatur, nisi ipse eam pro derelicto haberet, & alterius possessionem approbaret; ac digna videbatur istius rei jactura tam dissoluta negligentia: tum ut litium infinita seges suffocaretur, quas excitari necessum foret, quando tanto post tempore à quarto aut quinto possessore, qui ad eam rem justo, ac fors oneroso quoque titulo pervenit, eadem repeteretur; præsertim cum plurimi casus incidere possint, quibus hic impediatur, quo minus ab ereptore damni sui refusionem obtinere queat. Nec obstat, quod res mea non possit sine facto meo in alterum transferri, aut quod nemo alterius jactura locupletari debeat Nam heic non-factum, id est, supina negligentia circa vindicias sui juris habetur pro facto, nec pro jactura æstimatur, quam sibi quis inferri ipse voluit. Voluntas autem heic ex tam diuturno silentio præsumitur. Inde in conscientia quoque tutus est, qui rem usucepit. Nam ante tempus usucapionis bona fide possedit, quod supponitur; post autem, si in civitate vivat à lege quoque civili id ipsi adjudicatur, quæ prioris domini prætensionem prorsus extinguit; id quod inter illos, qui civitate eadem non comprehenduntur, ipsa naturalis æquitas præstat. Porro uti jure naturæ, qui damnum alteri vi aut dolo dedit, ad sarciendum id tenetur; ita, cum quilibet suo juri possit cedere, vitium rei expirat, cessatque obligatio restituendi apud eum, qui damnum dedit, quando is, cui datum est, id condonat alteri sponte, nec metu ulterioris mali aut molestiæ, seu, ut vulgo loquuntur, ad redimendam vexam; & quidem ut alteri facultas sit rem suam recuperandi, si velit, & ereptori voluntas rem repetitam vi non defendendi. Nec interest, utrum ista condonatio expresse fiat, an tacite, scilicet dissimulando, & cum commode possis controversiam non movendo, vel per insigne temporis spatium nulla edendo signa, ac si in rem illam adhuc aliquid juris velis prætendere. Inde si v.g. is cui quid ereptum est decedat,

decedat, & cum cætera bona sua expresse designata ad hæredes transmitteret, rei ereptæ nullam fecit mentionem, videtur eam pro derelicta habere, adeóque hæredes à præsenti possessore eam repetere nequeunt. Ut tamen tacita ista condonatio conscientiæ satisfaciat, omnino requiri videtur, ut priori domino quocunque modo innotescat, possessorem ad restituendam rem paratum esse, si ipse eam reposcatur.

§. 25. Quod si vero erepta injuste res bono titulo pervenerit ad tertium, qui alterum injustum ejus possessorem efficaciter ignoraverit; (nam qui sciens v.g. rem furtivam emerit, vitium adquisitionis in se quoque derivat, adeóque ad restituendum tenetur, & is, cui res erepta, eam vindicare eodem modo quo ab ereptore potest;) ubi cui ea subtracta fuit in ipsam forte inciderit, quæritur, utrum statim rei suæ manus possit injicere, & tertium istum possessorem ad exhibendam eam lite pulsare, relicta huic actione de sarciendo damno adversus eum, qui vitiosam ejusmodi rem alteri alienaverit: an vero omisso possessore tertio ereptor ipsi sit invadendus, ut rem restituat vel in pretio, vel in natura, transactione cum possessore tertio instituta? Ubi etsi multis in locis leges positivæ illi faveant, cui res erepta, manúsque injectionem in rem, ubicunque inventa fuerit, concedant; merum tamen jus naturæ sequentibus probe dispiciendum, an per aliquam negligentiam ignorantia circa vitium rei istius fuerit contracta, an vero minus. Quod si enim tertius possessor non modo nihil de vitio rei percepit, sed etiam neque ex conditione rei, neque venditoris probabiliter id suspicari potuit, puta, quando publica est præsumptio, talem hominem tales res bono posse titulo possidere; non videtur ipsum immediate esse conveniendum, sed ereptori soli negotium facessendum. Cum enim iste modo communiter recepto rem istam adquisiverit, nec vitium nosse potuerit, nulla adparet ratio, quare ipse vel dicta re ci-

tra compensationem spoliari debeat, vel onere pensationem damni à venditore suo extorquendi gravari potius, quam alter, qui rem suam persequitur. Vitiositas enim adquisitionis in talem possessorem cum effectu aliquo non transiit; eo quod ejusmodi vitia rebus adhærentia, & ex iis in personas resultantes obligationes in tertiam personam derivari nequeant citra ipsius factum aut omissionem culpabilem, qualis hoc in casu non datur. Ast vero aliter sese res habet, ubi vel rei vel personæ conditio probabilem suspicionem gignit, rem istam vitiose partam; vel si interdictum sit, ne quis à talibus personis quid emat; qualia edicta non raro in bello circa milites promulgantur. Heic enim culpa intermissæ inquisitionis debitæ circa rem, nullam ipsi exceptionem relinquit, quo minus prior dominus ad rem suam via, qua fieri potest, brevissima perveniat.

§. 26. Amittimus autem proprietatem & jus in res, quando eas vel pro derelictis habemus, vel quacunque ratione alienamus seu in alterum transferimus. Id quot modis contingat, ex modis adquirendi facile est colligere. Quandocunque enim alter legitimo modo adquirit, quod nostrum fuit, aut nos quacunque ratione jus nostrum in rem irrevocabiliter in alterum transferimus, tunc nostra esse ea res desinit. Per mortem autem, etsi quis inter homines esse desinat, ac eo ipso in personas & res omne ipsius jus expiret; quia tamen inconveniens videbatur, quæ quis per omnem vitam tanto labore adquisivisset, ipso defuncto pro derelictis haberi, ita ut cuilibet ea sibi vindicandi facultas esset; moribus gentium introductum, ut etiam illa bona, quæ quis, dum in vivis erat, nondum in alterum transtulisset aut alienasset, ad eum pervenirent, quem defunctus voluerit. Voluntas ista est vel expressa, vel præsumpta. Hæc locum habet in successionibus ab intestato, ubi quis sine testamento decessit. Tunc enim præsumptio volun-

luntatis defuncti ordinarie illis favet, qui sanguine ipsum proxime attingunt, Inter quos proximus quisque validissimum habere jus intelligitur. Expressa autem defuncti voluntas percipitur ex testamento, codicillis, aut quocunque nomine ultimæ illæ dispositiones veniant, quibus alienantur res in eventum mortis, ante eam revocabiliter, retento interim pleno, quod antea adfuit, in rem jure. Unde harum non est hic effectus, ut statim atque per signa sunt conceptæ & expressæ, proprietas rerum ad hæredem transeat, ususfructus autem ad vitam penes testatorem resideat, sed ut omne dominium penes hunc maneat, jus autem hæredis à morte demum hujus initium capiat. Cujus rei evidens est indicium, quod etiam post conditum testamentum res alienare, imo prorsus hæredes juxta ac testamentum mutare testator queat, prius scripto hærede nequidquam ringente. Cæterum etsi naturalis æquitas & ordinarius adfectus, (qui tamen non facit, ut irritum sit, quidquid contra est factum,) suadebat, ut quis bona sua liberis potius suis aut cognatis relinquat, quam alienis, nisi insigni vitio isti indignos sese reddiderint: tamen cum tanquam naturale debitum nihil à parentibus requiratur, quam ut liberos pro facultatibus bene educari curent, quousque ipsi bene sibi prospicere queant; in arbitrio situm est cujusliber, remota legum civilium dispositione, quid præter istud debitum liberis, & quid omnino cognatis de bonis suis velit relinquere. De quo ut eo liquidius constaret, plerœque leges civiles certa solemnia adhiberi jusserunt, quibus non adparentibus testamentum foret irritum, eo quod non præsumatur, eam revera ipsius fuisse voluntatem, quam non eo modo expresserit, quo tantum valere posse sciebat. Etsi vero leges civiles definire possint, quid & quibus relinquere quis debeat; ipsæ tamen querelæ inofficiosi testamenti non tam in dubium revocant, an testator potestatem habuerit pro arbitrio de suis rebus disponendi, quam petunt

tunt à judice, ut inſpiciantur rationes, quæ moverint defunctum, quod contra communem inclinationem aliquid voluerit, ut ſi deprehendatur per ſubreptionem & fraudes aliorum poteſtate ſua abuſum, bona per publicam autoritatem iis attribuantur, ad quos alias perveniſſent, ſiquidem rationem magis in conſilium quam inconſultos adfectus adhibuiſſet. Nec illud ſimpliciter verum eſt, liberorum cauſa parentes omnia adquirere. Nam primario ſuiipſius cauſa quiſque adquirit; quæ autem propriis neceſſitudinibus ſuperſunt, ea demum illorum eſſe vult, qui ipſi ſunt cariſſimi, quales ordinarie liberi & cognati proximi habentur. Id vero facile intelligitur, quod cui bona modo habendi diminuto tenentur, non poſſit aliquid diſponere in fraudem illius, cui jus aliquod eminentius aut prius in bonis iſtis fuit, ex vulgari axiomate, quod nemo plus juris in alterum poſſit conferre, quam ipſe habeat. Inde in teſtamentis non ſolum nihil valide poteſt diſponi, quod ſit contra leges civitatis, ſed etiam ea, quæ à teſtatore ex contractibus aut alio capite aliis debentur, prius detrahenda ſunt de ipſius bonis, antequam ad hæredes aliquid perveniat. Cæteris enim creditoribus omnibus prius jus fuit quæſitum, quam hæredi, cujus jus demum à morte teſtatoris incipit. Adeóque non plus quis ad hæredem tranſmittere intelligitur, quam mortis tempore ipſi ſupereſt detracto eo, quod ad diſſolvenda debita opus eſt. Sunt tamen Reſpublicæ in quibus de bonis duntaxat per induſtriam propriam partis, non vero de avitis diſponere teſtamento licet. Alibi etiam nulla civibus teſtamenti factio eſt, ſed ex inteſtato ad proximos ſanguine omnia devolvuntur.

§. 27. At vero per defectum rationis, puta per ætatem puerilem aut ſubſequentem furorem, proprie & ex neceſſitate aliqua juris naturalis dominium non tollitur. Res enim, quæ dominio ſubſunt, plerǽque neceſſitatibus corporis inſerviunt, quæ cum iſtos non minus

minus, quam rationis compotes urgeant, absurdum foret, conditionem ætatis aut morbum ad id adimendum ipsis aliquid valere, quod ob concomitantem adquirendi impotentiam pretiosius ipsis factum fuit. Verum quia defectus rationis prohibet, quo minus rebus suis bene uti possint, per humanitatem plerisque in locis leges civiles administrationem bonorum aliis commendavere, ita ut non domini rationis impotes, sed curatores efficaciter de illis possent disponere, ne sua imprudentia & per aliorum fraudes bonis everterentur. Incongruum quippe videbatur illos alienare quid posse, qui quid agatur intelligere, adeóque consentire nequeunt; nec specie fraudis caret à tali quid accipere, in quo recte consulta voluntas dandi non præsumitur. Ac rei quoque publicæ interest, ne quis re sua male utatur. Quæ ratio fecit, ut curatura per illos quoque annos extenderetur, qui jam rerum intellectum habent, sed ob affectuum vehementiam ad rem custodiendam parum idonei deprehenduntur.

§. 28. Res nullius sunt, quæ ad nullum hominem pertinent, & in quæ nemini aliquod peculiare jus in præsens præ cæteris competit. Harum quædam prorsus sunc incapaces proprietatis, & ab hominum commercio excluſæ; nempe illæ, quarum natura omnem possessionem & apprehensionem corporalem ab hominibus factam respuit, & quæ nullum actum admittunt, ex quo peculiare alicui jus præ cæteris possit enasci. Quam in classem haud ita simpliciter referenda arbitramur aërem, ventum, calorem & lumen solis, quatenus in circumfuso nobis aëre, aut circumjecto spatio hærent. Cum enim hæ res, quemadmodum cæteræ, ex una spatii parte in aliud transferri per homines nequeant, (quo respectu, scilicet seperatim, in commercium non veniunt) sane etiam velut spatio inhærentia sub æstimationem cadere possunt, adeóque quantum ad proprietatem de natura spatii participant. Inde quem spatio meo

meo excludere possum, consequenter etiam arcere queo, ne aere, vento, calore & lumine solis in spatio meo existente fruatur. Sic non inusitatum imputare alteri clementiam aëris, commoditatem venti & solis, qua fundus, quem ipsi loco aut vendo, gaudet; item, quod per meum spatium in alterius ædes vento aut lumini solis iter velut relinquam, cum alias luminibus ipsius obstruere possem. Quædam autem res in præsens quidem sunt nullius, quæ tamen alias per naturam capacia sunt proprietatis, eámque actu subeunt, quando ab aliquo occupantur. Ut sunt illæ, quas populi, cum cæteras sibi propriis vindicarent, pro derelictis habuere. Inter quas tamen nonnullas uni alicui personæ aut populo per occupationem proprias fieri noluerunt, sed semper nullius ut essent tacite convenerunt, quod supra de partibus Oceani à litore longe remotis dicebamus. Cæteræ autem cuilibet occupanti cedunt. Tales fuerunt, ex mente veterum JCtorum Romanorum, pisces, volucres, feræ bestiæ, quas etiam in alieno fundo capere licebat, etsi dominus fundi posset venandi aut aucupandi causa ingredi volentem aditu prohibere. Et hæ, semel per occupationem propriæ factæ, iterum nullius fiebant, & in libertatem abibant, quando hominum effugerant custodiam. Eodem referebant apes, columbas, pavones, feras mansuefactas, ubi aufugissent, & consuetudinem redeundi exuissent. Item res in bello expositas prædæ, missilia, thesauros, in littus ejecta, & si quæ forte sunt alia. Enimvero de multis istorum populi hodie aliter disposuerunt: quædam etiam quasi pro derelictis fuerunt habita respectu duntaxat eorum, quos eadem civitas aut societas comprehendebat, à quorum participatione qui extra civitatem aut societatem erant, excludebantur; quod de præda, missilibus, aliisque quibusdam certum est. Quis enim credat, Romanos exteris quoque prædas agere ex urbibus in direptionem à se datis concessisse? Quanquam isthæc minus

minus accurate inter res nullius referantur, cum revera sint civitatis, aut eorum, à quibus conceduntur, qui per modum donationis illa attribuunt eadem aut istorum signa primum adprehendentibus. Sub rebus etiam nullius illæ veniunt quæ à priori domino habentur pro derelictis, dum vel consulto eas projicit, & suas amplius esse non vult, ita ut in neminem peculiariter jus suum transferat; vel casu quodam amissas recuperare negligit. Unde apparet his non accenseri, quæ levandæ navis causa projiciuntur, aut nave fracta mari hausta in littus expelluntur; item quæ iter facientibus excidunt. In hæc enim dominis jus durat, quamdiu iis animus ea iterum investigandi manet. Nec talia invenientibus de jure naturæ plus debetur, quam quanti opera ea colligendi & asservandi est. Ac nescio quid piraticum sapiunt leges civiles, quæ naufragorum bona etiam à dominis agnita fisco aut ad littus habitantibus vindicant.

§. 29. *Res corporalis* est substantia extensa cum modo morali considerata; quæ distinguitur communiter in *mobilem* & *immobilem*. Mobilia sunt quæ solo non firmata de loco in locum transportari possunt, ut pecunia, vestes, pecora, utensilia, &c. Inter immobilia primum est spatium, quod & in sua natura ac primo est immobile; idque dividi potest in commune & proprium. Commune spatium dicuntur loca publica, puta, fora, theatra, templa, viæ militares, &c. Proprium est, quod areæ possessoris perpendiculariter imminet aut substernitur tam sursum, quam deorsum. Quoniam autem areæ globi terrestris sphæricam habent convexitatem, lineas perpendiculares in centro terræ deorsum concurrere, sursum autem divergendo in infinitum excurrere quivis intelligit. Inde uti supra solum meum attollere mihi liceret ædificium, si fieri posset, etiam ultra cœlum lunare, nisi fors Selenitarum fines obstarent; ita deorsum ad centrum terræ duntaxat, etiamsi ulterius progredi possibile foret, fodiendo pervenire liceret. Nam quod

ultra

ultra centrum est respectu nostri, ad antipodes nostros spectat. In quibusdam tamen locis leges positivæ non privatis fundorum dominis, sed fisco adjudicant, quod infra tantam aream profunditatem invenitur, quanta vomere attingi nequit. Utrobique tamen lineæ perpendiculares ab areæ meæ perimetro sursum deorsum ductæ, bene sunt observandæ. Ut enim vicinus non potest excitare structuram areæ meæ imminentem, etsi solo meo non innitatur, sed tignis ex domo sua transversim emissis sustentetur; ita vicissim mihi spatii mei superficiem pyramidalem à lateribus ædificando egredi non licet, nisi tors speciali pacto de eo sit conventum. Spatio tanquam immobili primo succedit terræ subsistantia naturalis, fundi nomine heic veniens. Telluri structuræ ad terram firmatæ cum omnibus quæ clavis firmantur. Huc referri possunt non tantum molendina alata quorum fundamenta solo firmiter affixa manent, licet ad occursum venti ipsum ædificium versus omnes plagas horizontales circumduci queat; sed etiam molendina navalia, quæ vocant, quæ etsi loci mutationem admittant, ut tamen usus eorum obtineatur necessum est ad terram ancoris aut palis firmentur. Nec eo fine extruuntur, ut in motu sint, quemadmodum naves, sed ut consistant. Etsi heic leges positivæ aut consuetudines locorum variant, ut & circa naves. quas, etsi eo fine extructas, ut in motu sint, ac proprie veliculorum non ædium præbentes usum, inter immobilia alicubi referunt.

§. 30. *Res incorporalis*, quæ est modus instar subjecti cum respectu pertinentiæ consideratus, dividi potest in *qualitativam* & *quantitativam*. Illuc pertinent potissimum *tituli*, *potestates* seu potentiæ morales, *jura*, *aptitudines*, & si quæ sunt alia. Huc spectat *Valor*, qui est tum personarum, dicitúrq; *existimatio*; tum rerum & actionum, earúmq; homini vel bonarum, dicitúrq; *pretium*; vel malarum, qui proprio vocabulo caret, nisi si quis eum ad analogiam demeriti velit vocare *depretium*.

De-

DEFINITIO VI.

Titulus est attributum morale, quo designantur discrimina personarum in vita communi secundum existimationem ac statum.

1. *Titulorum differentia; effectus.*

§. 1. TItuli sunt in duplici potissimum differentia. Quidam directe notant intensionem existimationis personarum in vita communi, earúmve qualitates peculiares, statum autem connotant & subinnuunt, clarius vel obscurius, prout iste titulus uni vel pluribus statibus adsignari suevit. Quorum uberrimam segetem hoc seculo apud quasdam nationes enatam heic congerere tædio est. Quidam autem directe denotant statum aut situm in statu, indirecte autem connotant intensionem existimationis, quæ statui & officio isti solet adhærere. Ut sunt quævis nomina personarum moralium quæ heic spectantur non tam in se, quatenus sunt notiones intellectui alterius statum & officium alicujus personæ repræsentantes; quam quatenus ex impositione hominum alicujus personæ jura, potestatem atque munus denotant. Inde non est de nihilo, quod interdum magno ardore tituli inter homines propugnantur, eo quod titulo denegato, denegari etiam alicui intelligantur status, potestas, jus atque officium, quæ iste titulus exprimere aut connotare solet.

DE-

DEFINITIO VII.

Poteſtas eſt potentia moralis activa, qua perſona aliqua legitime & cum effectu morali poteſt edere actionem voluntariam.

I. *Poteſtas perfecta, imperfecta.*
II. *Perſonalis, communicabilis.*
III. *Poteſtatis diviſio ratione objecti, ubi de Imperio.*
IV. *Poteſtas in res alienas.*
V. *Effectus poteſtatis.*

§. 1. POteſtas, prout heic conſideranda venit, eſt vel *perfecta* vel *imperfecta*. Illa eſt, cujus exercitium qui per vim atque illegitime impedit, (quod fit, quando iſta poteſtas ab ipſius voluntate non dependet) injuriam facit, quæ læſo adverſus ipſum actionem in foro humano dat; cujus vicem ſubit bellum inter eos, qui communi judici non ſubjiciuntur, niſi unus alteri tanquam ſupremo judici ſubjiciatur. Hæc eſt, cujus exercitio ſi quis illegitime & per vim fuerit prohibitus, inhumaniter quidem tractatur, ita tamen ut non habeat actionem in foro humano, niſi forte, quod juri deeſt, caſus neceſſitatis ſuppleverit. Sic v. g. qui per vim meum me fundum ingredi prohibet, injuriam facit, quæ mihi adverſus illum actionem dat. Aſt qui mihi per fundum ſuum iter innoxium denegat, quod alio loco non niſi per moleſtas ambages quærendum, inhumane quidem facit; haudquaquam tamen ideo actionem in foro humano intendere ipſi queo. Niſi quod v. g. inſtante à tergo hoſte etiam per obſtantis ſtragem, ut vitam meam ſervem, evadere mihi liceat. Illa etiam jus ad agendum; hæc aptitudo vocari poteſt.

§. 2.

§. 2. Deinde potestas est vel *personalis*, vel *communicabilis*. Illa est, quam quis in alterum legitime transferre non potest. In qua ipsa tamen nonnullæ differentiæ occurrunt. Quædam enim potestates ita arcte cum persona sunt conjunctæ, ut earum actus per aliam personam recte exerceri omnino nequeant. Talis est potestas mariti in corpus uxoris, quam per vicarium obire leges haudquaquam admittent. Quarundam autem, etsi in alium transferri à nobis nequeant, actus aliis ad exercendum delegari possunt, ita tamen, ut omnem autoritatem ab eo habeant, in quo potestas radicaliter hæret. Quædam denique in alium quidem à nobis indirecte possunt transferri, dum iis ipsi in ejus nos gratiam abdicamus, eâsque velut in manus ipsius resignamus: ita tamen, ut autoritate superioris ea translatio sit confirmanda. Ex hoc genere erat potestas patria juxta antiquas leges Romanas, quam, licet naturaliter ex generatione, actu personali incommunicabili, oriundam, pater in alium transferre poterat, dum abdicata sua potestate alteri adoptandum tradit filium. Quæ adoptio tamen Prætoris aut populi autoritate erat confirmanda, abs qua unice vim suam mutuabatur. In civitate enim nemo privatus jus vitæ necisque in liberum hominem alteri dare potest, nisi is, qui jura majestatis obtinet, autor fiat. Potestas communicabilis est, quam quis in alterum legitime, & quidem propria autoritate transferre potest.

§. 3. Cæterum pleraſque potestates pro ratione objecti ad quatuor potissimum species revocare licet. Respiciunt enim illæ vel *personas* vel *res*, & utrasque *proprias*, vel *alienas*. Potestas in personas actionesque proprias *libertas* dicitur, de qua ex supra dictis, ubi de statibus egimus, intelligi potest. Potestas in res proprias *dominium* vocatur, de quo itidem supra explicatum. Potestas in personas alienas

imperi-

imperium nuncupatur, quo alteri quid legitimè & efficaciter injungi præſtandum poteſt, i. e. ut alteri ſit obligatio non reſiſtendi juſſo aut idem non detrectandi. Eſt autem imperium vel *abſolutum* vel *reſtrictum*. Illud eſt, cujus actus neque à tertio quoquam ſuperiore irriti poſſunt reddi, neque ab ipſis, quibus imperatur, recuſari ex jure aliquo per pactum in collatione imperii initum quæſito aut retento. Hoc eſt, ubi alterutrum horum aut utrumque fieri poteſt. Duplici enim modo alicujus imperium reſtrictionem admittit, vel quando ab eo, qui ſuperius imperium habet, imperantis vis coërcetur, aut parentes obligatione certa juſſa capeſſendi ſolvuntur: vel quando illi, qui alicui imperium in ſe dederunt, pacto expreſſe ſibi reſervarunt, quod non velint in quibuſdam rebus ejus juſſis obligari. Qualis reſtrictio naturæ haudquidquam repugnat. Cum enim ipſi, cui imperium datur, nullum alias in me jus competat, adeoque mero meo arbitrio habeat, quidquid in me poteſtatis obtinet, patet ſane penes me ſitum eſſe, quoúſque imperium ejus in me admittere velim. Etſi reſtrictiones eas haudquaquam tales eſſe oporteat, quæ finem imperii evertant, & id prorſus ad nihilum reducant, aut quæ pactum inter imperantem & parentem inutile reddant. Non autem intelliguntur parentes juſſa quædam imperantis recuſandi habere poteſtatem, niſi vel ad arbitros aut judicem provocare liceat, vel inter ſe concilium coire, ubi de imperantis facto cognoſcendi jus habeant; de quo alibi plura. Deinde imperium eſt vel *privatum* vel *publicum*. Illud eſt, quod competit perſonis ut privatis in uſum ſingulorum qua talium. Hujus ſpecies ſunt poteſtas patria, poteſtas herilis ſeu dominorum in ſervos, poteſtas maritorum in uxores, præceptorum in diſcipulos, tutorum in pupillos, &c. Imperium publicum eſt, quod competit perſonis

sonis ut publicis in usum societatis civilis. Hoc imperium si sit summum in civitate, adjunctam habet potestatem, quam vocant, *eminentem* in personas & res subditorum, validiorem quibusvis juribus singulorum, exercendam tamen non nisi salutis publicæ causa.

§. 4. Per potestatem denique in res alienas innuimus jura illa, quæ ex concessione domini, vel ex pacto alicui in res alterius fuere quæsita; proprietate rei penes dominum remanente. Quo pertinet ususfructus, qui est jus seu potestas alienis rebus utendi fruendi, salva earum substantia. Quem constitui posse in quibuslibet rebus utilibus, præterquam quæ ipso usu consumuntur, seu quorum usus consistit in abusu, tralatitium est. Huc spectant servitutes prædiorum urbanorum & rusticorum, quarum hæ communiter numerantur iter, actus, via, aquæductus, haustus aquæ, pecoris ad aquam appulsus, jus pascendi, &c. illæ, jus tigni immittendi, derivandi stillicidium, prohibendi ne vicinus ædes altius tollat, & similia, de quibus, qui jus Romanum commentariis illustrarunt, consulendi.

§. 5. Effectus potestatis est, ut alteri adferatur obligatio aliquid exsequendi, & actiones ex ejusdem vi exercitas admittendi vel non impediendi, & ut valeat in alterum conferre facultatem aliquid agendi aut habendi, quæ antea aberat.

DEFINITIO VIII.

Jus est potentia moralis activa, personæ competens ad aliquid ab altero necessario habendum.

I. *Vocabuli ambiguitas.*
II. *Jus perfectum.*
III. *Hæreditas quale jus.*
IV. *Jura mixta.*
V. *Jus imperfectum.*

§. 1. PRæter illas significationes, qua vocabulum juris usurpatur pro lege, & complexu seu systemate legum homogenearum, ut & pro sententia judiciali seu sententia legum factis adplicata, v.g. quando Prætorem jus dicere, aut JCtum de jure respondere dicimus: frequentissimum est, ut sumatur pro qualitate illi morali, qua recte vel personis imperamus, vel res tenemus, aut qua eædem nobis debentur. Sic communiter juris nomine venit potestas tam in personas, quam in res nostras aut alienas; & quæ res spectat, peculiariter jus in re dicitur. Circa quæ vocabula tamen hoc discriminis videtur observari, quod potestas magis insinuet actualem præsentiam dictæ qualitatis in res vel personas, obscurius autem connotet, ac fere in medio relinquat modum, quo quis ea sit potitus. Jus autem proprie & perspicue indicat, recte eam fuisse adquisitam, & jam recte quoque obtineri: Quia autem jam dictæ qualitatis species pleræque peculiaribus gaudent nominibus, quibus ea qualitas, qua res aliqua nobis debetur, caret, volumus hanc peculiariter heic juris nomine insignire; ita tamen, ut haudquaquam velimus teneri, id vocabulum intra has angustias semper accipere.

§. 2. Est autem jus vel *perfectum* vel *imperfectum*. Illud qui læserit, injuriam facit, quæ læso in foro humano actionem

actionem adversus lædentem dat. Huic exadversum respondet obligatio perfecta in eo, abs quo id, quod nobis debetur, est perventurum. Quem ideo, ubi sponte id implere renuit, actione apud judicem intentata, aut ubi huic locus non est, vi compellere possum. Ejusmodi jura quando nondum satis clare sunt deducta, aut ab illo, quem spectant, in dubium vocantur, vulgo prætensiones audiunt.

§. 3. Sub censum porro jurium revocari quoque solet *hæreditas*, vocabulo non pro rebus, sed pro certo modo pertinentiæ accepto. Ubi notandum, quod hæreditas, vita functo eo, à quo descendit, pleni vim juris obtineat adversus omnes, qui quocunq; modo temporariam earum possessionem aut administrationem habent. Morte enim domini jus plenum ad bona in hæredem devolvitur, sive is ex testamento & voluntate istius hæres sit, sive ex legibus civitatis. Ast quamdiu testator adhuc in vivis est, hæredi, quacunq; ratione in successionem vocetur, nondum aliquod jus competit, quod adversus istum valeat, eúmq; prohibere possit, quo minus, non obstante voluntate semel significata pro lubitu adhuc circa bona queat disponere. Nisi forte leges civiles bona omnia, aut certam eorundem partem ad certas personas omnino devolvi jubeant, nec liberam testamenti factionem concedant; quemadmodum in quibusdam civitatibus de nullis bonis, in aliis non nisi de bonis industria propria adquisitis testandi potestas est concessa. Quo in casu proxime ad efficaciam juris hæreditas etiam ante domini mortem accedit, adeo ut huic non liceat insignem bonorum suorum partem in alterum quavis ratione transferre in fraudem necessarii hæredis.

§. 4. Solent vero communiter multa venire sub censum jurium, quæ, si accurate velimus loqui, compositum quid sunt ex potestate ac jure proprie dictis, involventia simul aut supponentia obligationem, honorem, aut simile quid. Ex isto genere est civitas seu jus civi-

tatis. Hæc enim complectitur facultatem exercendi cum pleno effectu actus istius civitatis membris peculiares, & jus fruendi commodis illi propriis, supponens obligationem erga eandem civitatem. Sic & dignitates civiles, puta nobilitas, ejusq; gradus, item honores literatorum, complectuntur potestatem exercendi certos actus isti dignitati proprias, & jus commodis ejusdem ordinis fruendi, quibus insuper honor quidam & intensio existimationis adhæret.

§. 5. Jus autem imperfectum, quod nonnullis aptitudo vocatur, est, quando alicui ab altero quid debetur, ita ut, si illud deneget, inique quidem faciat, haudquaquam tamen læsus accipiat injuriam, quæ ipsi adversus lædentem actionem pariat; nec vi adferere sibi istud possit, nisi ubi necessitas aliam expediendæ salutis rationem non admittit. Competit autem nobis aptitudo duntaxat ad omnia illa, quæ alii nobis debent ex aliqua obligatione imperfecta, de qua inferius pluribus erit agendum. Sic neque ad beneficia danda alterum cogere, neque ingratitudinis actionem alteri intendere possum, etsi revera peccet, qui benefaciendi aliis occasionem negligit, aut pro acceptis beneficiis quam commode posset gratiam non refert. Illud autem sæpe quoque contingit, ut aliquis recte quidem admittere possit quid ab altero tributum, ita tamen ut neque huic obligatio id tribuendi, neque illi jus perfectum ad istud habendum sit, sed nuda duntaxat habilitas. Sic v.g. ubi plures æque idonei munus aliquod ambiunt, quorum nulli præ altero peculiare aliquod jus ad illud competit, is cui id conferendi potestas est, pro lubitu quem velit eligere potest, nulla querendi causa relicta iis qui repulsam ferunt.

Definitio IX.

Exiſtimatio eſt valor perſonarum in vita communi, ſecundum quam aptæ ſunt cum aliis perſonis exæquari aut comparari, eiſq; vel antehaberi, vel poſtponi.

I. *Exiſtimatio ſimplex.* | II. *Intenſiva.*

§. 1. Exiſtimatio perſonarum in vita communi eſt vel *ſimplex* vel *intenſiva*. Illa conſideratur vel extra civitates, vel intra eaſdem. Exiſtimatio ſimplex hominis extra civitatem in hoc conſiſtit, ut habeatur pro tali, cum quo tanquam cum homine legis naturæ obſervante agi queat. Unde patet, hac exiſtimatione defici, quicunq; adverſus quoſlibet homines, aut ſaltem illos, qui extra ipſorum conſortia ſunt, communiter eadem qua in beſtias licentia utuntur. Ut ſunt integræ civitates, ſi quæ dantur, quibus omnes exteri promiſcue hoſtes habentur, præprimis ſi ipſi hos ſponte inſectentur. Item piratæ, prædones, latrones, ſicarii, manticularii, & ejuſdem farinæ alii; quibus, niſi vitam iſtam rapacem abdicatum eant, ab aliis non magis parci convenit, quam lupis aut aliis truculentis belluis; nec humanitatis officia ipſis exhibenda, quippe queis ad nocendum aliis roborantur; nec fiduciæ quid in fide, quam ipſi dederunt, locandum, cujus apud alios opinionem vitæ ipſorum atrocitas elidit. Exiſtimatio autem ſimplex intra civitatem eſt, qua quis pro membro ſaltem vulgari, eoq; integro civitatis reputatur, ſeu qui non juxta leges & ſtatuta pro vitioſo civitatis membro fuit declaratus. Et iſta quivis liberi atq; honeſti homines, ſeu infamia juris non notati gaudent. Hæc porro in civitate deficit vel ex mero ſtatu, vel ex delicto. Illud fit in mancipiis,

quæ pro personis civilibus non reputantur, seu quæ caput civile non habere intelliguntur. Hæc enim v. g. Romæ quondam pro nullis fuisse habita, adeóq; existimatione civili caruisse, inde satis elucet, quod nihil proprii habuerint, nec sibi adquisiverint; quod impune à dominis quidvis inferri ipsis potuerit; alieno autem, qui noxam ipsis intulerit, ex lege Aquilia actio intentata fuerit, tanquam si pecus alterius læsisset; quod nulla cognatio servilis, nec cohabitatio ipsorum pro matrimonio fuerit reputata, prorsus ut inter bestias; quod testimoniis etiam juratorum pro tribunali nihil fidei fuerit tributum, & quæ sunt ejus generis alia. Ex antegresso autem delicto existimatio illa decidit, quando quis juxta leges ob certum delicti genus (nam omnia delicta civiliter existimationem non extinguunt;) infamia notatur; idq; vel ut vita quoq; naturali simul expellatur, vel civitate prorsus ejiciatur, vel in hac quidem retineatur, non tamen velut membrum integrum, sed tanquam infectum, ut qui domicilio quidem civitatis, & communi legum tutela gaudeat, à muniis tamen publicis ac honestis societatibus exclusus, ac conversationi etiam singulorum non sordidorum fastiditus. Talem infamiam illi solum irrogare queunt, penes quos legum est exsecutio. Privatorum autem judicio nemo taliter infamis redditur, priusquam coram competenti tribunali id fuerit declaratum. Multo minus autem propter intermissum aliquem actum, solo privatorum ausu citra autoritatem Magistratus receptum infamiæ veræ quid adhærere potest, non magis, quam isti propria autoritate civitatis jura alicui efficaciter tribuere queunt. Ejusdem enim potestatis est vitam velut civilem dare, & mortem civilem inferre.

§. 2. Existimatio intensiva est, secundum quam personæ civiliter æque honestæ sibi invicem præferuntur, prout uni præ altero adsunt, queis aliorum animi ad exhibendum honorem permoveri solent. Est autem honor, qui intensioni existimationis respondet, proprie

sig-

significatio judicii nostri de præstantia alterius: adeóq; revera honor est non in honorato, sed in honorante. Etsi metonymica quadam ratione ipsa quoq; existimatio, seu id quod honorem meretur, eo vocabulo insigniatur, & peculiariter certi status, quos honor comitari solet; quod ordinarie illis duntaxat conferantur, qui alios præstantia antecellunt. Eadem existimatio, quatenus in aliis opinionem peculiaris prudentiæ ac sapientiæ circa determinationem rerum practicarum, aut veritatum theoreticarum gignit, Autoritas dicitur. Quatenus autem innuit cognitionem istius præstantiæ inter plures late diffusam, Claritas est. Quæ quis non incongrue ad analogiam patibilium qualitatum naturalium, patibiles qualitates morales dixerit, eo quod, ut istæ sensus, ita hæ certa ratione animum afficere intelligantur. Solet autem existimatio alicujus potissimum intendi ex rebus præclare gestis, ac vita ad leges accuratius acta; ex bonis, quæ vocantur animi, quo apud imperitos non parum quoq; bona corporis & fortunæ faciunt; ex conditione status, prout is præ cæteris est conspicuus & splendidus; ex situ morali in statu, puta an quis sit primus in collegio eodem, an ultimus; ex conditione muneris, prout nobilibus illud absolvitur functionibus; ex ætate, quippe quod usus & prudentia à seris venire annis judicantur; deniq; ex genere seu stirpe, eo quod communiter aliquid ex virtute majorum in posteros propagari credatur, & quæ sunt alia, quæ hoic æstimantur.

DEFINITIO X.

Pretium eſt quantitas moralis ſeu valor mercium aut rerum, & actionum homini bonarum in vita communi, ſecundum quod aptæ ſunt invicem comparari.

I. *In imponendo pretio quid ſpectetur?*
II. *Pretia rerum incorporalium, & actionum.*
III. *Pretium vulgare & eminens, ubi de pecunia.*

§. 1. Fundamentum pretii in rebus maxime naturale eſt habilitas exhibendi uſum aliquem in vita communi. Unde res prorſus inutiles nullius pretii vulgo dicere conſuevimus. Definitur autem uſus alicujus rei non ex eo duntaxat, quod illa ad vitam noſtram conſervandam aut delectandam revera faciat, ſed etiam, quod vel ſola quorundam hominum opinione voluptatem aut ornatum aliquem adferat. Qualibus rebus enorme plerunque pretium luxuria hominum & libido impoſuit. In comparatione autem rerum ad ſe invicem ratione pretii varia ſolent ſpectari. Heic enim uſque adeo neceſſitas rei aut nobilitas uſus primas ſemper non obtinet, ut potius non ſine ſingulari providentia naturæ ea queis vita noſtra carere nequit, pretii ſint vilioris, eo quod uberem earum proventum natura effundat. Facit igitur huc præprimis raritas, quæ non parum commendatur, ubi ex locis longe remotis res adferuntur, in quas frequenter hominum adfectus vehementer rapitur. Ea enim plerique homines præcipue æſtimant, quæ cum paucis habitura ſunt communia: contra vile eſt, quidquid inter cujuſvis ſupellectilem cernitur. Deter-

terminate porro pretium vulgo cognoſcitur ex uſu ſeu conſuetudine, i.e. vulgo tanti res æſtimatur, quantum pro ea communiter offerri aut dari ſolet. Quod vix eſt, ut non habeat aliquam latitudinem, intra quam plus minúſve exigi poſſit, niſi ubi lex pretium rei in puncto conſtituit. In communi autem pretio ratio ſolet haberi laborum & expenſarum, quas mercatores faciunt. Poſſunt & quædam eſſe accidentia rei æſtimabilia, ob quæ licite ſupra aut infra commune pretium ematur vendatúrve, puta, ob damnum conſequens, lucrum ceſſans, affectum peculiarem, aut ſi in alterius gratiam ematur vendatúrve, alioquin non emenda aut vendenda; quæ ipſa accidentia ei, qui cum ea de re contrahitur, indicari ſolent, rectéque imputari poſſunt. Id quoque lucrum ceſſans aut accreſcens poteſt computari, quod ex pretii ſolutione dilata aut anticipata naſcitur. Dies enim eſt pars pretii, & plus eſt ſtatim aliquid dare, quam poſt tempus; quippe cum interea exinde fructus capi potuiſſet. Nec in loco nihil momenti eſt poſitum, ubi merx exhibetur, vel pretium ſolvitur. Nam eadem res in diverſis locis diverſe æſtimatur; nec pecuniæ valor aut fœnus idem ubique; ac diversæ in diverſis locis pro trajicienda pecunia uſuræ. Contingere autem frequenter ſolet, pretium alicujus rei ſubito mutari, ſeu intendi vel remitti, idque ex copia aut paucitate ementium, pecuniæ, mercium, ob inſtantem pacem aut bellum, & ſimiles caſus.

§. 2. Sunt autem ſua pretia non rebus duntaxat corporalibus, ſed etiam incorporalibus, ipſiſque actionibus hominum, quatenus illæ aliis utilitatem quampiam aut delectationem poſſunt adferre. De quibus tamen notandum, quaſdam per leges divinas aut humanas extra commercium humanum poſitas, adeo ut homines illis pretium conſtituere, ac ob pretium eas invicem exhibere ac præſtare non debeant.

Quo

Quo ex genere sunt actiones illæ sacræ, queis effectus aliquis supernaturalis ex voluntate & instituto divino est adsignatus, puta remissio peccatorum ac pœnæ peccatis debitæ per absolutionem sacerdotalem, adplicatio beneficiorum spiritualium per exhibitionem sacramentorum, & similia, quæ si quis pro pretio alteri præstet, Simoniam committere dicitur. Sic judex, quam gratis administrare debet justitiam, pretio recte non potest vendere. Sic non recte pretio locat operam suam tollendo homini sicarius aut veneficus, concubitus suos meretrix, stylum suum, qui mendacia in aliorum fraudem disseminat fidem suam, qui perjuriis aliorum injustas causas sublevatum, aut justas subversum it, & hujus farinæ alii. Porro actionum utilium aut delectabilium pretia æstimari solent pro actionis aut operæ necessitate, utilitate, difficultate, subtilitate, artificum aut operariorum frequentia vel raritate; locatorum copia aut infrequentia, opulentia vel tenuitate. In incorporalibus utilitas ac splendor potissimum spectantur. Rerum autem omnium tam corporalium, quam incorporalium pretia peculiariter lege aut consuetudine, aut per conventionem pacisentium determinantur.

§. 3. Dividi vero pretium potest in *vulgare* & *eminens*. Illud est quod quibuscunque rebus in commercium venientibus ex fundamentis jam dictis inest. Extra istud aliud ignorabant pretium homines, antequam pecuniæ usus introduceretur, & adhuc quidam barbari ignorant. Inde talium commercia simplici duntaxat rerum permutatione constabant, nec operas invicem, nisi pro re, locare aut conducere poterant. Enimvero parum commoda erat ista ratio contractuum inter homines expediendorum. Nec enim cuilibet in proclivi est ejusmodi possidere res, quas alter cum suis mutare velit, aut quæ alterius rei æquipolleant; & in civitatibus, ubi variis cives

statibus

ſtatibus diſtinguuntur, complura hominum genera dari neceſſe eſt, quæ cum iſta permutatione vitam omnino non tueri, vel ægre admodum poſſunt. Hinc inculta & ſimplex fuit vita civilis, quamdiu ea rerum permutatio ſola obtinuit; & qui hodiéq; ea utuntur, à cultiorum moribus nationum abhorrent. Conſideratis igitur permutationum incommodis pleræq; gentes inter ſe convenerunt, pretium quoddam velut eminens certæ rei imponere, ad quam cæterarum pretia rerum exigerentur, & in qua velut eminenter eadem continerentur; adeo ut cum quavis re illa commutari, & ad commercia exercenda, contractúſq; quoſvis expediendos commode adhiberi poſſet. Cui rei aptiſſima fuere judicata metallorum nobiliora, aurum, argentum & æs, utpote materia non nimis obvia, durabilis, nec mole inhabilis; etſi alias quoq; materias huic uſui deſtinare civitas poſſit, à civibus loco pecuniæ uſurpandas. Ea metalla certo pondere conſtantia, ac certis figuris inſignita numi vocantur, quibus determinatum valorem imponunt rectores civitatum, vel mutua uſurpantium conventio. Quam tamen cæteræ res ex raritate aut copia ſubeunt pretii intenſionem aut remiſſionem, ipſa quoq; pecunia non omnino effugit, numo ex eadem materia, eodem pondere facto nunc plus nunc minus valente; etſi iſta mutatio nec ita repentina, nec ita frequens, ut aliarum rerum ſit. Ex dictis obiter quoq; explicari poteſt controverſia veterum JCtorum Romanorum circa pretium, ex quibus Sabinus & Caſſius affirmabant, etiam cæteris rebus præter pecuniam ineſſe pretium, adeóq; permutationem ſub emptione & venditione comprehendebant. Quorum utrumq; Proculus & Nerva negabant, eò quod alias explicari non poſſet, permutatis rebus, quæ videatur veniſſe, & quæ pretii nomine data fuiſſe. Utramq; enim veniſſe & pretii nomine daram abſurdum videri. Enimvero utraq; ſententia certo modo ſtare poteſt. Prior quidem, ſi dicamus emptionem fieri pretio vulgari vel eminenti; pretium autem in per-

permutatione videri rem, quæ ab illo datur, à quo contractus incipit. Hic enim emptor videtur, qui pro sua re aliquid sibi concedi postulat. Posterior autem, si illa duntaxat emptio dicitur, in qua pretium eminens intercedit

Definitio XI.

Principia actionis humanæ sunt à quibus oritur & dependet, quibusque perficitur actio humana.

I. *Principiorum divisio.*
II. *Quid finis?*
III. *Quid occasio?*
IV. *Quid jussio, consilium?*
V. *Medium?*
VI. *Quid habitus?*

§. 1. Principia actionis sunt vel *disponentia*, à quibus duntaxat inchoatur, vel *efficientia* & *decernentia*, quibus in actum deducitur actio humana. Disponentia; 1. *moventia*, tum *indirecte*, idq; vel naturaliter, ut *finis*, vel moraliter, ut *occasio*: tum *directe*, & itidem vel naturaliter, ut *affectus*, vel moraliter, idq; extrinsece, ut *persuasio, jussio, incitatio*, vel intrinsece, ut *obligatio*; 2. *Dirigentia*, vel moraliter ut *lex*, vel naturaliter, ut *intellectus*. 3. *Juvantia*, ut *media*, quæ sunt naturalia, ut potentia naturalis, & quæ heic sese potissimum exserit *virtus locomotiva*: vel moralia, ut *potestas*. Efficientia seu decernentia sunt causæ proximæ à quibus esse suum habet actio humana, & sunt talia vel simpliciter, ut *voluntas*, cujus respectus ad principium morale dirigens dicitur *obedientia*: vel cum inclinatione, ut *habitus*.

§. 2. Finis est bonum aliquod, quod ob seipsum adpetitur, seu quod in seipso habet aliquid, cujus obtinendi causa actio suscipiatur. Estq; *ultimus* vel *intermedius*.

Hujus

Hujus maxima deprehenditur varietas. Ille dicitur summum bonum, quod est vel *imaginarium*, seu quod corrupto hominum judicio tale videtur, ut voluptas corporis, divitiæ, honor, potentia, fama, &c. vel *verum* & rationi congruum, ut voluptas & adquiescentia animi, ex virtutum exercitio, & contemplatione rerum resultans. Cui opponitur summum malum, quod iterum est vel *imaginarium*, ut paupertas, morbi, servitus, contemptus, &c. vel *verum*, ut inquietudo & anxietas animi ex vitiorum exercitio & ignorantia rerum orta. Adsignatur autem inter principia princeps finis locus, eo quod illum ante cognosci & æstimari necesse sit quam ad actionem edendam sese moveat agens rationale, à cujus natura abhorret, in vacuum velut tendere, i.e. sine præfixo fine aliquid suscipere.

§. 3. Occasio est, qua offertur alicui à facultate naturali instructo, loco & tempore commodo objectum actionis alicujus. Ut enim quis dicatur occasionem quid agendi habere, requiritur potissimum; 1. Ut objectum actionis sit præsens, aut facili negotio possit comparari. 2. Ut adsit commodus locus, ubi ab aliis non possimus in actione impediri, aut post actionem incommodo aliquo affici. 3. Ut adsit commodum tempus, quo non sint obeunda negotia magis necessaria, & quo nos atque alii, qui ad actionem concurrunt, sint commode dispositi. 4. Ut adsit facultas naturalis seu vis agendi. Ubi tamen notandum, quod vulgari sermone interdum illi quoq; occasio esse dicatur, cui priora tria duntaxat adsunt, etsi à viribus agendi destituatur. Verum cum frustra sint cætera ubi hæc deficit, vocabis istam occasionem imperfectam. Habet se autem occasio ad suscipiendas actiones tam bonas quam malas efficacissimi instar stimuli, ut nimis quam vere vulgo jactetur, occasionem facere furem.

§. 4. Jussio est, qua alicui ex vi imperii significatur, quam ipse actionem obire debeat. Ejusmodi actio ex jussu suscepta uti illius, qui jussui alterius est obnoxius, obli-

obligationem adversus jubentem implet; ita, siquidem neq; jubens fines suæ potestatis, neq; alter fines jussi excesserit, proprie & directe effectus suos non in exsecutorem, sed in jubentem velut reflectit, adeóq; non isti, sed huic primario illa imputatur. Verum cui in alterum nihil potestatis competit, ut pro imperio cum ipso agere possit, non nisi suadendi aut dissuadendi facultas est relicta, qua per adductas rationes, & explicata rei natura atq; effectibus alterum ad aliquid suscipiendum permovere, aut ab eodem revocare nititur. At si quem destinationis jam certum, aut in actionem jam expeditum confirmamus, vel retrahimus, incitare & deterrere dicimur. Etsi autem consiliis & incitationibus vis obligandi haudquaquam insit, adeóq; qui aures ipsis præbuerit, cum libere ea admittat omnino suam, non alterius exerceat actionem: cum tamen magna illis vis, dextre adhibitis præsertim, insit, ut alii actionem suscipiant vel intermittant, aut in suscepta confirmentur vel debilitentur, inde suasoribus quoq; & incitatoribus ex parte effectus actionis imputatur.

§. 5. Medium adhibetur ab agente ad obtinendum aliquem finem, quando voluntas motu suo immediate non potest efficere, ut finis aliquis agenti, aut agens fini velut adpropinquet. De quo observanda ista hæc regula: qui dat jus ad finem, censetur etiam jus dare ad illa media, sine quibus finis obtineri nequit; alias enim nihil fuisset actum. Ex quo consequitur; si media sint illicita aut impossibilia, non meteneri ad istum finem, qui & quatenus sine illis obtineri nequit. Inde est, quod non sint facienda mala, ut eveniant bona; eo quod ad bonum istud obligatus nemo censeatur, ad quod citra peccatum pervenire non datur. Inter media autem naturalia præcipuum est facultas locomotiva, qua homo corpus suum de loco in locum transferre, ac certorum membrorum situm partialem mutare, aliisq; rebus motum imprimere potest. Hæc voluntati paret serviliter, i. e. ut nunquam detrectare possit ipsius jussa, quin ea quantum in

se

se exequatur nisi vel ipsa membra intrinseco aut extrinseco impedimento constringantur, aut objectum non sit proportionatum, ut ab ipsa motus isti queat imprimi.

§. 6. De affectibus, intellectu & voluntate in posteriori libro erit agendi locus. Heic duntaxat circa voluntatem notandum. quod illa vocetur habitus, quatenus est confirmata & facilitata ad expedite versandum circa objectum morale cum difficultate abstinendi, seu vehementi in illud inclinatione. Taliter disposita voluntas statim objecto præsente in istud fertur tanto cum impetu, ut ægre se queat abstinere. Atq; attenditur hic habitus maxime circa quasvis actiones morales, idq; ideo, quia præcipue ex proæresi agentis actionis bonitas & malitia mensuratur, quæ proæresis communiter vix plena fuisse censetur, nisi ex habitu quis egerit. Inde quoque is demum, qui ex habitu bene agit, boni viri, qui male, mali nomen sortitur; non qui semel aut bis fortuito impetu, aut quia commode aliter non poterat, boni quid, vel per incogitantiam aut affectuum violentiam mali quid egit. Peculiariter autem virtutum nomine veniunt illi habitus, quibus ita componitur animus, ut circa objecta ipsum moventia ex præscripto rectæ rationis sese gerat. Id porro præscribit ratio, ut neq; boni neq; mali species animo objecta ipsum perturbatum tranquillitate sua excutiat. Quemadmodum contra virio laborare dicimus, cujus animus per speciem objecti, asperi aut jucundi, ita commovetur, ut tranquillitas ipsius violentis velut fluctibus exagitata interrumpatur. Obligatio, Lex & Potestas prolixiorem disquisitionem requirunt.

DEFINITIO XII.

Obligatio est qualitas moralis operativa, qua quis præstare aut admittere vel pati tenetur aliquid.

I. *Obligatio connata, adventitia,*
II. *Æqualitatis, inæqualitatis,*
III. *Perfecta, imperfecta,*
IV. *Perpetua, temporaria,*
V. *Mutua, non-mutua,*
VI. *Perfecte mutua, imperfecte mutuaque ubi de obligationibus Principum adversus subditos.*
VII. *Obligatio ex promissis gratuitis qualis in promittente.*
VIII. *Promissio quotuplex?*
IX. *Promissa valida concipienda per verba de præsenti.*
X. *Invito nihil valide promittitur.*
XI. *Promissio pura, conditionalis,*
XII. *Obligationes perfecte mutuæ seu pacta quomodo mutua fient fide?*
XIII. *Quid de pactis semiimpletis judicandum?*
XIV. *Efficacia ex jure civili quænam?*
XV. *Obligationes etiâ solo naturæ jure possunt contineri.*
XVI. *Unde istarum validitas?*
XVII. *Sibi ipsi nemo obligatur*
XVIII. *Obligationes contrahendæ utrinq; requirunt consensum.*
XIX. *De errore in pactis.*
XX. *Cui quis se possit obligare?*
XXI. *An illi fides servanda, qui ad paciscendum vi injusta me adegit?*
XXII. *Pacta inter hostes an valida?*
XXIII. *De pactis tacitis.*
XXIV. *De votis.*
XXV. *An quis actu suo aliquem tertio possit obligare?*
XXVI. *Pacta societatum.*
XXVII. *Qualibus pactis societates constituantur?*
XXVIII. *Quænam obligationes ex pactis rectorum civitatis in subditos redundent?*
XXIX. *An pacto vel delicto civis teneatur concivis vel rectori civitatis: ubi de æquitate repræsaliarū.*
XXX. *Obligationes an transeant de persona in personam?*
XXXI. *An hæredibus antecessoris teneatur successor?*
XXXII. *Impossibilium nulla est obligatio.*
XXXIII. *An possit quis se obligare ad perferendam mortem?*
XXXIV. *Turpium non est obligatio.*
XXXV. *An quis teneatur solvere mercedem pro præstita opera turpi?*
XXXVI. *De*

XXXVI. *De alienis non possumus pacisci.*
XXXVII. *Concurrentes obligationes quomodo sibi invicem cedant?*
XXXVIII. *De Instrumentis pactorum.*
XXXIX. *Juramenti usus.*
XL. *Per solum Numen juratur.*
XLI. *Juramentum accessorium duntaxat obligationis est.*
XLII. *Juramentum in quo attemperandum ad sensum jurantis, in quo ad sensum deferentis?*
XLIII. *Pignora.*
XLIV. *Obsides; an in hos sæviendum, violato pacto?*
XLV. *Obsides an à civitate recte possint inter hostium iras detineri?*
XLVI. *Alia circa obsides quæstiones.*
XLVII. *Fidejussorum obligatio qualis?*
XLVIII. *An in delictis locum habeant?*
XLIX. *Quomodo tollatur obligatio?*
L. *Utrum victor obligationes ad victum spectantes possit tollere?*
LI. *Pacta publica seu fœdera.*
LII. *De sponsione Caudina & Numantina.*
LIII. *Pacta bellica.*
LIV. *Pacta privata seu contractus, iique vel beneficii;*
LV. *Vel onerosi; in quibus æqualitas requiritur.*
LVI. *Eorum species.*
LVII. *De usura.*
LVIII. *Societas.*
LIX. *Pacta quibus in incertum casum consentitur.*

§. 1. COngruit cum hac definitione illa communis Jctorum, qua obligationem definiunt per vinculum juris, quo necessitate adstringimur alicujus rei præstandæ. Injicitur enim per illam velut frænum quoddam morale nostræ agendi libertati ut in diversam, quam quo illa ducit partem, tendere recte nequeamus; etsi nullius obligationis efficacia naturalis sit, naturalem voluntatis nostræ libertatem ita stringendi, ut saltem de facto in alia abire non possit. Dividi autem potest obligatio ratione originis in *connatam & adventiciam.* Illa est, quæ cunctis hominibus eo ipso, quod tales sunt, cum ipsa statim nativitate adest; plene sese exserens, quam primum per ætatem ejus vim intelligere, actionésque suas per rationem temperare posse coperint. Qua in classe censetur obligatio illa omnium hominum adversus Deum, tanquam supremum Domi-

num hujus universi, cujus vi tenemur ad agnoscendum & venerandum ipsius imperium, & observandas leges ab ipso nobis datas. Item obligatio omnium hominum adversus quoslibet homines qua tales, per quam invicem jus naturæ usurpare, socialémq; vitam agere debent. Adventitiæ obligationes sunt, quæ jam natis sponte accersuntur, vel imperio superioris aut lege injunguntur.

§. 2. Deinde obligatio ratione subjectorum est vel *æqualitatis* vel *inæqualitatis*. Obligationem inæqualitatis vocamus, quæ illum, cui ex ista aliquid à nobis debetur, superiorem nobis constituit, ac potestatem seu imperium aliquod in nos infert. Qualis est subjectio, seu obligatio illa, qua quis ab altero pro imperio injuncta præstare tenetur. Quæ dividi potest in universalem, qua quilibet homo Deo obsequia præstare tenetur, & particularem, qua certi homines certis hominibus sunt obnoxii. Quæ iterum est vel publica, qua quis publico alicujus imperio est subjectus: vel privata, qua sub privato alicujus imperio constituimur. Utraque est vel limitata, ut subjectio uxoralis, filialis, tutoria, mercenaria, &c. vel illimitata, ut subjectio qua cives civitati tenentur, & servitus personalis perfecta, qua quis actiones suas utiles prorsus ad alterius usum & arbitrium adplicare tenetur. Quarum utraq; tamen obligationi adversus Deum posterior etiam obligationi adversus civitatem cedit, ubi utriq; simul satisfieri nequit.

§. 3. Ratione autem efficaciæ, quam exserit in societate humana, obligatio est *perfecta* vel *imperfecta*. Illa est, cui in altero, ad quem ea spectat, respondet jus perfectum, unde illi actio adversum nos in foro humano datur; hæc est, cui in altero, ad quem ea spectat jus imperfectum duntaxat respondet, unde illi actio adversum nos in foro humano non datur. Quod qua ratione contingat, paulo post explicabimus.

§. 4. Porro quoad durationem quædam obligationes sunt *perpetuæ*, quædam *temporariæ*. Illæ non possunt tolli,

tolli, quamdiu personæ, quibus inhærent, existunt; qualis est obligatio connata adversus DEUM, & quoslibet homines qua tales, quam exuere homo nequit, quamdiu homo. Etsi enim, quando alius adversus me jus naturæ non exercet, nec ipse idem adversus eundem exercere tenear, sed vi, adeóq; belli jure cum ipso agere queam; idq; quia ea obligatio est mutua, quæ ubi ex una parte abrumpitur, alteram non amplius stringit, qua ratione obligationis illius exercitium, saltem circa pleraq; juris naturæ præcepta, queis officia alteri præstanda præscribuntur, suspenditur: (quod libro II. latius ostendemus:) id tamen manet perpetuum, ut quamprimum propriæ salutis ratio admittit, iterum cum eo ad jus naturæ exercendum, pacémq; colendam parati esse debeamus. Quæ est natura omnium obligationum ex præceptis seu legibus affirmativis resultantium, ut ad exercitium suorum actuum semper paratos esse jubeant, quoties occasio illos exercendi suppetit; ab eorundem vero exercitio cessent, quando vel objectum ad eos recipiendos non adest, vel mala dispositione laborat, aut quando arctior obligatio laxiori locum non relinquit. Quemadmodum heic cura propriæ salutis haud me permittit rationem habere salutis ejus, qui meam injuste impetitum it. Ex adventitiis autem obligationibus debitum honoris & gratitudinis liberorum adversus parentes huc potest referri hactenus, quod ordinarie non cessat, quamdiu hi in vivis sunt. Etsi videatur casus posse dari, quibus ista obligatio penitus expiret. Scilicet, quando parentes infantis nati curam, nulla urgente necessitate, abjiciunt, & omni ope humana destitutum exponunt: aut cum deinceps educationem ejus turpiter negligunt, vel alias infenso animo salutem ipsius eversum eunt. Obligatio enim ista liberorum ex lege gratitudinis potissimum profluit, quæ antegressa beneficia respicit. Atqui nec nudum illum generandi actum imputare soboli parentes possunt, quippe in quo vix aliud

quam ſuam voluptatem quærunt: nec mater, licet in geſtatione ac partu magnis moleſtiis exhauſtis, beneficium dediſſe videri poteſt, ſi in lucem protulit, ut abjiceret, aut neglecta educatione fœdos contrahere mores pateretur. Et debitum gratiæ referendæ illi videor remittere, apud quem acerbitate injuriarum beneficiorum gratiam meorum ipſe delere nitor. Vinculum vero matrimoniale ex lege divina poſitiva hoc tantum peculiare habet, quod, eſſentia pacti conjugalis non violata, utriuſq conjugis conſenſu diſſolvi uti cæteræ obligationes temporariæ, nequeat. Alias enim hoc commune habet cum reliquis pactis ut ſi eſſentiale caput iſtius ſit violatum ab una parte, nec altera eo amplius ſtare teneatur. In hoc autem iſtud conſiſtit, ut maritus uxori, & uxor marito, ac iſthæc præterea nemini corporis ſui copiam faciat. Id ubi violatum fuerit, etiam divina lex divortii licentiam concedit. Temporariæ obligationes ſunt, quæ tolli poſſunt, vivis adhuc perſonis, quibus inhærent. Quod quibus modis fiat, infra exponetur.

§. 5. Quantum ad reſpectum obligationum, quo ſibi invicem reſpondent, attinet, obligatio eſt vel *mutua* vel *non-mutua*. Hæc eſt, quando una quidem perſona alteri quid præſtare tenetur, ita tamen, ut in altero illo, cui quid debetur, nulla inſit obligatio iſti reſpondens, & ad æquipollens quid præſtandum adſtringens. Talis eſt obligatio hominum erga Deum, per quam illi quidem huic abſolutam debent obedientiam, ipſe vero nulla ratione iiſdem ad aliquid pro ea obedientia præſtandum tanquam ex vi obligationis extrinſece advenientis tenetur. Nam quæcunq; ipſe hominibus præſtat, ex gratuita ipſius benevolentia proficiſcuntur. Ex obligationibus autem, quæ inter homines utrinq; verſantur, nulla hujus generis eſſe videtur. Idq; quod naturali hominum inter ſe æqualitati repugnet, unum obligari alteri, ut hic iſti nulla prorſus ratione iterum obligetur. Equidem ut omnes homines quoad ſtatus advenritios

titios & poteſtatem actu eſſent æquales, natura haud quaquam intendit, dum ſociali hominem vitæ deſtinat quæ cum omnimoda iſta æqualitate nequidquam ſtare poteſt. Quia tamen actualis hominum inæqualitas inter ſe, puta, ut Cajus ſit ſuperior, Titus inferior, ut Seius ſit Princeps, Sempronius ſubditus, ex conventione hominum mutua, legibúſq; poſitivis eſt; non poteſt præſumi, unum voluiſſe alteri ſe obſtringere, ut alter ipſi iterum nulla ratione, ſaltem alia obligationis ſpecie, obſtringeretur. Adde quod ſocietas exiſtere non poſſit, ni omnes ac ſinguli mutuo inter ſe vinculo colligentur.

§. 6. Obligatio mutua eſt, cui alia reſpondet obligatio in illa perſona, cui quid ex iſta debetur. Hæc iterum eſt vel *imperfecte mutua*, vel *perfecte mutua*. Illa eſt, cui quidem in altero reſpondet obligatio, ſed diverſi generis; ut, ſi ad perfectam obligationem imperfecta duntaxat referatur. Quod contingit ex duplici potiſſimum cauſa: vel quando perſonarum, quas inter deprehenditur obligatio, tanta eſt inæqualitas adventitia, ut una in alteram ſummum habeat imperium: vel quando una perſona alteram æquali ſecum obligatione ipſa non vult adſtringere. Prius evenit circa obligationes, quæ Principi abſoluto cum ſubditis, vel civitati cum cive intercedunt. Quarum natura eſt ejuſmodi, ut in cive quidem, aut ſubdito ſit obligatio perfecta, in Principe autem & civitate duntaxat imperfecta. Equidem ſunt, qui dicant, omnino non poſſe obligari Principem abſolutum ſubdito aut civitatem civi, eo quod ſubditi vel cives hoc ipſo, quod tales fiunt, voluntatem ſuam in voluntatem Principis aut civitatis reſolvant, ita ut iſtorum voluntas in hujus voluntate comprehendatur, adeóque eadem cum illa ſit. Jam autem neminem ſibi ipſi poſſe obligari, quia cum idem ſit obligatus & obligans; obligans autem obligatum poſſit liberare, fruſtra ſit ſibi obligari, cum liberare ſeipſum poſſit ſuo arbitrio, & qui

hoc poteſt, actu jam liber ſit. Enimvero ratio iſthæc, alias acuta ſane, nihil aliud concludit, quam Principem abſolutum qua talem cum ſubditis non poſſe contrahere obligationem efficacem in foro humano circa modum imperii, ut ſcilicet ipſe Princeps abſolutus maneat: Nequaquam autem, quod neq; ad bene gerendam imperium, neq: ſi quid præterea fors pactus eſt, ullo modo teneri poſſit. Iſtud ut liquidius percipiatur, obſervandum, quod qui ſeſe Principi aut civitati ita ſubdit, ut ſummum huic in ipſum imperium competat, hoc ipſo agnoſcat in eo poteſtatem pro arbitrio de ſalute publica, in qua etiam ſingulorum ſalus continetur, ſtatuendi, ita ut circa eam nihil ſibi poteſtatis reſervet. Inde non poteſt dari caſus, ut peculiarem aliquam obligationem circa ea, quæ proprie ſummum imperium, ejuſq; exercitium concernunt, Princeps cum ſubdito contrahere queat. Implicat enim, ſummum habere, abſolutúmq; imperium; & obligationem peculiarem, & quæ inter homines actionem det, inire cum ſubditis circa modum exercendi ſummum imperium. Nam ſi cui Principi ejuſmodi obligatio inſit cum hoc effectu, ut à civibus actio illi queat intendi, aut coactio adferri, omnino talem ſummum non habere imperium adparet. Obligatio igitur, quæ inter principem & ſubditos eſt circa res ad ſummum imperium pertinentes ita ſe habet, ut ſubditis quidem perfecta inſit obligatio juſſa Principis capeſſendi, utq; in detrectantes Principi actio competat, & poteſtas in ordinem eos redigendi. Principi vero, eo ipſo dum talem ſe fert, obligatio ineſt ſalutem publicam curandi eo quo promiſit modo, ſed imperfecta duntaxat. Scilicet quæ tantum ſtringat ex vi legis divinæ & naturalis, non autem tanquam ex vi legis alicujus civilis, quippe cum neq; forum inter homines detur, ubi ejuſmodi Principi actio poſſit intendi, nec ipſis ſubditis competat poteſtas de actibus Principis cognoſcendi & judicandi. Adeóq; obligatur Princeps ſubditis circa exer-

exercitium summi imperii, sed ita, ut si minus recte eo utatur, in DEUM quidem, tanquam vindicem legis naturæ peccet; ob defectum tamen fori humani, & inhabilitatem actorum subditis actio adversus ipsum competere nequeat, si vel maxime juramento quoq; fidem suam obstrinxerit. Sic etiamsi parte aliqua summæ potestatis sese Princeps abdicet, seu ea se non usurum promittat; tamen nisi vel illam potestatem in alterius manus resignet cum hoc effectu, ut iste jus habeat contra quosvis, etiam ipsum Principem, vi istam tuendi, ac quosvis eam turbaturos reprimendi; vel concilio Procerum aut populi facultatem det, si contra faciat in ordinem ipsum redigendi; in legem quidem naturæ peccabit, si illam iterum usurpet, quo minus tamen id faciat, à subditis prohiberi non potest, ac validi erunt actus, qui hoc casu de facto suscipiuntur. Nam ut aliquid in civitate effectus juris civilis habeat, in solo arbitrio summæ potestatis situm est. Nec minus, si Principi cum subdito aliud quid negotii intercedat, quod ex vi summi imperii non pendeat, puta, si à subdito pecunias mutuo sumat, aut alicujus operas conducat, obligatio est imperfecta. Idq; non tam ex vi dominii eminentis, etiam in hoc jus subdito ex pacto cum ipso imperante quæsitum, sese extendentis qua ipsam hanc obligationem, si ex bono publico sibi videatur, tollere possit; (nam id remisisse in ejusmodi casu ex ipsa negotii natura intelligitur, ne nihil inter ipsos actum sit;) quam ob defectum fori, & imperii superioris inter homines. Quod si tamen Principes, uti frequenter contingit, in ejusmodi rebus subditis adversum se actionem concedant in proprio tribunali, ista actio non est ex vi juris civilis, sed æquitatis naturalis; quasi cognita sua obligatione non possit, quod debet, non velle præstare; adeóq; isthac actione non id quæritur, ut Princeps cogatur ad præstandum debitum, sed ut subditus liquido ostendat, Principem ad id ipsi præstandum sese obligasse. Idem

judicandum de obligationibus inter parentem & liberos, dominum & ſervum circa illas res, ubi abſolutam iſtis poteſtatem leges civiles relinquunt, nec actionem his adverſus illos in foro civili concedunt. Sic v g. ſi Dominus certum præmium ſervo promiſerit pro extraordinario aliquo opere, & quod non contineatur ſub objecto obligationis quæ ex natura ſtatus fluit, ſi iſtud non ſolvat, in legem naturæ peccat; verum cum lex civilis nullum heic ſervo ſubſidium ferat, in foro humano adverſus Dominum actionem non habebit. Quod autem leges Romanæ pronunciant, inutilem eſſe ſtipulationem, ſi is, qui juri tuo eſt ſubjectus, abs te ſtipuletur, aut tu ab eo: addita ratione, quia nemo ſibi ipſi poteſt obligari, aut ſecum ipſe agere; Dominum autem & ſervum, patrem & filium in iis quæ juris ſunt, & Domino ac patri adquiri poſſunt, vice unius perſonæ fungi; ex eo non conſequitur, inter patrem & filium, Dominum & ſervum nullam eſſe obligationem ſaltem naturalem. Sed de civili duntaxat obligatione ſermo eſt, quæ ideo inter illos circa ejuſmodi res non poterat enaſci, quia filio in patrem iſtæ leges heic actionem negabant; nec filio familias (præterquam quæ peculiaris legum favor largitus fuerat,) aut ſervo proprii quid erat, niſi quod peculii iſtius liberalitas conceſſerat, quo ſi opus fors habebat, jure id ſuo auferre poterat; adeóq; fruſtra erat, per ſtipulationem ad ea ſibi jus quærere.

§. 7. Altero modo obligatio imperfecte mutua emergit, quando quis, dum ſe ad quid præſtandum alteri obligat, hunc eodem modo ſibi viciſſim obligari non poſtulat. Id quod contingit potiſſimum circa promiſſiones gratuitas. Dum enim alteri quid promitto obligationem id præſtandi ipſe contraho, quæ alteri actionem contra me etiam apud Prætorem dat, ubi ſtipulationes jure civili ſunt ſancitæ. Nec minus, ubi ſolo naturali jure iſtæ valent, promiſſorem poſcere promiſſum queo, eo modo, quo ea, ad quæ ex ſola naturæ lege jus habeo, ſaltem

ubi

ubi fraude & per ludibrium promiſſorem tergiverſari adparet, atq; ego in promiſſo rationes meas fundarim, & exinde detrimenti quid ceperim. Æqualis tamen non eſt promiſſoris ad præſtandum promiſſum, & alterius ad gratitudinem oſtendendam obligatio; etiamſi promiſſio quoq; ſolo naturæ jure ſtet, nec ex lege civili actionem pariat. Ratio eſt, quia dum quis gratis quid promittit, eo ſignificat, ſe non velle de æquipollente quapiam re velut ex debito præſtanda altetum adpellare, eáque de cauſa ad alterius gratitudinem actiones ſuas non format, nec, ſi ea deficiat, detrimenti quid aut ludibrii patitur, uti ille, qui promiſſori tanquam bono viro fidem habuit, & conſilia ſua ad ejus promiſſa direxit. Inde cum de jure naturæ ab eo, qui promiſſis ſuis me fefellit, ſaltem id, quod exinde detrimenti cepi, recte poſſim exigere; haud quaquam idem juris habeo, ſi ſpes de alterius gratitudine concepta me fefellerit; eo quod, uti jam dictum, ipſam quantum in me obligationem illi remiſerim, eámq; in ſolidum ipſius humanitati reliquerim.

§. 8. Cæterum ut recte intelligatur natura & effectus promiſſionis, ſciendum eſt, tres conſtitui gradus loquendi de rebus bonis in alterum conferendis, quæ noſtræ ſunt poteſtatis aut fore putantur; nempe adſertionem nudam, promiſſionem imperfectam & perfectam. Adſertio nuda eſt, quando explicamus animum noſtrum de futuro, qui nunc eſt, citra obligationem in illa voluntate perſeverandi: v.g. ſi dicam alicui, ſi poſt menſem idem mihi eſſet futurus animus, qui nunc eſt, equo à me donareris. Ejuſmodi adſertionis nullus eſt effectus. Nam nec ullam adfert obligationem in ea voluntate perſeverandi, & elapſo dicto tempore, vel adparente alia conditione adjecta, integrum ipſi prorſus eſt, valide jam promittere, aut præſtare rem ſignificatam velit, an minus. Promiſſio imperfecta eſt, qua quis voluntatem ſuam pro futuro tempore determinat ad aliquid alteri gratuito præſtandum, cum ſigno ſufficiente ad indican-

dam

dam perſeverandi neceſſitatem ita tamen, ut illi, cui promiſſio fit, nullum adhuc jus proprium conferatur rem promiſſam exigendi. Id quod potiſſimum contingere videtur, quando is, cui quid promittitur, in promittentem nullam habet actionem in foro humano ob imperium iſtius in ſe: ut ſi Dominus ſervo, pater filio, Princeps ſubdito promittat. Item quando in civitatibus, ubi ſtipulationes jure civili ſunt ſancitæ, quædam formula aut ſolemnitas lege præſcripta in promiſſione fuit prætermiſſa; ubi promiſſor ex naturali quidem æquitate promiſſum ſervare tenetur, actione tamen civili ob defectum ſolemnitatis ad id compelli non poteſt. Quo etiam referunt promiſſionem ita conceptam: v.g. ego propoſitum habeo dandi tibi centum aureos, ac peto à te, ut mihi credas. Nam hoc caſu priorem proprie nullum jus in alterum conferre, & teneri ad id præſtandum magis ex regula veracitatis, quam juſtitiæ. Promiſſio denique perfecta eſt, qua quis voluntatem ſuam pro futuro tempore determinat ad aliquid gratuito alteri præſtandum cum ſigno ſufficiente ad indicandam perſeverandi neceſſitatem, ita ut etiam jus ad rem promiſſam alteri conferatur.

§. 9. Notandum autem circa promiſſa, jus ad rem promiſſam in alterum transferri duntaxat per verba de præſenti aut præterito, non autem per verba de futuro; niſi forte ad verba alia quoq; concurrant ſigna, quæ declarent, promiſſorem de futuro loquentem verba ſua ad præſentem & perfectam juris tranſlationem valere velle. Alias enim, ſi quis dicat v.g. cras promittam ſeu donabo, aperte ſignificat, ſe non donaſſe. Toto itaq; hodie jus immotum manet, ut & craſtino die ac deinceps, niſi interea actu dederit. Cum enim ejuſmodi promiſſione donationis gratuitæ nullum bonum ſit adquiſitum vel adquirendum, non cenſetur plene adhuc voluntatem ſuam determinaſſe, aut jus in alium transferre velle, quamdiu adhuc in futuro loquitur, eo quod interea vel affectus

affectus ipſius mutari queat, vel caſus intervenire, cur re ſua commode carere non poſſit, vel deniq; ratio promittendi in altero expirare. Adeóq; quamdiu jus de præſenti non transfert (rei enim traditio præſens non requiritur,) deliberare adhuc, & poteſtatem voluntatis mutandæ ſibi reſervare intelligitur. Quemadmodum in teſtamento haudquaquam jus de præſenti in hæredem teſtator transfert, ſed ſemper hanc clauſulam adjeciſſe cenſetur: hic hæres meus eſto, niſi antequam moriar, voluntatem mutavero. Etſi levitatis incurrat notam, qui inani ejuſmodi ſpe alios nequidquam lactat. At vero qui ita loquitur, v.g. do vel dedi, habendum cras, ſignificat, ſe hodie dare jus cras rem habendi, ſeu, ſe hodie jus alicujus rei in alterum transferre, cujus traditio craſtina die fieri debeat. Nec obſtat, quod communi loquendi conſuetudine omnes fere promiſſiones verbis futurum tempus notantibus, ſi grammaticam verborum formam ſpectes, exprimantur. Id enim ideo fieri conſuevit, quia traditio rei promiſſæ plerumq; poſt intervallum ſequitur, immo vix promiſſio dici queat, ubi eodem tempore voluntas dandi declaratur, & res ipſa exhibetur; (quippe cum heic vel nullam fuiſſe obligationem vel ſtatim atq; fuit contracta iterum expiraſſe videatur,) & vero tum demum ſe homines habere rem aliquam communiter dicant, quando ejus poſſeſſionem ſunt adepti. Adeóq; talium verborum, ſicubi in promiſſione perfecta occurrant, v. g. intra VI. dies C. aureos tibi dabo: eorum proprie hic eſt ſenſus; jam tibi jus do habendi & exigendi à me dicto tempore C. aureos ſimúlq; me obſtringo quod præfixo ſpatio elapſo eos tibi ſim traditurus. Unde adparet, verba futuri temporis in promiſſionibus, ac præprimis vocabulum dandi, reſpicere vel obligationem adhuc contrahendam, quibus neque res ipſa neque jus ad rem transfertur; vel traditionem rei deinceps faciendam, in quam jus jam transfertur aut tranſlatum

fuit,

fuit, quæ perfectioni promissionis nihil obstant.

§. 10. Requiritur porro ad promissum perfectum non solum voluntas promittentis, sed etiam ejus cui fit promissio. Nam ubi hæc deest, seu ubi alter rem acceptare renuit, etiamsi juratus id promiserim, jus in rem meam integrum penes me manet; eo quod invito rem meam obtrudere nolui, & pro conditione suppolui, si quidem id ipsi accipere placeret. Haudquaquam autem juri meo simpliciter renunciare, aut in quemlibet conferre, seu pro derelicto habere volui, quod recusanti obtuli. In solo enim isto causa fuit, quæ ad dandum me permovit, in cæteris non item. Quod si vero cum voluntate promittentis etiam alterius, cui quid promittitur, voluntas acceptando concurrerit, (quod etiam fieri intelligitur, si alter id antea sibi promitti petiit, nec id postea revocavit) tunc simul ab illo in hunc jus ad rem promissam transiisse intelligitur, adeóq; promissori promissum non repræsentare invito promissario fas amplius non est, eo quod isthoc modo, jus suum huic denegaretur, ac rationes istius contubarentur, quæ, ut in tua fide fundaret, ipse promissor voluit.

§. 11. Est autem promissio vel *pura* seu absoluta, qua quis ad aliquid alteri gratuito præstandum sese obligat, citra suppositionem ullius rei eventus aut facti: vel *conditionalis*, quæ supponit certam rem, factum aut eventum quoad nudam adesse ntiam, quo negato promissio nulla sit. Dico, quoad nudam adesse ntiam, i. e. ut nude supponatur, n s aliquid præstituros, si hoc vel illud extiterit, vel si hoc aut illud à quocunq; factum fuerit vel non fuerit. Alias enim si tale quid supponatur velut causa meritoria aut impetratoria promissi, aut si promissor à promissario expresse quid stipuletur, si vel maxime certus duntaxat acceptationis modus, aut recognitio id sit, pactum erit. Cæterum est obligatio promissionum conditionalium in pendente efficacia, donec de illius existentia vel non existentia promissori innotuerit.

erit. Illud ubi factum, purarum vim promissionum nanciscuntur: conditione vero non adparente, obligatio quoq; nulla est, quippe quæ ex ista suspendebatur. Sic si quis promiserit, se quid præstiturum, si alius quispiam consenserit, non prius tenebitur, quam de ejus voluntate constiterit. Quod si vero res nunc non est in potestate promittentis, sed esse aliquando possit, promissio erit in pendente efficacia; quia tum promissio facta censeri debet sub conditione, si res in potestatem venerit. Quod si conditio, qua res in potestatem promissoris venire possit, ipsa quoq; sit potestativa, i.e. si in potestate promittentis sit, ut illa conditio veniat in potestatem, tenebitur promissor facere, quidquid æquum est, ut illa impleatur. Observandum porro, inutiles & nullas esse promissiones, quando conditio sub qua promittitur, posita est in mero nostro arbitrio. v.g. Servus meus tutor erit meorum liberorum cum mihi libertatem illi dare placuerit. Habebis à me X. aureos, quando mihi placuerit. Idem enim est ac si dixissem: Jam nihil dare tibi placet, sed quando placuerit, tum demum habebis, nec tamen me obstringo, ut id aliquando placiturum sit. Unde recte JCti Romani: quod in nostra potestate est, in casum conferri non oportet. Sic conditio quoq; impossibilis promissionem facit nullam; æquipollet enim negationi promissionis. Loci mentio in promissione adjecta tantum involvit temporis tractum, quosd commode perveniri queat ad locum, ubi promissum quis præstare recepit. Tempus autem certum adjectum facit, ut effectus obligationis non nisi illo elapso exseratur, seu ut, nisi præstituto die præsente, peti non possit.

§. 12. Obligatio *perfecte mutua* est, quæ oritur ex conventione duorum pluriúmve circa certas res vel actiones invicem præstandas, ita ut utrinq; ejusdem generis sit obligatio sese mutuo respiciens. Istiusmodi obligationes pactorum aut contractuum nomine solent venire,

nire, etsi posteriori vocabulo illæ plerumque insigniantur, quæ versantur circa res & actiones in commercium venientes. Hæ porro, cum utrinq; respiciant res conventas, atq; reciprocam supponant fidem, facile patet, si una pars datam fidem violaverit, alteram quoq; non amplius teneri, adeóq; perfidum non esse, qui pactis non stat ab altero jam violatis. Insunt enim capita singula unius ejusdemq; conventionis alia aliis per modum conditionis, quasi expressum esset; hoc ita faciam, si & alter fecerit, quod pactus est: & quidem regulariter ita, ut siquidem idem pactum fors plura contineat capita, violato uno capite totum pactum dissolvatur, nisi peculiariter conventum sit, non minus valitura reliqua capita etiamsi fortasse unum aut alterum fuerit violatum. Ubi tamen notandum, pleraſq; conventiones ita conceptas, ut unus tempore prius suum præstare debeat, quam alter. Heic etsi prior sub hac conditione suum præstet, ut alter quoq; deinceps paria faciat; ejus tamen obligatio hactenus est absoluta, quod fide alterius confisus, antequam ejusdem portio exhibeatur, omnino suam teneatur implere, nisi fors post conventionem initam manifesta adpareant signa, alterum re accepta ipsum frustraturum. Ejus autem, qui posterior præstare debet, obligatio ita à prioris exhibitione dependet, ut ea non adparente statim illa expiret, & jus eidem enascatur istum, si velit, vi ad pactum implendum adigendi. Quod si autem successive & per partes res invicem sint exhibendæ, statim atq; unus in exhibendo debito pergere definit, alter quoq; ad ulterius pergendum non amplius tenebitur.

§. 13. Quid autem fiet hoc casu de rebus jam ex parte præstitis? An ad ea quoq; uterq; perinde firmum jus habebit, ac si pactum plene exsecutioni fuisset datum? Heic censemus respiciendum esse, uter pactum semicompletum abrumpat. Si enim alter conventionem meum initam prior violet, ego quidem ad partem rerum,

quas

quas jam accepi, plenum jus retineo; alterum autem si velim possum cogere, ut vel reliqua pacti expleat, vel ejusdem æstimationem præstet; quod juris alter nequaquam adversum me habet. Locum enim obtinet tritum illud: Quoties per eum, cujus intererat conditionem impleri, fiat, quo minus ea impleatur, perinde habetur, ac si impleta conditio fuisset. Nec si postea pœnitentia ductus pactum continuare velit, ipse id acceptare cogor; cum ejus violatio semel facta omni me obligatione ad idem pactum prorsus absolverit. Idem quoq; valet, si id quod ego accepi pluris sit, quam quod alteri præstiti; ubi nec ego id, quod rei meæ pretium excedit restituere teneor. Censetur enim mihi obligationem ipse remittere, neq; velle me ex isto pacto aliquid præterea præstare, qui istud prior violavit. Sic v.g. si quis operam meam in annum conducat, mercede in antecessum soluta, post ante annum finitum citra meam me culpam dimiserit, non teneor de mercede ipsi restituere, quanti residui temporis opera erat.

§. 14. Oritur autem vis obligationum vel ex jure naturæ vel ex jure civili. Ac de posterioribus quidem extra controversiam est, quod efficacia earundem necessitatem adferendi ad præstandum utrinq; id de quo conventum est, ultimo sese resolvat in vim seu facultatem cogendi, quæ summam potestatem in civitate gerenti inhæret. Adeóq; quod ea, quæ ex obligationibus de jure civili legitimis debentur, necessario sint præstanda, causa in genere isto obligationum ultima est, quia ad id si nolint, à potestate civili coguntur. Hac enim ipsa de causa civitates plerasq; conventiones, queis alias ex jure naturæ vis obligandi inerat, suis quoq; legibus sanciverunt, atq; ex illis actionem pacisœntibus dederunt, ut, siquidem ex reverentia adversus legem naturæ nollet quis præstare quod deberet, vi & imperio magistratus posset adigi. Nisi enim istæ inviolabiles servarentur, commercia inter cives & quieta societas stare

non

non poterat, nec satis prospectum paci videbatur, suæ quemq; heic conscientiæ relinquere, vulgus præsertim, cui languidus inest honesti sensus; ex quo tamen magna civitatum pars constat. Quanquam autem omnibus fere conventionibus, lege civili confirmatis, ex jure quoque divino obligandi vis insit, adeóq; etiamsi quis per subsidium judicis jure suo potiri nequeat, vel quod per imprudentiam in solemnibus formularum carminibus quid peccatum sit, vel quod judex iniquam sententiam ex male percepta causa aut ob affectum tulerit, aut omnino cognitionem à se removerit, alteri nihilominus ex jure naturæ obligatio maneat præstandi ea, de quibus fuit conventum: nequaquam tamen huic, cui injuria est facta, facultas relinquitur, per media jure naturæ alias concessa ad ea, quæ ex eodem jure debentur, perveniendi, pura per vim privatam aut bellum. Causa est, quod per subjectionem civilem singuli se abdicaverunt potestate aliter, quam per subsidium Magistratus exigendi ab invitis id, quod sibi saltem à concivibus debetur. Et hæc proprie locum habent, quando cives ejusdem Reip. inter se contraxerunt non solum ad formulam legum civilium, sed etiam ex solo jure naturæ. Nam neq; illa pacta, de quibus civilis lex nihil disponit, civibus ejusdem Reip. faciunt potestatem autoritate propria violatorem eorundem vi cogendi. Quod si autem diversarum Rerump. civibus res inter se sit, dispiciendum, an civitas aliqua peregrinis æque ac civibus jus velit ac soleat dicere, an non. Illud si est, actio ex lege civili competit adversus eum, qui conventis stare non vult, eaq; instituenda in civitate rei, siquidem hic tam quoad personam, quam quoad bona in ista in præsens degat. At si in alterius civitate vel quoad personam suam tanquam peregrinus fuerit, vel bona quædam sub eadem possederit, non opus habet actor in rei civitate actionem instituere sed in propria civitate dicam illi scribere potest, si reus præsens sit, vel petere, ut in bona illic existentia

iſtentia manum injicere liceat. Quilibet enim peregrinus, niſi ſi quos mores gentium peculiariter exceperunt, cenſetur agnoſcere jurisdictionem & forum ejus civitatis, in qua diverſatur, ſaltem quoad actus in iſta civitate, aut cum ejuſdem civibus exercitos. Quod ſi autem civitas aliqua peregrinis jus non ſoleat dicere, vel alias id ſolita certo alicui inique idem denegaverit, conventiones civium illius cum civibus diverſæ Reipublicæ ex ſola lege naturæ efficaciam habebunt, adeóq; ad vim adhibendam poteſtatem dabunt, quam in defectu actionis civilis & pacificæ jus naturæ indulſit. Ubi tamen illud obſervandum, quemadmodum Princeps non-meus, dum imploratus auxilium adverſus ſubditum ſuum juri meo obtinendo denegat, ſeipſum injuriæ reum facit, adeóq; mihi dat poteſtatem jus meum non in primario tantum debitore, ſed etiam in ipſo perſequendi: (ſi quam enim ipſi obedientiam in ejus territorio verſans debui, ea cum loci mutatione expiravit:) ſic me non poſſe privato auſu ad violenta media contra alterius Reip. civem aut Principem deſcendere citra conſenſum meæ civitatis, ſed ejus auxilium implorare juri meo adipiſcendo debere; (ad quod ipſa, ſi commode poſſit, præſtandum obligatur:) idq; quia ejuſmodi privatorum controverſiis civitates ipſæ bello poſſunt implicari. Niſi forte civitas citra ſufficientem rationem me deſerat, aut ipſe ſatis eidem cavere poſſim, ex mea vi ad ipſam nihil incommodi redundaturum.

§. 15. Quinam autem obligandi vigor inſit pactis ſolo naturæ jure coalitis, qualia ſunt inter eos, qui communem judicem in foro humano non agnoſcunt, aut de quibus jus civile nihil diſponit, inter eruditos controverſum eſt. Nonnulli enim ſtatuerunt, eorundem efficaciam ſolo pudoris ac verecundiæ vinculo contineri, præſertim ubi nullum adhuc πυκάλαγμα interceſſit; & ab alterutra parte nihil præſtitum fuit; cæteris hanc ſententiam tanquam omnium fidem fœderum enervantem

acriter insectantibus. Nobis non ita magnam habere res difficultatem videtur, si illud initio supponatur, homines à natura conditos esse, ut societatem inter se colant; nec quemquam alteri quid debere inferre, quod discordiis ac bellis præbere causam queat. Id quod potissimum sit, quando quis, cui nullum peculiare jus per pacta fuit quæsitum, alterum eodem secum jure frui non patitur, ac opera sua deteriorem ipsius conditionem facit. Cum autem societas coli atq; conservari citra conventiones mutuas nequeat, & maxima ad irritandos ac in discordiam conjiciendos homines causa sit, ac citra dubium alterius conditionem deteriorem reddat, si quis ab altero, cujus fidem pacto expressam secutus fuerat, frustra habeatur: adparet sane, omnino jure naturæ homines ad servanda pacta obligari, & illa violantes in idem peccare. Idq; in illis pactis longe manifestissimum est, in quibus alteruter paciscentium id, de quo conventum fuerat, aut partem ejus jam præstitit. Ubi vero neutra ex parte adhuc quidquam est præstitum, etsi minus detrimenti capiatur, quam priori casu; (quemadmodum & ejusmodi pacta rebus adhuc integris utriusq; partis consensu facillime dissolvi possunt:) nihilominus tamen & hoc in jus naturæ peccatur, si id de quo conventum fuit, non impleatur. Nam & illud justam mihi querelarum causam præbet, si rationes meæ, quas ego alterius fidei superstruxeram, isto fallente convellantur, aut si ludibrio saltem præter meritum ab illo afficiar. Hic alter, cui ex conventione suum priori loco est præstandum, obligatione solvitur ex metu, ne si ipse, quod debeat, expleverit, ego posterior pacto non stem. Eo ipso enim, dum animo deliberato mecum contraxit, except oni huic renunciavit, quippe cum alias nihil inter nos fuisset actum; ac absurdum foret metum, qui impedire non poterat, ne paciscereturi impedire, quo minus, de quo conventum est, præstet. Imo si iste metus fidei prævaleret, nulla coire societas civilis aut servari

posset,

posset, sed in perpetuo bello, adeóq; belluarum statu esset degendum. Qui enim in civitatem coëunt, eos utique fidem sibi habere oportet, quod hi quidem salutem publicam procurare, cæteri ipsi parere velint. Alias nusquam in unum corpus coalescerent, nisi, qui se alteri subjiciunt, imperaturi fide data consenti ad obsequium sese componerent. Et magna ex parte commercia hominum inter se colli necesse esset, si gratia duntaxat fides locum inveniret, & oculatæ manus nil crederent, nisi quod viderent. Quod si tamen post pactum initum nova metus causa emergat, puta, quando alter manifesta indicia dederit voluntatis non præstandi ex sua parte quod debet, postquam ego meum implevi; nec ego citra cautionem meum ita temere præstare teneor. Cum enim ejusmodi pacta mutua consistant fide, ubi ea ex una parte deficit, etiam altera absolvetur; & jam mihi obligationis meæ gratiam fecisse videtur, qui perfidiam suam in antecessum testatur. Debet autem illa metus justi causa nova esse, & pactum sequi. Quæ enim antecessit, ipso pacto fuit sublata: Nec ea me causa absolvit, quæ pactum meum proprie non spectat, puta, si fidem aliis non servarit, aut alii interea mihi fidem fallant. Nam nec aliorum scelus frandi tertio esse debet: & quemadmodum de eo queri nequeo qui meum mihi solvit, etiamsi aliis non solvat; ita quamdiu perfidiæ in me peculiariter exercendæ nullum edit signum, obligatione præstandi meum non solvor ideo, quod alios iste decepit. Potest enim firmam voluntatem mihi fidem servandi habere, qui eam compluribus aliis violavit.

§. 16. Etsi vero ad obligationem hanc à seipso contractam homo, si fors voluntas utilitatis respectu aut per libidinem fuerit mutata, non negligat, sola fidei servatæ honestas & violatæ pudor, ac existimationis suendæ cura, etsi non parum momenti obtinentes haud satis efficaciæ habere videntur; quod ex iisdem patet rationi-

bus, quibus inferius solam naturæ legem paci inter homines servandæ haud sufficere ostendemus. Necesse igitur est aliquid existere quod faciat, ne homo facile voluntatem semel expressam & devinctam mutare audeat, ac ut melius judicet eam servare, quam violare, etiamsi fors præsens utilitas contrarium suadere videatur. Talem autem effectum nihil habere deprehendimus, præter metum mali alicujus ob pacti violationem inferendi ab aliquo valentiore, adeo ut ultimo tandem obligationum efficacia à vi derivetur. Quæ vis est vel in ipso, cui injuria fit, vel in aliis hominibus quibus cum fors perfido negotii quid esse potest, vel ad quos ejus perfidia saltem ob exemplum commune spectat, vel denique in summo universi gubernatore Deo. Quæ in ipso, quo cum pactum fuit initum, vis est, præsentissimam fere efficaciam habere suevit ad constringendos homines, ne à pacto discedant. Pleraq; enim pars mortalium eo est ingenio, ut oblata justa violentiam exserendi causa, (qualem violatio pactorum suggerit,) raro sibi temperent, quo minus citra dilationem à perfido sumant pœnas quam gravissimas. Nec reliqui homines pactorum violatori non sunt metuendi. Frequenter enim solet evenire, ut alii quacunq; de causa injuria affectum sublevatum eant, & conjunctis viribus perfidum invadant. Ac alii potentiores, quibus cum perfido quid negotii est, etiamsi efficacia pacti ipsorum cum hoc non suspendatur ab observatione pacti, quod huic est cum tertio, avide plerunq; gaudent arripere libidini suæ velandæ plausibilem prætextum, imbecilliorum injurias vindicare. Et communiter miseratio illos destituit, qui ea patiuntur, quæ alii exemplo ipsorum didicisse videri possunt. Denique nemo est mortalium, cujus incolumitas fide aliorum adversus se non contineatur. Quam si ipse pro ludibrio habet violasse, qua fronte, ut aliis id vinculum adversus se sit sacrosanctum, postulare potest? Usq; adeo illud securitatis humanæ Palladium communi conspiratione

est

eſt tuendum, & quæ fors certo in caſu perfidia lucroſior videtur, in univerſum damnoſa exiſtit. Enimvero ubi alicujus res in eo ſtatu ſunt poſitæ, ut nullum ſibi hominem vehementer extimeſcendum judicet, quæ perſuaſio variis de cauſis etiam non valde potentibus ſubrepere ſuevit, ſupereſt metus DEI, ſupremi juſtitiæ vindicis, qui violatores legis naturæ non impune ſinit abire. Hæc vindicta Numinis etſi lento ſæpe incedat pede, nec ſemper, qua ratione ſeſe exeruerit, ab aliis poſſit deprehendi: quia tamen frequentia, eaque illuſtria occurrunt exempla perfidorum maximis mactatorum miſeriis, quas communiter omnes non-Athei in DEUM perfidiæ ultorem referunt, inde fit, ut metus Numinis ultimum tandem robur fidei humanæ addat. Ex quo obiter quoq; adparet, quantopere rerum humanarum intereſſit, atheiſmum non invaleſcere. Si enim DEUM munere juſtitiam adminiſtrandi dimoveris, omnis pactorum efficacia, ad quæ ſervanda unus paciſcentium alterum vi non poteſt adigere, continuo expirabit, & propria quiſque juſtitiam utilitate metietur. Et ſane, ſi verum fateri volumus, remoto divinæ vindictæ metu, nulla ſufficiens adparet ratio, quare id, ad quod alteri præſtandum rebus meis ſic ferentibus me obligaram, utilitatis ratione poſt converſa, omnino præſtare tenear, ſiquidem nullum mihi ob id malum ſaltem reale abs homine quoquam ſit pertimeſcendum.

§. 17. Quantum autem ad eos, quos inter obligatio intercedere poteſt, initio illud manifeſtum eſt, obligationem minimum duas requirere perſonas, nec poſſe aliquem ſibi ipſi proprie loquendo obligari. Unde vulgares illæ JCtorum regulæ: Cum debitor ſuccedit creditori ceſſat debitum, ſeu confuſione tollitur obligatio. Item, cum ex duabus perſonis una fit, irritus eſt contractus. Etſi enim communiter dicere ſoleamus, v. g. quemlibet teneri ad ſervandum ſeipſum; tamen obligatio illa homini inhærens ipſum hominem eatenus dun-

tantæ respicit, quatenus exercitium actionis ex illa promanantis in ipso terminari debet; propius autem ad Deum autorem legis naturæ refugiat, tanquam illum qui ejus obligationis exercitium exigere, & ejusdem neglectum vindicare possit. Adeóq; hactenus duntaxat homo seipsum curare tenetur, quatenus Dei servus & societatis humanæ pars est. Inde quemadmodum quis servum suum recte plectere potest, si laboribus tolerandis seipsum debilem fecerit: ita civitas quoq; in civem recte animadvertit, qui inutile se membrum civitatis, seipsum mutilando, reddiderit. Cujus pœnæ exemplum Romani in illis edidere, qui præciso pollice militiæ sese inhabiles faciebant. Alias naturæ obligationis repugnat, aliquem sibi ipsi obligari. Cum enim obligatio expiret, quando alter, ad quem ea spectat, me liberare vult, si mihi ipsi obligatus fuerim, liber ero, quando voluero, adeóq; prorsus liber ero. Ne dicam, quod nulla ejusmodi obligationis sit futura utilitas, cum nec præstando quid alicui accedat, nec intermittendo decedat, quamdiu quis sibi ipsi quid dat aut denegat, adeóq; nihil omnino agat. Et id locum habet etiam in personis moralibus compositis seu societatibus, quæ seipsas qua tales obligare nequeunt. Inde est, quod decreta aut leges societatis alicujus à seipsa suis membris datæ, tantum membra societatis qua singula obligent, nequaquam autem societatem ipsam qua talem. Cujus rei ratio facile adparet. Nam v.g. in societate instar democratiæ se habente, singuli socii, dum tales fiunt, sese, obstringunt, quod velint leges & statuta plurium vel etiam singulorum consensu adprobata observare; quo ipso potestas universitati est, ipsos, si post nolint vi ad id adigendi. Suffragio autem suo sociorum singuli qua tales sese immediate non obligant, quippe cum teneatur consensu plurium etiam qui diversa senserit; sed quatenus cum suffragiis plurium coalescens in vim imperii pacto societatis fundamentali abit. Nequaquam autem

pa

ad id ſe tota ſocietas obligat, aut obligare etiam poteſt, quod velit iſto decreto diutius teneri, quam ſibi collibitum fuerit. Inde eſt, quod ejuſmodi decreta ſocietatum, quo ſpectant & leges civiles, ab iiſdem quandocunque velint abrogari iterum queant. In pactis autem illis, queis ſocietas conſtituitur, non ſocietas ſeſe obligat, ſed ſingula membra qua talia mutuo ſeſe adſtringunt, quod in unum corpus morale coire velint.

§. 18. De cætero quilibet homo cuilibet homini poteſt obligari ſaltem naturaliter, ſi non civiliter. Quo ſenſu enim dicatur, Principem non poſſe obligari ſubdito, patrem filio, dominum ſervo, paulo ante eſt expoſitum. Præſupponitur autem tam in eo, qui obligationem contrahere debet, quam adverſus quem ea dirigitur, ineſſe naturale requiſitum ad obligationem contrahendam, aut eam ab altero admittendam, quod eſt facultas intelligendi vim obligationis, & rem circa quam obligatio contrahitur. Cum enim in obligatione jus aliquid à me habendi in alterum transferatur, quem actum ideo valere æquum eſt, quod conſenſus meus, cujus intereſt, intervenerit; patet ſane obligationes non poſſe ſibi accerſere, qui rem, de qua agitur, non intelligunt, adeóq; in eam conſentire nequeunt. Quales ſunt infantes, quamdiu rationis uſu deſtituuntur; item amentes & furioſi. Etſi hi, quamdiu dilucidis intervallis furor diſtinguitur, valide ſe obligare queant, quemadmodum etiam nullum negotium recte geſtum per ſubſequentem furorem perimitur. Ad hanc claſſem etiam referuntur, queis nimio potu mens loco mota eſt, qui ſiquidem eo ebrietatis proceſſerint, ut quid agatur pro tempore non intelligant, recte obligationem non contraxiſſe cenſentur, etiamſi alter ſors ſigna, conſenſum alias teſtantia, inter temulentiam ab ipſis elicuerit. Quod ſi autem diſcuſſa crapula idem adprobaverint, ex eo obligabuntur, quod ſobrii egerunt, non quod ebrii. Nec ſequitur, ſi delictum per ebrietatem commiſſum

missum potest imputari, obligationes quoq; per eandem posse contrahi. Nam illius ratio est, quod homini incumbit quasvis occasiones quantum potest vitare, quæ probabiliter in delictum possunt præcipitare: qualem ebrietatem esse nemo non novit. In hanc igitur dum consensit, etiam in ea consensisse censetur, quæ ex ebrietate consecutura erant. Quæ ratio ideo ad obligationes non potest extendi, quod cum ad eas actu contrahendas aut non contrahendas nemo teneatur, cavere quoq; non teneatur ejusmodi occasiones, quibus aliqua signa obligationem aliàs notantia ab eo possint elici, ipso rem non intelligente. Adeóq; cum ebrietas quantum ad obligationes contrahendas aut intermittendas ipsi non fuerit interdicta, ex consensione in hanc non potest præsumi, in obligationem quoq; consequenter ipsum consensisse: sed ejus firmitas pendet ex consensu, qui eo tempore, quo signa sunt edita, fuit. At vero iste consensus in ebrietate tali, quæ mentis usum penitus sopivit, nullus fuisse censetur, eo quod res, de qua agitur, non intelligitur. Quod autem minorennes, qui jam rationis usu gaudent, se nequeant obligare, siquidem ex obligatio oneri ipsis sit futura, ex lege naturæ non est, sed positivis duntaxat legibus introductum. Idq; quia ista ætas communiter prodiga, suarúmq; rerum parum curiosa captatorum expilationibus est exposita: & quia animo flexilis, inconsultóq; impetu ferri solita, facile permoveri potest, ut in id consentiat, quod minime omnium rebus ipsius conducit. Qua de causa tutorum aut curatorum auspicio isti ut contraherent, eædem leges constituerunt.

§. 19. Heic ubi de consensu agitur, commode quoq; de Errore in pactis subjungitur; An scilicet, si falso rem aliquam supposuerim, cujus intuitu obligationem admiserim, ea de causa obligatio sit nulla? Quod affirmandum; idq; quia consensus fundabatur in præsumptione istius rei, quæ ubi secus sese habet, consensus omnino

nino nullus fuit, nullâq; obligatio: quippe cum quævis conditionalia cum conditione, cui superstruuntur, stent cadántque. Et hoc locum habet non solum, si error fuerit circa substantiam physicam rei, de qua pactum initur, sed etiam si circa qualitatem, quam peculiariter ante oculos habui, dum contraxi. Sic nullum est pactum, non solum quando v.g. ab altero Davum servum emi, quem Syrum credebam; sed etiam v.g. quando coquere non novit, quem ego ad eum potissimum usum comparare volebam, si scilicet talem me servum quærere professus sum. Nam ejusmodi qualitas etsi ad substantiam physicam rei non pertinet, in pactis tamen sæpissime contingit, ut qualitas alicujus rei præprimis spectetur, ipsa autem ejusdem substantia non nisi in accessorii necessarii loco habeatur. Error igitur circa essentiam objecti, de quo contrahitur, qua talis, contingit, adeóq; pactum redditur irritum, quando istud, quod ad contrahendum aliquem movit, falso fuit suppositum, sive id substantia physica rei sit, sive qualitas duntaxat. At vero vix errorem interveniſſe dici potest, quando illud non adpáret, quod pro conditione non fuit suppositum, expresse aut ex natura negotii. Tale enim ipso paciscentium judicio ad contractus firmitatem nihil facere ducitur. Quod si vero quis negligens fuerit in re exploranda, & errore ejusmodi, quem evitare poterat discutiendo, tenetur alteri damnum irrito ejusmodi promisso aut pacto datum sarcire. Enimvero ejusmodi errores frequentius in promissis, rarius in contractibus contingere possunt; quia heic res, de qua convenitur, una cum qualitatibus, quas contrahens ob oculos habet exprimi sigillatim debent, aut ex ipsa negotii natura, aliisve circumstantiis suppositæ intelliguntur. His enim incognitis sane in rem ipsam consentire contrahentes nequeunt. Quando igitur qualitates illæ expressæ aut præsumptæ in re conventa, postquam exhibita fuit, non adparent, proprie non ex errore meo contractus est irritus;

irritus; sed ex fraude aut imprudentia ejus, qui rem qualitatibus debitis defectam exhibuit. Quæ fraus facit, ut mihi à contractu retilire liceat, vel alterum ad defectum supplendum, damnúmq; inde datum pensandum adigere. Idq; locum habet non tantum, si paciscentes bonam fidem expresse invicem stipulati sunt aut spoponderunt, pura, si inter absentes fuerit contractum, aut si rem ab emptore non perlustratam venditor tanquam legibus pacti respondentem tradiderit: sed etiam quando qualitatum istarum defectum alter post intervallum demum deprehendit. Præprimis ubi illæ exteriore adspectu, aut ab imperito artis deprehendi nequeant. At quando qualitatis alicujus defectus ab altero deprehensus fuit, & is nihilominus rem acceptat, in ipsum quoq; defectum consensisse censetur, adeóq; pactum est de causa non redditur irritum.

§. 30. Obligare autem me possum, siquidem validior obligatio id non impediverit, cuicunq; mea obligatio quovis modo innocescere, aut qui eandem acceptare potest. Imo & illis, qui pro tempore eam intelligere nequeunt. Nulla enim ratio videtur obstare, quo minus se quis minorenni etiam citra tutoris autoritatem valide obstringere queat, siquidem negotii natura, quo conditio ipsius melior redditur, nullam præsumendi ansam det, ipsum, intellecta re eandem repudiaturum. Nec si quæ forte in ipso deprehendantur vitia moralia impediunt, quo minus obligationi meæ admittendæ habilis sit. Nam multa vitia obligationem omnino non tangunt & quæ fortè fidem suspectam possunt reddere, ipso contractu pro invalidis ad impediendam adquisitionem juris per obligationem factam judicantur, cum alias nihil inter ipsos ageretur, nisi istis exceptionibus renunciaretur. Alia autem ratio est, cur, quando in eodem negotio alter fidem adversum me non servat, nec ego amplius tenear. Quia omnia pacta pro fundamentali conditione supponunt invicem paciscentium fidem,

quam

quam ubi unus abruperit, alter quoque ſtatim eadem ſolvitur.

§. 21. An vero & illi obliger, qui ſcelere ſuo neceſſitatem mihi obtulit paciſcendi, paulo difficilius eſt explicatu. Equidem proprie heic non quæritur de illis pactis, quæ v. g. cum latrone non quatenus tali ineuntur, quæ quo minus ſervanda ſint vix dubitari poteſt. Et hoc ſenſu capiendi videntur, qui generaliter loquuntur, fidem latroni datam eſſe ſervandam. At vero aliter ſtatuendum judicamus de illis pactis, ad quæ cum latrone ineunda vi ipſius injuſta compellimur: v. g. an ſi latroni, ne vitam eripiat, nos ſoluturos quid pollíceamur, ex violentia ejus in tutum ſubducti locum, id quod polliciti ſumus præſtare teneamur? De legibus equidem civilibus nullum eſt dubium, quæ ſi pacta ejuſmodi ſervari non verant, ſaltem ut ea omnino ſervemus non compellunt; nec latroni actionem concedunt, quippe ſocietatis civilis hoſti, qui deprehenſus velut nocens bellua è medio ſolet tolli. Nec naturalis heic obligatio videtur adeſſe. Cum enim de jure naturæ, qui per injuſtum metum quid alteri extorſit, id reſtituere teneatur, adeóq; ejuſmodi latro tantum mihi de jure naturæ debeat penſare, quantum ipſe per pactum tale mihi eripuit, per compenſationem velut tolli obligatio intelligetur, ſi non ſolvitur id, quod ſtatim reſtitui debebat: ac ſtultum foret ſponte, quod ob vim promiſſum fuit, ſolvere, poſtquam ſcilicet in tuta quis jam evaſit loca, ac deinde damni ſui penſationem vi ab eodem velle extorquere, præſertim cum eo ipſo, quod promiſſum à me exigit, profiteatur, ſe damnum datum mihi nolle reſtituere. Nec magis videtur is teneri, qui in ejuſmodi caſu pro altore fidejubet, etiamſi hic ex metu proprie ſeſe non obliget. Nam cum fidejuſſio ſit velut firmamentum acceſſorium pacti principalis, abſurdum videtur, ſaltem de jure naturæ, acceſſorio plus efficaciæ ineſſe, quam primario pacto, aut laxius obligari principalem debitorem, quam qui

ejuſdem

ejusdem obligationem, si iste eam non impleverit, suscepturum se promisit. Secus tamen videtur, si tertius obligationem propriam, & quæ non dependeat ab obligatione capti, aut eidem succenturietur, cum latrone contrahat. Huic enim neq; metus injustus est illatus, neq; exceptione capti ipse mutuari potest, quod non hujus, sed proprio se nomine obligarit, nec suam obligationem illius obligationi, quæ nulla fuit, superstruxit. Quod si vero obsides dederit, aut de sociis quosdam in latronum potestate reliquerit captus, quoad promissa repræsententur, tenetur non ex pacto cum latronibus, sed ex eo, quod ipsi cum obsidibus intercedit. At vero si juramentum intervenerit, putamus captum teneri ad præstanda promissa; non quod ex eo latroni peculiare jus enascatur, quippe cum juramenta velut subsidia obligationis, quantum ad eum, cui quid promittitur, nihil superaddant, nec ex iis in foro humano, saltem in hoc casu, peculiare jus nascatur: sed ob reverentiam divini Numinis, cujus misericordiæ, nisi promissum servet, renunciavit. Ac præstat numorum jacturam facire, quam minus honorifice divinam majestatem habuisse.

§. 22. Id quoq; explicandum, an cum hoste qua tali obligationem possim contrahere, seu an pacta quæ cum hostibus ineuntur sint valida? Ea sunt duorum generum; versantur enim vel circa bellum finiendum mediate aut immediate, vel circa quasdam res præstandas durante statu belli: Illa quin de jure naturæ obligent dubium esse non potest. Cum enim bellum tantummodo velut extraordinarium modum inter se agendi hominibus natura indulgeat, & illud, quantum salus nostra ferat, vitare, aut componere jubeat, id quod citra pacta fieri nequit; intelligitur utiq; eandem quoque adstringere ad servanda pacta, quæ istius finiendi causa ineuntur. Idq; mos gentium ob favorem & necessitatem pacis eo usq; extendit, ut in sancienda pace quoad justitiam belli

susce-

ſuſcepti plerunq; utraq; pars exæquetur, nec exceptio metus injuſte illati ad ejuſmodi pacta extendi permittatur; quod alias nullus finis aut modus bellorum ejuſmodi, frequentium ſane, eſſet futurus. Sub his comprehenditur fides data de ſecuro acceſſu & receſſu eorum, qui negotium pacis tractaturi ſunt. Item pacta induciarum, quibus hoſtilitatis exercitium plene ſuſpenditur, ſiquidem ad plenam pacem reducendam ſpectent. Quod ſieri intelligitur, ſi expreſſe fuerit conventum, ut iis durantibus media pacis componendæ adhibeantur. Enimvero ſecus videtur de illis pactis, quæ ſtatum bellicum ſeu hoſtilitatem non tollunt neq; ad eam tollendam ſpectant. Cum enim ſtatus belli qua talis proprium agendi modum vim agnoſcat quemadmodum pacis inter homines inſtrumentum fides, nulla omnino inter hoſtes obligatio, (quippe quæ fide ſtat,) de jure naturæ contrahi poteſt, niſi utriq; conteſtentur, ſeſe compoſito bello pacem amplexuros. Nec prodeſt ſignificaſſe, ſe licentia hoſtilitatis heic non uſurum. Implicat enim, poſtulare, ut alter fidem meam ſequatur, quod in pactis ſit, & nihilominus profiteri, ſe velle manere hoſtem, id eſt, qui quacunq; via ipſi nocere velit. Nec obſtat, quod ſupra dicebamus, qui inter ſe contrahunt, eo ipſo renunciaſſe exceptionibus, quæ ex alterius perſona deſumptæ metum facere poſſunt, ne alter fidem fallat. Iſthæc enim præſumptio non poteſt locum habere inter eos, qui expreſſe adhuc hoſtilitatem profitentur inter ſe continuandam; ac potius præſumendum eſt eos fallere inter ſeſe ejuſmodi umbraticis pactionibus velle. Quin nec alteri, qui ejuſmodi pacto decipitur, novum aliquod jus adverſus decipientem oriri poteſt, quippe cum jam ipſa hoſtilitas adverſus hoſtem jus in infinitum vim exſerendi præbeat, ſaltem citra impedimentum juris alicujus in ipſo hoſte exiſtentis. Itaque ſi ſolum jus naturæ ſequamur, nihil efficaciæ ejuſmodi pactis tribuemus, niſi quantum præſens rei conventæ exhibitio, aut expedita

dies foculos fallenti paria reponendi oſtenderit. Introduxit tamen mos gentium cultiorum, uti complura in favorem fortitudinis bellicæ; ita hoc quoque, ut talia pacta debeant valere, quæ ad ſtatum belli collendum non pertinent. Qualia ſunt, induciæ pauorum dierum ſepeliendis mortuis, pacta cum præſidiariis urbium ſeſe dedentium, ad ſuos dimittendis cum facultate ſtatim contra nos arma iterum gerendi, promiſſio de tranſitu certis perſonis hoſtilibus per præſidia noſtra concedendo, & ſimilia. Quemadmodum & ex eodem more profluxit, ut circa hoſtilitatem reſtringendam, & cum moderamine certo exercendam hoſtes valide conventionem inire poſſent; puta ut certa loca, tempora, perſonæque hoſtilitati prorſus aut certo duntaxat mali genere eximerentur, item ut certa nocendi inſtrumenta non adhiberentur, &c. Expedire enim rebus humanis videbatur quædam velut commercia belli conſtituere, poſtquam per libidinem belligerandi non pauciores futuri erant, qui indigna paſſuri, quam qui facturi eſſent.

§. 23. Cæterum etſi ad contrahendam inter homines obligationem ordinarie requiratur, ut conſenſus pacifcentium utrinque per ſigna uſitata exprimatur: contingere tamen ſolet, ut pactum coëat, conſenſu in formulam pacti per ſigna non expreſſo, ſed ſola voluntate præſumpta ex negotii natura, quod inter eos intercedit. Eaque vocantur pacta tacita, quæ ita contrahuntur, ut vel principale negotium conſtituant, vel pacto expreſſo accedere, ac ex eodem fluere intelligantur. Ex priori genere ſunt, v.g. ſi quis tanquam peregrinus in civitatem aliquam exteros amice tractare ſolitam accedat; ille etſi nunquam expreſſe fidem dederit, tacite tamen & ex ipſo acceſſionis actu fidem dediſſe cenſetur, quod pro ratione ſtatus ſui velit ſeſe accommodare legibus illius civitatis. Unde ipſe iterum ab eadem defenſionem ſui temporariam tacite ſtipulatus eſt. Sic quando abſentis negotia geruntur, pactum exiſtit tacitum, quo poſtquam

unus

unus operam suam rebus alterius accommodavit, alter eam pensare cum sumptibus factis tenetur. Sic qui in diversorio ad mensam adsidet, etsi nullum cum hospite verbum circa pretium commutet, ex ipsa tamen rei natura ad id solvendum se obligasse intelligitur; quod notorium sit, nemini gratis heic cibum præberi. Ex posteriori genere sunt v.g. Si quis cum altero paciscatur de aditu in aliquem locum concedendo, etiam de reditu convenisse judicatur, etsi expresse de hoc mentio nunquam sit facta, quod alias priori pacto nihil actum fuisset. Sic qui pacto consentit, ut exteri in sua civitate merces emant, utiq; etiam consensisse intelligitur, ut easdem exportent. Quemadmodum etiam absurdum est v.g. vendere alicui agrum, non autem concedere velle, ut eundem isto in loco possideas, sed postulare, ut in alium locum ipsum transportes. Sic qui cubiculum in ædibus suis mihi locat, concessisse etiam judicatur usum earum partium, quibus carere nequimus, puta januæ & viarum, quæ ad illud ducunt hactenus, ut foras prodire, ac redire liceat. In ejusmodi autem pactis tacitis ad id tenemur, quod communiter illi, qui circa talia expresse conveniunt, pacisci sueverunt.

§. 24. Porro cum in quibusvis obligationibus in eo, quem illæ spectant, seu cui jus aliquod iis quæritur, consensus requiratur acceptandi alterius obligationem, seu jus per hanc translatum, isq; vel proprius vel vicarius, expressus per signa animi sensum testantia, patet quid censendum sit de votis seu obligationibus sponte accersitis adversus Deum. Scilicet non posse ea valide suscipi, nisi aut ipse Deus revelaverit, se ea acceptaturum, aut aliquis sit constitutus, qui eorum cognitionem inter homines exerceat. Alias enim constare homini non potest, an Deus velit ipsum obligari, an vero minus. Præsertim cum vota circa ejusmodi res debeant concipi, quæ Deus per modum præcepti antea à nobis non exigebat, sed quæ in nostro erant arbitrio

bitrio positæ, facere an omittere vellemus. Nam & implicat, quod necessario alias faciendum erat, tanquam indebite factum alteri velle imputare; & constare nobis non potest nisi ex revelatione divina, actum aliquem neq; lege naturæ præscriptum, neq; aliàs à Deo præceptum, eidem gratum fore. Adeóq; vota suscipere, de quibus non constat ea Deo grata fore, inutile est; talia suscepta servare aut retractare licebit, prout cujusq; conscientiæ teneritas aut firmitas suadet. Illud autem clarum, adversus bruta homines non posse obligari, quippe cum quo nulla nobis juris communio, nec consensus & voluntatis per signa communicatio: Quod enim quis tenetur v.g. alterius equum curare, instruere, pascere, non lædere, &c. ea obligatio non ad pecus, sed ad hominem, qui illud possidet, refertur.

§. 25. Id quoq; heic expediendum, an quis suo actu aliquem tertio cuipiam obligare possit? Ubi distincte procedendum. Nam de eo dubium esse nequit, quin eum quis, in quem imperium obtinet, valide obligare possit, ut tertio cuipiam quid præstet, idq; ut ipsi ad illud habendum jus perfectum aut imperfectum quæratur: Uti nec de eo, quod quis tertio obligati queat per alterum, qui legitime ejus negotia gerit, ita ut omne jus tertio quæratur, non alteri: adeóq; si obligatio non impleatur, tertius duntaxat, non alter intervenjens actionem nanciscatur. Illæ enim actiones nobismetipsis obligationem atq; actionem pariunt, ac pro nostris censentur, quæ pro nostris nos agnituros palam professi sumus. Quod si alicui auctoritatem confero negotium meum gerendi sub formula generali, me ratihabiturum, quidquid iste in eo statuerit, obligor istius actu; etiamsi fors egerit aliquid præter arcana mandata, quæ in ea re ipsi sequenda soli tradidi. Nam priori instrumento tertio, cum quo contrahendum, me obligo de ratihabendis illius gestis; secretis autem mandatis illum duntaxat obligo, ut sequatur mandatum meum, sibi non a-

liis

illis cognitum. Nisi forte manifesto adpareat, illum mala fide egisse, & per nefariam prævaricationem causam meam prodidisse. Tunc enim non videor illius gestis obligari, eo quod ista conditio in collata ipsi auctoritate tacite supponatur, quatenus in ea re bona ipsum fide versari adpareat. Porro cum quisque præsumatur personis sub sua potestate constituris injunxisse conditionem ipsius, si commode possint, meliorem reddere, ratio adparet, cur v.g. domino aut patri prosit, si servus aut filiusfamilias stipuletur, ne à patre vel domino petatur. Censentur enim tales auctoritate patrisfamilias adeóq; ejus vice pacisci. Quod idem in odiosis, seu quæ conditionem ipsius deteriorem reddunt, haudquaquam præsumitur. At vero ut ego extraneus alicui tertio, sub cujus potestate non sum, nec rebus ejus gerendis præficior, alterum obligem, sic ut nullum mihi quoq; jus ipse stipuler, fieri non potest. Nam nec mihi jus inde quæritur quod supponimus, nec tertio, qui actionem meam pro sua non agnoscit, adeóq; ex solo meo actu obligationem non acceptat, citra quod nullum ipsi jus potuit nasci. Inde recte leges Romanæ inutiles declararunt stipulationes puras seu citra adjectionem pœnæ conceptas in usum tertii factas; ratione adjecta, quod stipulationes inventæ sint, ut unusquisq; adquirat sibi quod sua interest; cæterum si alii detur, nihil interesse stipulatori. At per stipulationem pœnalem v.g. nisi Sejus Titio det C. aureos, pœnæ loco mihi solvet L., saltem mihi, si non tertio, jus fuit adquisitum, adeo ut si prius non præstet, proprio nomine ad pœnam expressam agere queam, si vel maxime tertius ille suo nomine ad primariam summam agere non possit. Quod autem communiter JCti dicunt, testatorem obligare hæredem certa legata dare legatario impropria locutio est, exinde orta, quod hæredi omnia defuncti bona attributa finguntur cum conditione legatorum solvendorum, aut quia is primus pro possessore omnium bonorum sese ge-

rere ſolet. Revera autem legata immediate à teſtatore in legatarium tranſeunt; idq; exinde adparet, quod legatarius abſq; interventu alicujus actus cum hærede contra ipſum ad exhibendum legatum agere poſſit, quidem hic univerſorum bonorum poſſeſſione arrepta teſtatoris voluntatem exſequi nolit. Quid autem de ejuſmodi pacto ſentiendum, ubi v.g. duobus inter ſe litigantibus, duo pluréſve, ad quos provocatum non fuit ab iſtis, inter ſe convenïant, quod ſeſe arbitros velint offerre, certáſq; concipiant leges, in quas iſti pacem debeant facere, eaſdem recuſantem pro hoſte tractaturi? Ubi hoc quidem certum eſt, poſſe iſtos arbitrorum munus ſibi arrogantes ſeſe invicem tali conventione valide obligare, ne aliter quam conventum fuit iſtorum ſeſe bello immiſceant, & reliquis poteſtatem fieri per vim ſecus facientem adigendi, ut pacto ſtet. Etſi hoc in iſtis arbitris neceſſario requiratur, ne ulla in ipſis ſit peculiaris obligatio, alterutri bellantium auxilia præſtandi. Nam ubi hæc adeſt, non poteſt ſe pro arbitro gerere, qui in partes deſcendit. At vero ut iidem litigantes decreto ſuo obligent, & in recuſantem juſtam bellandi cauſam accipiant, id nulla ratione fieri poteſt. Nam, (quod ſupponitur,) litigantes in eos nunquam compromiſere, aut ipſorum ſeſe arbitrio ſubjecere, unde fortaſſe in detrectantem inſurgendi aliquis color ſumi poſſit. Etſi hoc inter judicem & arbitrum interſit, quod ille ſententiam ſuam litigantibus amplectendam pro imperio injungat, quæ facultas huic haudquidquam competit. Alterius autem nobis non ſubditi controverſiam ſibi decidendam ſumere, ſententiámq; ſuam ipſi ſequendam velle obtrudere, eſt imperium uſurpare, quod neq; jus naturæ, neq; conſenſus alterius aut pactum cum eodem nobis contulit. Tale imperium tantum abeſt, ut agnoſcere alter teneatur, ut potius contra ejuſmodi arbitros injuriarum agere poſſit, tanquam qui libertatem ipſius imminuere præſumant. At vero illud prorſus intole-

rabile

rabile est, si isti sententiam ferant, causa utrinq; nondum liquido perspecta atq; cognita, partiumq; rationibus & excusationibus non auditis. Hos enim non paci componendæ incumbere, sed prætextum bello sese immiscendi quærere liquido adparet.

§. 26. Observandum porro est, quod plures personæ, quamdiu in unam personam moralem compositam non coiverunt, quidquid agunt, aut quascunq; obligationes contrahunt, ut singuli agant & contrahant; adeo ut tot sint actiones & obligationes, quot sunt personæ. Unde etiamsi quis in aliqua multitudine extiterit, cum qua ipse in unum corpus morale non coaluit, in qua plerique, aut cæteri omnes aliquid agant aut contrahant, nec tamen ipse in id consenserit, aut alias de eodem participaverit, non fecisse censendus est. Adeóq; peregrinus non tenetur actibus aut obligationibus istius civitatis, in qua diversatur, contractis ab eadem, quo tali, quo ipse ibi fuit tempore, nisi ipse peculiariter ad eas concurrerit. At vero, quando plures personæ ejusmodi pactum singuli cum singulis ineunt, sese velle certum negotiorum suorum genus communiter cum illis curari, siquidem in unam aliquam formam ea expediendi consenserint, ac post forma aliqua communiter adprobata cum certis personis contraxerint circa administrandam curam communis rei: ea pacta vinculi instar sunt, quo omnes illi, qui ita contraxerunt unius personæ moralis rationem habent, seu familiæ, seu collegii, seu civitatis, aut quocunq; nomine veniant. Ex quo fit, ut quidquid ab illis, queis communis rei cura commissa, agitur aut contrahitur, in id omnes ista societate comprehensi consensisse, atq; obligationem exinde contractam intelligantur: ita tamen, ut omnes una obligatione teneantur, (non singuli peculiari aliqua) quæ easdem actiones habet cum obligationibus inter singulos contractis, nisi si qua consensus gentium peculiares observationes circa illas introduxit.

§. 27. Duo itaq; pacta ad societatem ac præprimis civilem constituendam concurrunt, unum singulorum cum singulis, quod velint communi consilio res suas invicem junctas administrari; alterum, quod cum illis initur, quibus salutis communis cura committitur. In priori necessario requiritur omnium & singulorum consensus, quem qui non exprimit, haudquaquam per pluralitatem votorum obligatur ad adjungendum sese cœtui isti, sed extra eam societatem manet. Est porro hoc pactum vel absolutum, quo quis absolute sese obstringit adhærere cœtui illi, quæcunq; demum administrationis forma pluribus arriserit; vel pro conditione supponens, siquidem introducatur forma regiminis ipsi probata. Posteriori casu itidem singulorum consensus requiritur, quem qui non significat, pro membro societatis non habetur. Priori autem casu plurium consensus pro universis accipitur, adeóq; vi pacti prioris obligabitur per pluralitatem votorum, etiam cui forma gubernationis non arridet. Nam qui ita absolute cœtui alicui sese obligat, cum non possit postulare, ut reliqui omnes ipsius sententiam sequantur, censetur se obligasse ad ratihabendum, quod maxima pars adprobaverit; cum alias nulla negotii expediendi ratio queat inveniri, & citra hoc pleraq; ejus generis pacta in nihilum sint casura. Inde in omnibus fere societatibus, quæ per plures administrantur, receptum est, ut plurium suffragia habeant vim universorum, etiamsi interdum contingat, pauciorum sententiam rei communi magis proficuam & decoram. Nam circa constitutiones ejusmodi universales, cum nullum fere inveniatur medium negotia expediendi, quod omni careat incommodo, sequendum est, quod ut plurimum expedit. Hinc imperitus admodum sit necesse est, qui ita velit arguere; cum naturæ conveniens sit, ut quod à prudentioribus profectum est, prævaleat; et, quod ab imprudentioribus profluxit, naturæ repugnare, ut sententia imprudentior plurium prævaleat sententiæ

pruden-

prudentiori pauciorum, adeoq; ut illi hos queant obligare ad aliquid imprudentius suscipiendum. Multo autem absurdius erit, si id quoq; ad Monarchas extendatur, ac si imprudentioribus eorum pactis aut jussis subditi non obligarentur. Implicat enim, esse Monarcham, & subditis competere facultatem judicandi de actis ipsius, prudenter an secus suscepta sint, cum hoc effectu, ut si minus prudentia visa fuerint, iis non possint obligari. Nec magis prius illud potest admitti. Quis enim judicium ferat, utra sententia prudentior? Non certe ipsæ dissidentes partes; nec enim illi horum judicium accipient; & quotusquisque est, cui non sua magis quam aliena placeant? Ergo alterius judicio erit standum, quod non minoribus implicitum est difficultatibus, cum ipsius quoq; arbitri prudentia aut integritas facile in controversiam vocari possit, ut ad hanc quoq; discutiendâ alio arbitro opus sit, & sic in infinitum. Ne dicam, quod plerumq; istæ res ita sint comparatæ, ut commode ad arbitros extra societatem deferri nequeant. Commodissimum igitur visum, ejusmodi inire rationem, quæ nihil difficultatis aut obscuræ disceptationis haberet; qualis est numerus suffragantium; præsertim cum communiter præsumptio prudentiæ pro pluribus militet, saltem circa res communi hominum perspicaciæ expositas. Nec jus naturæ statim jubet irritas esse obligationes, quæ vel ab imprudentioribus, vel paulo imprudentius suscipiuntur. Cum enim tantum agatur de commodo aliquo aut incommodo circa bona fortunæ; (illud enim pactum proprie dicitur imprudenter initum, quod incommodum aliquod bonis fortunæ infert;) potestas sane homini competit circa illa bona commodum aliquod negligendi vel incommodum admittendi, adeoque firmiter se per jus naturæ tali imprudentius suscepto pacto obligare poterit.

§. 28. Ut autem liquido possit judicari, quænam obligationes Rectorum societatis, & qua ratione singula

membra ſtringant, & quæ contra obligationes ex actibus membrorum in rectores aut ipſa membra redundent in anteceſſum tria ſunt notanda. 1. Obligationes quasdam oriri ex conventione ſeu pacto aliquo; quasdam ex delicto. 2. Inter pacta quædam terminari immediate & ultimato in perſona velut ſingulari paciſcentis; quædam autem mediate vel immediate in ſocietatem ejuſque rei tendere, in iiſq; efficaciam ſuam ultimato exerere. 3. In delicto eſſe vel reatum tendentem in perſonam delinquentis; vel obligationem ad reſtitutionem damni dati, quæ in bona delinquentis fertur. His ſuppoſitis aſſerimus. I. Obligationes ex pacto ultimato & immediate in perſona alicujus terminato non ſtringunt alios præter ipſam perſonam paciſcentem. Sic v.g. pactum matrimoniale immediate terminatur & ultimato in perſonis inter ſe contrahentibus, ideóq; alios haudquidquam ſtringet. Inde ſi Princeps alicui fœminæ matrimonium promiſerit, nemo ex tota civitate præter ipſum in uxorem eam ducere tenebitur. II. In delictis reatus non tranſit ad alias perſonas ſocietate comprehenſas, niſi ipſi efficaci conſenſu, auxilio aut alia ratione ad ea concurrerint. Ea enim quo minus fierent neq; in ſe, neq; in ſua cauſa, penes alios fuit. Non in ſe, quod ſupponitur: neq; in ſua cauſa, puta ex vi pacti, quo cum delinquente in unum corpus morale coaluerunt. Pactum enim illud ex parte imperantis importat quidem obligationem ad prohibendum delicta membrorum ſocietatis, quatenus ad conſervationem pacis neceſſarium eſt, ſed moraliter duntaxat, i.e. per promulgationem legum, comminationem pœnarum, & decentem earundem exſecutionem. Nequaquam autem ad phyſicam prohibitionem tenetur, i.e. ut facultatem phyſicam agendi ita conſtringat, ne omnino aliquid fieri queat. Id enim naturæ hominum adverſatur, & vitæ humanæ rationem prorſus ſubvertit. Inde Princeps aut magiſtratus, ſi moralem non intermiſit prohibitionem, nihil reatus con-

contrahit ex eo, quod delictum à subdito vetere aut advena, seu qui in una civitate admisso facinore in alteram confugit fuerit commissum. Bene tamen, si super eo monitus & imploratus, quam commode poterat, quamq; bono publico expedire judicabat, pœnam sumere neglexerit. Nullo autem modo subditus de alterius subditi delicto participat, nisi ipse ad illud quacunq; ratione concurrerit. Nam & facultas & obligatio prohibendi alterius delicta ex potestate in alterum seu imperio profluit, quod inter illos nullum est. Æqualitas enim facit, ne alter alterius facta præstare possit, quippe cum per eam effectus prohibitionis moralis in nihilum recidat, ut ex illis, quæ de lege dicemus, adparebit. Nec vero ex Principum delicto subditi reatum contrahunt, nisi ipsi ad illud quid directe contulerint. Nam neque pro præsenti statu id prohibere possunt aut debent, ne moraliter quidem; neq; ex pacto illo, quo talem illi potestatem contulerunt, ut ab ipsis non possit in ordinem redigi, reatus in eosdem redundat. Haudquaquam enim ipsi pacto illo eundem ad peccandum adstrinxerunt, aut impulerunt; multo minus autem, quam ante collatum in ipsum imperium velut in æqualem non habebant prohibendi peccata potestatem, post collatum imperium accepere. Hoc enim aperte implicat; quemadmodum & illud, potestatem inter Principem & subditos esse velut reciprocam, ut tam ille horum, quam hi illius delicta coërcere possint aut debeant. Ex quibus patet, non posse plecti pœna proprie dicta Magistratum pro delicto subditi, nisi in prohibendo illo quidquam, quod præstare debebat, intermiserit; neq; subditum pro delicto concivis aut ipsius Principis, nisi is ab initio aut ex post facto de eo participaverit. III. Obligationes ortæ ex pacto à Principe aut rectoribus societatis ut talibus initæ, aut obligationes ex delicto eorundem, quantum ad restitutionem damni, universam societatem, singuláq; membra, (pro rata quodq; parte) stringunt.

Fundamentum hujus adſertionis petendum eſt ex pacto ſubditorum cum imperantibus. Qui enim alicui imperium, publicæq; ſalutis curam, ac de ea diſponendi plenam committunt poteſtatem, eo ipſo ſeſe obligant, ſe pro ſua quemq; parte collaturos, quod ille tanquam ſaluti publicæ neceſſarium aut utile ipſis injunxerit. Præſumuntur autem omnes obligationes, quas imperans cum aliis circa negotium aliquod publicum contrahit, ſpectare ad ſalutem publicam; imo qualeſcunq; ſint, à ſubditis pro talibus agnoſci debent, quippe quibus non competit facultas de mediis, ad ſalutem publicam ab imperante adhibitis, cognoſcendi aut judicandi cum hoc effectu, ut obligatio ipſorum à proprio judicio ſuſpendatur. Hoc enim omnino abſolutum imperii jus, quod hoic ſupponimus, reſpuit. Inde claret, ſubditos ad ſolvenda quævis debita à Principibus boni publici cauſa contracta teneri. Quod autem ea eorundem privatum attinet, ſiquidem certos ipſi reditus pro impenſis privatis habuerint, de jure naturæ non videntur ſubditi ad id ſolvendum directe & immediate teneri, & creditoribus actio non niſi in privata eorum bona competere. Conſuetudine tamen inter gentes cum receptum ſit, ut pro debitis Principum qualibuſcunq; omnia bona ſubditorum ſint obligata, in hæc quoq; manum injicere licebit; præprimis quia Principes ſubditorum viribus uti poſſint & ſoleant, ne privata etiam debita ſolvere cogantur. Quod ſi Princeps illas res ad quas alteri ſeſe obligavit, non præſtiterit, tenebitur populus non tantum ad primarium debitum alteri ſolvendum, ſed etiam ad emergens ex negata ſolutione damnum penſandum, etſi fors ſinguli negationem illam nunquam adprobaverint. Judicatur enim itidem civitatis bono ſuſcepta, & in ejuſdem incrementum cedere debiti retentio; quippe cum lucri inſtar habeat retinere, quod alias ſolvere tenebatur, ac quælibet ſingulorum civili ſocietate comprehenſorum bona certo modo inter civitatis quoq; bona cenſeantur.

Etſi

Etsi de culpa perfidiæ non participet, nisi qui peculiaiter eam suam fecerit.

§. 29. At vero obligationes, quæ cives singuli cum concivibus aut alienis ineunt, reliquos cives aut rectores civitatis immediate non stringunt, nisi eas aliquo suo facto in se derivaverint. Ac ex obligationibus quidem civium singulorum inter se hac ratione in imperantem obligatio derivatur. Scilicet ubi alter quod debebat, sponte præstare renuerit, ac injuria affectus ea super re auxilium imperantis implorarit, tenetur hic ex officio quantum potest efficere, ut læsus ad jus suum perveniat. Quod ubi facere negligit, ipse ex jure naturæ obligatur læso damnum pensare. Enimvero ob vim imperii illa obligatio læso nullam dat facultatem in foro humano de illo debito ipsum convenlendi. Qua de causa neqs cæteri cives læso satisfactionem præstare tenentur, neqs ipse ullo titulo ab iis eandem postulare potest. Quippe cum cives inter se pactum iniverint, quod controversias suas tantum ad imperantes suos referre, suúmq; jus eorundem auxilio persequi velint, atq; eorum judicio absolute se submiserint. Id quod extranei non fecerunt. Unde si civis extraneo quid debens id præstare detrectaverit, & læsus rectorum civitatis auxilium super ea re fruſtra imploraverit, non modo rectores civitatis, sed & consequenter tota civitas ad id damnum pensandum tenetur. Quippe cum pro lucro civitati imputetur, si quis concivis, alieno quod debet non solverit. Cæterum in ejusmodi casibus de jure naturæ Principes primario obligantur, consequenter autem cives singuli, & hi quidem non in universum debitum, sed pro rata quisq; parte; quemadmodum in societatem coëuntes ad ferenda ejusdem onera singuli sese non in solidum, sed pro rata duntaxat parte obligarunt. Unde exterus injuria affectus primo quidem in Principe ejusq; bonis peculiaribus jus suum persequi debebat, nec ab uno aliquo, aut paucis civibus totum, in quo læsus fuerat, sed duntaxat quan-

quantum ſingulorum portio ferebat, exigere poterat. Enimvero quia difficillimum hac ratione exteris erat ad jus ſuum pervenire, more gentium introductum, ut pro debito civitatis aut capitis ejus vel originario vel in ſe derivato ex denegata aliis juſtitia, teneri & velut tacite oppignorari intelligerentur omnia bona corporalia & incorporalia eorum, qui tali ſocietati aut capiti ſubſunt; idq; non tantum ut ſinguli pro rata tenerentur, ſed etiam eventualiter in ſolidum, ita tamen ut à civitate ſua ipſis reſtitui debeat, quod ſupra portionem ſuam ſolvere ſunt coacti. Hinc extraneus, qui à civitate aliqua, ſibi quod debetur, obtinere nequit, bonis quorumcunq; civium ejuſdem civitatis debito ſuo æquipollentibus injicere manus poteſt. Quale jus uſurpare neceſſitas adegit, quippe cum peculiaria Principum bona ſæpe non tam facile in manus pervenire poſſint, quam privatorum, qui plures ſunt; & ſolent membra alicujus ſocietatis facilius à ſe invicem jus conſequi, quam exteri, quorum exigua ſæpe habetur ratio. Et commodum ex hac obligatione omnibus populis erat commune, ut qui nunc eo gravarentur, alio tempore indidem ſublevari poſſent. Quod ſi quis tamen accurate rimari velit, ejus rei fundamenta in ipſo quoq; pacto civitates conſtituente, & conſequenter in ipſo naturæ jure deprehendet. Etſi enim, qui in civitates coëunt, haudquaquam vulgaria rerum dominia tollant aut confundant, ſeu communionem bonorum introducant; (id quod ubi factum eſſet, cum omnia, quæ quis ex pacto cum extraneo adquiſiviſſet, immediate bonis publicis adcreviſſent, ſine dubio quoq; bona eadem tenerentur ex eo, quod alter in iſto pacto ſibi tanquam æquipollens ſtipulatus fuerat:) tamen cum omnia bona ſingulorum civium uni dominio eminenti ſint ſubjecta, in unum quoq; hactenus coaluiſſe intelliguntur, quatenus ad conſervationem ſocietatis civilis faciunt: Inde eſt, quod is, penes quem eſt dominium eminens, i. e. qui ſummum imperium in civitate obtinet, poſſit imperare civibus,

civibus, quantum quisq; conferre debeat ad tolerandos sumptus publicos, aut ubi necessitas moram non fert, à paucis unde commodissimum est sumere quantum res poscit, post ab universis istis restituendum. Idem porro dominium cum etiam ad servanda singulorum bona sit institutum, quæ quo majora fuerint, eo facilius à singulis onera publica tolerentur, adeóq; quæcunq; bona ad istius civitatis membra perveniant, aliquatenus in singulorum commodum redundent: inde fit, ut singuli quoq; certo teneri modo possint ex obligatione quæ bona quæcunq; sub ista societate comprehensa sequitur. Quod contingit potissimum, quando extraneus aliquis via ordinaria id, quod sibi à membro aliquo civitatis alterius debetur, consequi non potest. Tunc enim favor ad debitum meum perveniendi jus mihi indulgere videtur ex quorumcunq; bonis de ista societate meum mihi vindicandi, cujus viribus ex singulorum conjunctione constantibus debitor meus tegitur. Quod idem consuerudo populorum adprobavit. Ex quibus fontibus jus repressaliarum derivandum est.

§. 30. Porro illud in universum notandum circa obligationes, quæ in res ejus, qui obligationem contrahit, tendunt, eas transire cum bonis in eum, qui originarii debitoris hæres est. Quales sunt obligationes, quæ versantur, circa præstandum alteri rem quampiam, quæ in commercium inter homines solet venire. In his enim præprimis alteri datur jus & actio ad bona ejus, qui se obligat, pro quantitate debiti. Inde est, quod cum hæres de antecessoris sui delictis non teneatur, de ejus tamen ære alieno possit conveniri, quippe cum prius creditori in ea bona jus competat quam hæredi. In societatibus autem ac præprimis in civitate debita semper societati adhærent, donec solvantur, etsi singula membra fuerint mutata, immo etsi nemo fors de iis superstes sit, qui primo illud debitum contraxere; ac mutata licet forma accidentali civitatis, puta si ex monarchia facta

fueris

fuerit democratia, & contra. Omnes enim, qui illi ſe ſocietati adjungunt, uti præſentia ejus bona ac deinceps adquirenda ſibi ſtipulari, ita ad præſentia ejuſdem onera toleranda ſe obligare intelliguntur. Unde qui jam civis ſit, ad illud quoq; æs alienum pro rata ſolvendum tenetur, quod multis retro annis civitas contraxit. Et habent hoc civitates, ut & aliæ ſocietates, ut licet ſingula membra alia aliis ſuccedant, & mutentur, ipſæ tamen perpetuo eædem maneant, quamdiu communitatis nexum ſeriémq; retinent atq; unitatem. Quod ſi vero in civile bellum, adeóq; in duas partes diſceſſerint cives, ibi certum eſt, quamdiu diſſenſio manet, unam partem non tangi obligatione ab altera parte contracta. At ubi diſſidentes iterum in concordiam unámq; civitatem coiverint, diſpiciendum, quænam pars Reip. inſtar retinuerit, quænam velut rebellium aut ſeditioſorum ſpeciem habuerit. Illa omnia rite & tanquam ex legitima poteſtate geſſiſſe cenſetur, alteríq; parti imponit neceſſitatem adprobandi res à ſe geſtas, adeóq; poſt ſeceſſionem uniti iterum ſecedentes obligantur ad ſolvenda debita interim contracta etiam eo fine, ut ipſi in ordinem redigerentur Quod in ſecedentibus locum non habet. Hi enim quidquid egerint ut privati agere cenſentur, adeóq; debita ſua directe ad civitatem non devolvunt, niſi vel peculiariter fuerit conventum, vel ipſi per vim ſummam Reipubl. ibi adſeruerint, reliquis devictis. At quando obſcurum eſt, æquali partium dignitate, utra pars Reip. inſtar habeat, res dijudicanda erit, ſiquidem placidis componantur mediis, ex conventionibus, (ubi partium æqualitas æqualem faciendam ſuadet obligationem, ita ut utrorumq; debita omnes conjunctim ſolvant,) vel ſi ferro ac vi diſſenſioni finis imponatur, victoria oſtendet, quænam pars pro Republica ſit habenda. Quod ſi vero quis jure belli civitatem occuparit, illi nihilominus, quibus civitas iſta ære alieno fuit obligata, ſiquidem extra civitatem eam

ſint

sint constituti & non hostes fuerint occupantis, debita sua ab occupante ex bonis civitatis solvenda petere possunt. Nihil enim hoc rationis est, cur tertio jus suum auferri debeat, quod in bonis civitatis istius fundatum à quocunq; possessore, in quantum ille validius jus non obtenderit, vindicari potest. At si creditor ista civitate comprehendatur, jus illud per victoriam victori accrescet.

§. 31. Ex iisdem quoq; potest colligi fœdera quæ populus aliquis, in quo summa potestas est penes plures uno, init, esse realia uti vocant, seu continuo durare, etiamsi personæ Rempubl. administrantes fuerint mutatæ; quippe cum, uti jam dictum, quamvis personæ mutentur una semper eadémq; præsentium & præsentibus succedentium civitas censeatur. At vero an in Monarchia antecessoris fœderibus ad ipsius personam non expresse restrictis, teneatur successor, in quem summa potestas immediate pleno jure transmittitur, difficilius explicatu est. Ubi proprie non est quæstio de pacificationibus, neq; de ejusmodi pactis, quibus jus aliquod ab uno pacisentium in alterum fuit translatum, uti fit in donatione, venditione, & similibus contractibus. Nam per pacificationes antegressæ injuriæ, quæ bello causam dedere, prorsus extinguuntur, conditionibus utrinq; expletis: & per ejusmodi pacta qui rem aliquam transfert, nihil omnino in ea juris sibi retinet. Unde successor neq; pacem ab antecessore factam, ni novæ emergat causa, tollere, neq; contractus aut donationes, nisi hæ forte sse jure aliquo invalidæ fuerint, retractare potest. Nec proprie dubium est de ejusmodi casu quando, impleto jam pacto ab uno, alter antequam suum quoq; præstiterit, mortuus fuerit, an successor æquipollens exhibere teneatur? Cum enim id, quod sub conditione retributionis præstitum fuit, in Reip. usum cesserit, aut saltem ea intentione fuerit exhibitum, patet sane, nisi paria reponantur, alteri jus in rem condi-

tiona-

tionaliter exhibitam remanere, adeóq; qui in imperium iſtius ſucceſſit, ad reſtitutionem rei exhibitæ, aut ejus, quod velut æquipollens in fœdere fuit expreſſum teneri. Remanet igitur controverſia duntaxat, an ex fœdere ab anteceſſore inito (circa res antea indebitas invicem præſtandas,) in quo vel à neutro quidquam adhuc fuerit præſtitum, vel quæ invicem exhibita ſunt, æqualia fuerint, ſucceſſor quoq; obligetur, antequam proprio conſenſu ſe ad id adſtrinxerit? Heic aliis commodiſſimum videtur, ex ipſa fœderis formula rem decidere. Scilicet ut reale judicetur, ſi additum fuerit, ut ſit perpetuum; ſi factum ſit in bonum regni, aut cum ipſo & ſucceſſoribus, aut ad tempus definitum. Item ut ex materia ipſa conjectura fiat, ita ut favorabilia credantur eſſe realia, odioſa vero perſonalia. Enimvero ex natura ejuſmodi obligationum accuratius inſpecta patet, quid in univerſum heic ſit definiendum. Certum igitur eſt, obligationes primario ſtringere ipſas perſonas, quæ eaſdem contrahunt, aut quocunq; modo ſuas faciunt. Unde ex omnibus obligationibus de jure naturæ actio in perſonam reſultat, Cæterum conſequenter etiam ad res ipſius obligatio fertur, ut ſcilicet manu iis injecta, quod ex obligatione mihi debetur, adquirere poſſim. Adeóq; quilibet ſe obligans intelligitur alteri poteſtatem dare, ut, ſiquidem ipſe non præſtet quod debet, ille in bona ſua injicere manum queat. Idq; fit duplici reſpectu; vel quod res ipſius per id, quod alter jam præſtitit, factæ ſint auctiores; vel quod amore erga res ſuas poſſit adigi, ut prohibendæ illorum invaſioni debitum præſtet. Prior reſpectus facit, ut etiam extincta perſona originaria obligatio in ipſius rebus hærear, adeo ut licet bona illa ad hæredem ſint devoluta, alter tamen poſſit ex iiſdem ſibi quod debetur vindicare. Alter vero reſpectus cum ipſa perſona extinguitur, quippe cujus ratio in eo duntaxat fundata eſt, quod bonorum invaſione alicui ægre fieri, adeóq; hoc modo ad præſtanda debita adigi queat. Cum autem

autem in bonis Regis numeretur regnum, facile adparet, eo quem posuimus casu, defuncto Rege in regno haud amplius fundari obligationem, adeóq; qui in istud bonum succedit, saltem ex hac ratione antecessoris fœdere non teneri. Relinquitur ergo, ut antecessor ipse immediate & expresse obligationem suam in ipsum transfuderit. At vero manifestum est, non posse mihi ab altero obligationem injungi, quæ post ipsius quoq; mortem valeat, nisi in aliquem ex superstitibus collata sit potestas eam obligationem à me exigendi, eúmq; vel hominem, id quod in illis, qui summa potestate gaudent, locum habere non potest; vel DEUM, quod fit per juramentum. Ex quo concluditur, successorem non teneri fœderibus antecessoris dicto modo sese habentibus, antequam ipse proprio se consensu obliget, nisi antecessori jurato promiserit, fœderis istius observationem se continuaturum: etsi hac ratione non tam ex jure fœderato antecessoris sui competente, quam ob reverentiam divini Numinis obligatio valitura sit.

§. 32. Quantum ad materiam obligationum, possunt illæ contrahi circa quaslibet res, quæ nobis præstare facultas aut potestas est. Ubi enim quid intra vires meas situm est, de quo potestas disponendi mihi relicta, ibi nihil prohibet, quo minus ad id exhibendum alteri quodam necessitatis vinculo me adstringam. Ex quo consequitur, non posse aliquem efficaciter sese obligare circa rem, quæ supra vires ipsius posita, aut in potestate ejus sita non est, seu circa quam facultas naturalis aut moralis deficit. Ubi tamen circa prius notandum, posse fieri, ut obligatio de re pro præsenti tempore supra vires posita non omni careat efficacia, quando scilicet vel res ab altero paciscentium possibilis fuit credita, vel per propriam culpam quis effecit, ne à se præstari possit. Qui enim rem aliquam pactus fuit, quam possibilem putabat, post impossibilem deprehensam, tenetur utique quantum vires admittunt de eadem præstare, saltem ubi

tempus

tempus ejus præstandi facultatem fors attulerit, aut quod deficit alia ratione pensare, pura æstimationem ejus offerendo, aut quod in mutua præstatione isti respondebat remittendo. Nam qui pactum cum altero de re quapiam init, primario quidem & directe spectat rem pacto expressam, indirecte autem aliud quoddam sibi bonum, quanti erat res pacto expressa. Ea quippe lege in pacto aliquis quid præstat, ut omnino utile sibi aliud adquirat. Intelligitur ergo, quando, quod expresse designavit, nequit adipisci, saltem æquipollens aliud sibi voluisse præstari, ne dum ipse damnum capit, alter lucrum faciat. Idq; locum habet, si non ex dolo impossibile quid fuit promissum. Quod si uterq; norit rem esse impossibilem, ac se id nosse invicem norint, lusisse tantummodo, adeóq; nihil contraxisse judicantur. Qui vero rem aliquam spondet, tempore pactionis possibilem, post impossibilem factam, siquidem id citra ipsius culpam contigerit, summum tamen conatum debet. At ubi per propriam culpam id accidit, pœnæ quoq; se obnoxium reddit. Sic qui improviso aliquo fortunæ casu solvendo non est, pro viribus quidem laborare tenetur ut debitum diluat, quantum potest, sumpto quoq; sibi ad eam rem temporis spatio; pœnæ tamen propterea non potest subjici. Sed qui culpa sua decoxit, præterquam quod ad summum solvendi conatum tenetur, pœnæ quoq; reum sese facit.

§. 33. Cæterum heic à nonnullis quæstio satis spinosa movetur: an quis se possit obligare ad præferenda mala firmitatem animi nostri communiter superantia? v.g. an quis possit obligari suo pacto mortem vel vulnera inferenti non resistere? Idq; negant ex hisce rationibus, quod ea mala non possit non aliquis ex necessitate quadam naturali fugere; ad impossibile autem neminem teneri. Idem quoq; deprehendi ex illis, qui ad supplium ducuntur, qui satellitibus aut vinculis coërceantur; at ei qui pacto teneatur credi; ergo non videri illos pactis

tis ad non resistendum satis obligatos esse. Inutile præterea esse tale pactum. Nam in civitate sufficere, si civitas pacto stipuletur, ne quis eum, de quo supplicium sumendum, defendat. Extra civitatem autem, cum tale pactum referatur ad aliud pactum, quod nisi impleatur, huic locus fiat; (v.g. hoc faciam; nisi fecero, spondeo me interficienti non repugnaturum:) itidem erit inutile. Nam si prius violaverit, jam in statum bellicum paciscentes fuere devoluti, per quem etiam posterius statim expirat. Deniq; pacto de non resistendo ejusmodi malo obligari nos duorum malorum præsentium eligere illud, quod majus malum videtur; nam mors certa majus malum est, quam pugna; atqui duorum malorum impossibile est non eligere minus. Ergo tali pacto teneremur ad impossibile, id quod naturæ pactorum repugnat. Quæ tamen ultima ratio vix admitti potest, quod ex ea interri posse videatur, quarumlibet vim obligationum expirare, quoties quis judicaverit, deterius sibi esse obligatione stare, quam ab eadem recedere; qua ratione omnis efficacia obligationum ex proprio cujusq; arbitrio suspenderetur. Ne dicam, quod haudquaquam ad obligationem requiratur, ut illius violatio non possit interdum appetibilior videri, quam ejusdem impletio. Imo postquam præstabilius judicatum obligationem violare, ejusdem efficacia adhuc durat, scilicet ut alteri virtute ejusdem competat potestas vi ab illo jus suum vindicandi. Enimvero ex natura pactorum facile patet, quid de hac quæstione sit judicandum. Pactorum enim vis ultimato huc redit, ut obligans obligatum recusantem promissa vi adigere queat, vel etiam malo ea de causa mediate aut immediate ipsum multare. De hoc malo citra reluctantiam admittendo pactum inire prorsus absurdum est. Nam cum obligationis nulla sit efficacia, nisi metu alicujus mali ex ejus violatione oriundi velut contineatur, dictum pactum iterum alio pacto pœnali esset firmandum, & hoc

iterum alio, & sic in infinitum. Et vero profsus inutile est, eodem vinculi genere bis circa eandem rem aliquem velle stringere. Nam prius si ruptum fuerit, alterum quoq; statim cadit. Nulla ergo ratio est cur ad pœnam citra reluctantiam patiendum alter sit adstringendus. Inde quoq; est, quod nemo seipsum accusare aut deferre teneatur. Nam quæ reo admoventur tormenta, proprie accusationes non sunt neq; testimonia, sed eruendæ veritatis adminicula. Ideóq; non subjici solent quæstionibus, nisi de quorum facinoribus jam clara satis extant indicia; idq; quod communiter nolint aliquem condemnare judices, nisi ipse quoque agnoscat, injuriam sibi non fieri. Nec obligationi suæ contravenisse judicandus est, qui per tormenta factum suum negavit, aut nihil omnino respondit. In juramentis autem purgatoriis, quæ instar tormenti moralis habentur, in causis non capitalibus ob reverentiam divini Numinis veritatem quis dissimulare non potest; etsi judex quantum in se illi, cui juramentum defert, optionem dare videatur, ut aut veritatem confiteatur, aliquod incommodum sibi allaturam, aut misericordiæ divinæ renunciet; quorum posterius tamen nemo facere præsumitur.

§. 34. Circa illas quoq; res obligationem contrahere nequimus, de quibus disponendi facultas moralis seu potestas nobis est adempta; quales sunt res legibus interdictæ. Qui enim lege alicui interdicit actionem aliquam, adimit sane potestatem ipsi eam suscipiendi, & consequenter facultatem de eadem præstanda alteri sese obligandi. Unde bis peccat, qui peccatum se aliquod commissurum pactus est, si id servet, etiamsi juramentum quoq; interposuerit. Ubi tamen notandum, quædam res legibus interdici, de quibus tamen, ubi actu fuerit contractum, obligatio non redditur irrita, etiamsi contrahentes ob id pœnæ alicui aut multæ plerunq; subjiciantur. Idq; fere solet contingere circa actus in se licitos,

licitos, ſed in quibus circumſtantiam aliquam jure civili duntaxat neceſſariam contrahentes neglexere: ubi licet fors ex jure civili irrita ſit obligatio, ex jure tamen naturæ valebit. Sic & ex adverſo multa, quæ contra officium aliquod legis naturæ aguntur, quia leges civiles de iiſdem nihil conſtituunt, non ſtatim irrita aut nulla habentur in foro humano, etſi contra legem naturæ peccetur, tam quando ad talia quis ſe obligat, quam quando eadem præſtat.

§. 35. Porro quemadmodum indubium eſt, pactum circa rem illicitam non debere ſervari, & recte facere, qui antequam res iſta illicita impleatur, reſiliat: ita ſi factum illud turpe ſit præſtitum, quæritur, an quis teneatur, quam alter pro eo mercedem fuerat pactus, omnino ſolvere? Quod nonnulli affirmant, eo quod ipſa quidem merces ejuſmodi aut promiſſum ante crimen labem in ſe habeat, ut mali illex, ſed quæ ceſſare incipiat peracto crimine, ubi obligationis vis, quæ hactenus in pendenti fuerit efficacia, ſeſe exſerat; utpote quæ ab initio non intrinſecus defuit, ſed ab accedente vitio fuit impedita. Verum nos putamus, uti jus naturæ ejuſmodi pacta declaravit irrita: ita quoq; idem non obligare paciſcentes, ut pro præſtita opera turpi mercedem, de qua erat conventum, omnino perſolvant. Nam hac ratione irrita foret prohibitio iſta de pactis circa illicita non ineundis, ſi poſt factum præſtitum jure naturæ validum eſſet pactum. Perinde enim foret, ac ſi diceretur; furtum non eſt faciendum, ſed quod quis furatus eſt, recte poteſt retinere. Et ſi promiſſio mercedis labem habuit antequam impleretur, eo quod fuit mali illex, nec labe carebit ſcelere perfecto, quod peccati præmium, & ad ulteriora ſcelera invitatio ſit. Quod ſi igitur quis ſponte, ſceleris intelligens turpitudinem, operam ſuam obtulit, & pro ea certam mercedem ſibi ſtipulatus eſt, haudquaquam credas, juri naturæ eſſe curæ, ut ne hujus improbitas mercede careat. Quod

enim adferunt exemplum Judæ Thamari, quam meretricem putabat, promissam mercedem tanquam debitam persolvere volentis; ad id respondeti potest, istic locorum concubitus soluti cum soluta licitos fuisse habitos, adeóq; valide circa illos saltem civiliter potuisse contrahi. Quod si vero quis aliquem aliàs à scelere abhorrentem promissis suis, aliisq; solicitationibus corruperit, is sane tenetur ipsi saltem quantum pollicitus est præstare, non ex vi pacti, sed ex lege de sarciendo damno alteri dato. Sic v.g. qui virginem pactione matrimonii ad concubitum pellexit, ducere eam tenetur, non tanquam in mercedem concubitus, sed in compensationem per suas illecebras diminuti pudoris. Habent tamen hunc effectum ejusmodi pacta, ut, quia utrinq; in ea fuit consensum, siquidem unus paciscentium ab altero vi ad id implendum adactus, aut ob idem non impletum malo affectus fuerit, non habeat justam ideo querendi causam, nec proprie injuriam passus censeatur; cum malum, cui quis sua culpa causam dedit, invito non accidere judicetur. Nam quo minus tutela legis naturæ, ne quis ad rem indebitam cogatur, neve ob rem indebitam non præstitam malo afficiatur, uti queat, ipse consensu suo effecit, ejusq; legis favori renunciavit, dum, quantum in se fuit, alteri tale quid abs se exigendi potestatem fecit. Non secus ac in civitatibus, ubi duella sunt prohibita, nec alterum jure possum provocare, nec ipse provocatus ab altero comparere teneor, etiam postquam semel id promiserim. Si quis tamen sponte in pugnam vetitam descenderit, ac vulnera ibi acceperit, neminem habet quem recte accuset præter seipsum, nec de injuria queri potest, aut vulnerantem damni pensationem poscere. Sic v.g. si duo contra interdictum legum civilium de hæreditate armis decernant, ut victori tota cedat, si hic eam sibi vindicet, victo non fit injuria, de qua queri possit; nec judex in integrum restituere ipsum tenetur, sed utrumq; condigna pœna afficere potest; rem

rem autem, de qua pugnatum, prout videtur, vel victori relinquere, vel omnino multæ loco auferre, nisi magis restitutio rei in integrum placeat.

§. 36. Præterea cum alienæ res & actiones sint extra potestatem nostram, facile patet, me circa eas cum altero contrahere non posse, ut actu meo alter jus ad illas adquirat. Quando vero ita cum altero contraho, v.g. me curaturum, ut tertius certam rem vel actionem ipsi exhibeat, ego obligor omnem operam moraliter possibilem impendere, ut ad eam rem exhibendam iste promoveatur; nequaquam autem alter exinde in rem tertii jus adquirit, aut ab isto velut sibi debitam ex ipsius obligatione postulare eam potest. Quod si autem ita paciscor, ut ni tertius præstet, ipse ad eam rem aut multam certam solvendam tenear, manifestum est, si ab ipso obtinere id nequeam, me alteri satisfacere debere. Cui simile fere id, quod legibus Romanis erat constitutum, ut si quis rem alienam legarit, quam talem sciebat, quia nemo præsumitur actionis suæ nullum voluisse effectum, hæres eam rem redimere cogeretur & præstare, aut si eam redimere nequiret, æstimationem ejus dare. At si quis nude duntaxat promittat, alterum daturum, nec seipsum obligat, nec alterum. Pro alienis tamen non reputantur res aut actiones eorum, in quos nobis est imperium, in quantum hoc sese extendit. De his enim ut de propriis efficaciter contrahere possum, adeo ut non ipse solum tenear pactum præstare; sed & alter, cujus factum vel rem spondeo, ex vi potestatis mihi in ipsum competentis ad repræsentandum promissum meum obligetur, ita ut non à me solum tanquam primario promissore, sed & ab altero illo, postquam mea ipsi voluntas innotuit, iste jus suum vindicare possit. Sed nec de meis rebus aut actionibus, in quæ jam alteri jus fuit quæsitum, cum tertio valide possum paciscì, nisi forte ille jure suo velit cedere. Nam qui prioribus pactis jus suum jam in alium transtulerat, ipse utiqj nullum am-

plius tale jus reliquum habet, quod in tertium conferre possit. Ac nullo negotio omnia pacta isthac ratione eludi possent, inito alio, in quo contraria priori disponerentur. Unde hoc in casu posterius pactum invalidum redditur per prius; vel potius prius ostendit, posterius esse nullum posse. Et hoc sensu accipiendum tritum illud; Qui prior tempore, potior jure: scilicet non quod ipsum tempus in se juris aliquid conferat, sed quia priori in rem istam jus jam aliquod fuit quæsitum, quod impedit, quo minus posteriori ad eandem rem jus adquiri potuerit. Ex eodem quoque fundamento est, quod ex Romanis legibus servus domino suo (præter obligationem illam generalem, quæ statum ipsius comitatur) non posset obligari; quippe cum jam ante omnes istius actiones utiles ac res essent sub potestate domini; sed nec alii cuipiam, quia non erat sui juris, sed alterius, adeóq; de se tanquam de re aliena nihil disponere efficaciter poterat.

§. 37. Ex eodem quoq; capite intelligendum est illud: Obligatio laxior cedit arctiori, quando utriq; simul satisfieri nequit. Scilicet quod ad unam rem magis obliger quam ad alteram, quando exercitium earundem simul obiri nequit, inde est, quod una persona, cui quid debeo, vel quæ obligationem mihi injunxit, potestatem in me habeat, quam altera vel omnino non habet, vel non æque efficacem. Inde quando quis sub alterius potestate constitutus sese ad aliquid præstandum tertio obligat, semper intelligitur hanc limitationem adjunxisse, aut adjungere debuisse, quatenus id fieri possit salva obligatione qua superiori obstringitur. Quod si autem neutri parti, cum qua paciscor, plus potestatis in me, quam alteri, competit, illa obligatio prævalet, quæ tempore prior est; idq; quia de actione vel re, quam jam alteri debeo, valide amplius disponere nequeo. Unde intelligitur, quomodo decidendæ sint quæstiones, quando quis duobus fœderatis est obstrictus,

ctus, si utriq; eodem tempore promissum poscant auxilium, quod simul præstari non potest, puta præsentiam ejus qui promisit, aut omnes copias certi generis, v. g. omnes naves, omnem equitatum, &c. utri potius auxilium ferendum? Heic enim antiquior fœderatus prævalet, eo quod in posteriori tantum obstrictæ intelligantur actiones, quæ à priori obligatione liberæ erant. Et hæc locum habent non tantum, quando fœderatis cum tertio res est, sed etiam, quando ipsis inter se, siquidem priori fœdere ne deinceps quidem fœderati futuri excipiantur. Aſt ut quis utriq; quæ simul præstari possunt, exhibeat, ne hoc quidem prioris natura fœderis admittit. Implicat enim, eum, qui auxilia à me stipulatus est, libertatem mihi reliquisse, ut illi quoq; contra quem ipse meum auxilium imploret, auxilia itidem præstem. Hac enim ratione priori promissorum effectus auxiliorum in nihilum recideret; siquidem momenti nihil adferunt uni addita, si alteri tantundem addatur. Bene tamen heic justitiæ causæ consideranda est eorum, qui belligerantur. Cum enim nemo obligetur, ut injurias alterius foveat, patet sane, siquidem posteriori fœderato à priori injuria fiat, me illi quoque adversus hunc auxilia posse ferre, (nisi convenerit, ne adversus istum quacunque ratione auxilium ferre tenear;) quippe cum priori promissum auxilium justam causam supposuerit.

§. 38. Firmandis obligationibus ac præprimis pactis adduntur Instrumenta, Juramenta, Pignora, Obsides, Fidejussiones. Primum quod attinet, in obligationibus inter homines invicem contrahendis necesse est per signa voluntas exprimatur; quippe cum actuum voluntatis, quamdiu signis non manifestantur, nullus inter homines invicem effectus esse possit. Sunt autem signa imperfectiora quidem gestus, quos in commerciis adhiberi oportet inter illos, quorum linguæ invicem non intelliguntur; perfectiora autem verba utrinq; intelle-

cta. Hæc porro ut eo liquidius ac firmius voluntatem exprimerent, institutum est, tum ut pactis majoris momenti testes adhiberentur, ad quorum memoriam & conscientiam provocaretur, si fors pactum ipsum ab alterutro negaretur, aut de verbis pacti dubium fuerit ortum: tum vel maxime, ut scripto comprehenderentur leges pacti. Nam etiam complurium hominum memoria labilis, aut fluxa fides; scripta vero oblivioni aut perfidiæ haudquaquam ita obnoxia. Nuda quoq; verba frequenter hac exceptione eluduntur, quod per præcipitantiam, aut re non recte perspecta fuerint prolata, quam exceptionem scripta quoq; excludunt, quippe quæ dum concipiuntur, clare admodum & non sine mora aliqua pacificentis animo rem subjiciunt, ut siquidem hæc adprobaverit, plene in rem ipsam consensisse omnino judicandus sit. Nec tam facile argutis interpretationibus detorqueri scripta queunt, quam verba, in quibus particula aliqua captiose inserta, quæ per celeritatem pronunciationis non animadvertebatur, totam rem evertere potest; cui incommodo scripta haudquaquam ita sunt subjecta. Cæterum etsi ab ejusmodi scriptis seu instrumentis pactorum obligatio in se haud pendeat, quippe quæ etiam sine illis contrahi queat, & quantum ad jus naturæ persistat, etiamsi fors illa casu quodam perierint: in foro tamen civili, cujus cognitio non nisi manifestissimis nititur signis, hæc instrumenta quam maxime attenduntur, & plus fidei, quam cuilibet alii indicio, istis tribuitur. Ac nisi illa produci queant, ordinarie actor rejicitur, nisi idoneis testibus probaverit, illa instrumenta casu quodam sibi periisse. Inde quoq; est, quod si creditor obligationis instrumentum sciens restituerit, aut illud conscio debitore sciens abolleverit, debitum ipsi condonasse censeatur. Nequaquam tamen, si quovis modo syngraphas debitor nanciscatur, puta, furto subtractas, aut alia ratione extortas, obligatione solutus erit, saltem de jure naturæ, etsi fors in foro civili actio expiret,

§. 39.

§. 39. Juramentum triplici potissimum fine adhiberi solet, vel ut negemus nos facinoris cujuspiam reos aut conscios, vel ut vera nos enunciaturos de re nobis cognita confirmemus, vel ut ad aliquid præstandum nos adstringamus. Primum dicere possumus purgatorium, alterum testificatorium, tertium promissorium. Juramentum purgatorium deferri solet ab iis, queis pœnam exigendi potestas est, aut qui accusare nos volunt quando aliqua quidem indicia facinoris nos notant, sed quæ tamen plenam probationem non faciunt, nec aliis indiciis aut testimoniis in rei veritatem penetrare datur. Sed tale autem juramentum adigi non possumus, nisi ab iis quibus pœnam de nobis sumendi potestas competit, idq; maxime, quia detrectans pro convicto & confesso habetur; reliquis licet postulantibus recte id denegare possumus, nisi fors actionem nobis intendentibus, quando commodius videtur hac ratione judicium declinare, quam causam cum periculo aut saltem molestia dicere. Haudquaquam tamen eo loco tale deferri solet juramentum, ubi veritatis confessionem supplicium capitis sequitur. Equidem uti nemo communiter præsumitur divinæ renunciare misericordiæ ad evitandum aliquod incommodum infra capitis periculum subsistens: ita paucis ea animi vis est, ut mortem oppetere malint, quam perjurium committere, præsertim cum post perjurium nequaquam ipsis interdicatur misericordiam divinam iterum solicitare, nec spes præclusa sit, quo minus ea iterum exorari queat. Eadem fere circa juramentum testificatorium locum habent. Nam & hoc non nisi ab illis mihi injungi potest, qui imperium in me obtinent, reliquis id pro liberali officio imputare possum. Et idem in causis capitalibus acceptari non convenit ab illis, qui necessitudine quadam affectum vehementem generante iis junguntur, in quos testimonium est dicendum, quippe qui communiter gratiam post religionem habere judicantur.

§. 40.

§. 40. In universum autem juramentum est adserto religiosa, qua misericordiæ divinæ renunciamus, a[d] divinam in nos pœnam deposcimus, nisi verum dicam[us] aut promissum præstemus. Hunc enim juramentorum sensum esse facile indicant formulæ usurpari solitæ; I[ta] me Deus adjuvet; Deus sit testis, & similes, quæ eode[m] fere recidunt. Nam cum superior puniendi jus habe[at] testis advocatur, simul ab eodem perfidiæ ultio poscitu[r]. Unde quæ ad talem sensum reduci nequeunt asseverati[o]nes, juramentorum rationem non habent. Ubi obi[ter] quoq; expediri potest, quid sentiendum de more Ve[te]rum, qui eandem ac prope majorem vim juramentis [et] salutem, caput, vitam Principis, quam per Deum [con]ceptis tribuerunt. Id enim proprie non ideo fact[um], quod Principibus Numen aliquod inesse putarent, aut quod iram eorum sibi fallentibus precarentur; sed quia pleriq; videri volebant, magis Principum salutem quam propriam curare, adeóq; majori religione ducere iram Deorum in illorum, quam in proprium caput derivare. Sensus quippe ejusmodi juramentorum proprie hic fuit: ita salvum Principem opto, uti ego hoc faciam: id est, nisi hoc faxo, iratum Principi Deum precor. Unde patet, non sine ratione gravius quondam punitos per caput Principis pejerantes, quam per proprium. Nam hac ratione in propriam duntaxat personam perjurii vindictam derivare credebantur, isto autem modo etiam in Principem, cui publica quoq; salus innexa. Ex fine quoq; juramentorum eorundem sensus colligitur, qui est, ut homines ad enunciandum verum aut præstanda promissa eo firmius adstringerentur metu divini Numinis, omnipotentis & omniscii, cujus iram, si scientes fallant per juramentum, in se invocant, ubi alias metus hominum minus efficax vinculum videbatur fidei, quorum vel vires effugere, vel scientiam se posse fallere sperabant. Nam ubi vel latere non potest, vel pœnam nostram non declinare violator pactorum, superfluum videtur

detur juramentum exigere. Etsi autem omnes non-athei supponant, Deum violationem pactorum etiam juramento non confirmatorum vindicare: communis tamen est persuasio eaque non inanis, acerbius illum puniri, qui iram Dei provocaverit, ac sponte sibi viam ad ipsius misericordiam quantum in se fuit, perjurio præcluserit.

§. 41. Bene autem observandum, jusjurandum proprie non producere novam obligationem, sed obligationi in se firmæ velut accessorium quoddam vinculum supervenire. Semper enim supponitur aliquid, quod nisi præstetur, juramento pœna divina provocetur. At ineptum hoc esset, nisi illicitum foret non præstare illud, quod supponitur, adeóq; jam antea obligaremur. Hinc est, quod illa pacta, quæ alias in se de jure naturæ alteri nullum jus dant, ne id quidem præstent accedente juramento. Uti contingit illis, qui per metum injustum causam juratæ promissioni dederunt. Non minus enim manet talibus obligatio restituendi extortum vi promissum cum juramento, quam citra juramentum, cujus compensatione supra obligationem præstandi promissum supra dicebamus. In honorem tamen divini Numinis ejusmodi promissa servanda puramus. Cum enim ejusdem intuitu gravius effugeris malum, quam promissum illud est, irreverens utiq; foret, postquam periculum effugeris, tam proficuam Numinis invocationem velut retractasse. Quin & circa res, de quibus in se obligari non poteramus, ne accedente quidem juramento obligamur; quales sunt res legibus perfectis interdictæ. Absurdum enim est, invocare vindictam divinam, ni id facias, quod si feceris, ab eodem Numine sis puniendus, adeóq; reverentia DEI velut in ipsius ignominiam abuti. Ac introducta sunt juramenta, ut licitis ac bonis actionibus inter homines firmitatem addant, non ut sceleribus succenturientur. Sic recte quoq; dicunt, jurata vota bonum aliquod morale majus impedientia esse irrita,

irrita. Quale illud apud antiquos Judæos frequentatum, quo jurabant, se nihil huic vel illi unquam benefacturos; quippe cum beneficentiam à Numine præceptam haudquidquam nobis metipsis interdicere queamus. Idem de absolute impossibilibus est clarum. Etsi extra dubium sit, quin ita temere nominis divini religionem tractans graviter peccet. Simili ratione addita juramenta promissionem conditionatam non mutant in absolutam. Non minus enim, quod conditionem supposuit juramentum, cum conditione illa stat aut cadit, quam injuratum promissum. Sic quoq; si certum sit, eum qui juravit aliquod factum supposuisse, quod revera ita se non habet, ac nisi id credidisset, non fuisse juraturum, non obligabit juramentum. At si dubium sit, an non etiam sine eo idem fuisset juraturus, standum erit promissis; quia ob reverentiam DEI quam simplicissima in juramentis interpretatio debet adhiberi. Similiter ex natura pactorum judicandum, an actus contra juramentum admissus sit duntaxat illicitus, an vero etiam irritus. Nisi enim jus suum in rem promittens juratus abdicaverit, & in alterum id promisso jurato transtulerit, si post in tertium idem conferat, irritus non erit actus. Sic v.g. si quis juraverit, se certam rem alicui legaturum, postmodum autem tertio cuipiam eandem vendiderit, nequaquam irrita erit venditio, etsi iste perjurii labem contraxerit. Deniq; pro natura pacti aut promissi cui adjicitur, juramentum habebit efficaciam ex jure naturali aut civili. Nam illud in se non facit, ut promissum aut pactum alias in se ex solo jure naturæ valens, efficaciam juris civilis obtineat, nisi forte lex civilis circa quædam pacta peculiariter hanc ipsi vim assignaverit.

§. 42. Porro in juramentis formula illa, sub qua DEUS testis aut vindex invocatur, accommodanda est ad persuasionem seu religionem quam fovet ille, qui jurat. Nam nemo per DEUM se jurare putat alia formu-

formula vel alio nomine, quam quod ſuæ ipſius, hoc eſt, (ex opinione jurantis) veræ religionis præceptis continetur. Inde qui per falſos Deos juraverit, quos ipſe tamen pro veris putat, obligabitur; ac ſi pejeraverit, adverſus verum Deum perjurii culpam admittit; quia ſub quocunq; conceptu Numinis tamen notionem ante oculos habet, quo invocato ſi ſciens fefellerit, in divinam majeſtatem, quantum in ſe, irreverens fuit. De cætero autem verba juramenti eo ſenſu capienda ſunt ac valent, quo capere ſe profitetur, cui juratur. Hujus enim præcipue, non jurantis cauſa juramentum præſtatur. Unde etſi haudquaquam obligetur, qui recitative duntaxat protulerit verba alicujus juramenti, quod de Cydippe Poëtæ tradunt: tamen ſi vel ita quis jurare velit, ut non obligetur, vel alio ſenſu in mente reſervato, quam alter cui juratur verba accipiat, omnino obligabitur juramento. Idq; non tantum, quia ab hoc actu omnem cavillationem reverentia Numinis excludere debet; ſed etiam quia alias tota ea res in nihilum reciderer. Introducta enim juramenta hoc fine, ut quantum fieri poſſet, ſecurus aliquis redderetur de alterius fide circa rem promiſſam aut veracitate circa reſponſum ad interrogata; qui finis prorſus evertitur, ſi iſti exceptioni locus datur. Et neceſſitas illa, qua ejuſmodi ſigna ſervandæ ſocietatis cauſa inter homines fuere inſtituta, omnino requirebat, ut ad eum modum ſigna valerent, quo dijudicari poſſent ab iis, quorum cauſa adhibentur. At iſtud obtineri haudquidquam poteſt, ſi non ex ſenſu accipientis, ſed ex tacita, eaque communi uſui contraria proferentis interpretatione valeant.

§. 43. Pignora pactis adjici ſolent, quando vel fides ejus partis, quæ ſuum debitum ex pacto poſteriori loco præſtat, non ſatis certa videtur, vel ut moleſtia pro tribunali jus noſtrum extorquendi ſuperſedere poſſimus. Ideo etiam pignus communiter pretium debiti æquare

aut

aut ſuperare ſuevit, ut ſiquidem fides alterius fefellerit, in promptu habeamus, unde debito noſtro potiri queamus. Sunt autem pignora vel fructuoſa vel ſterilia. Illa fructu ſuo, quem interea ferunt, penſare poſſunt, quod nobis damni ex dilata ſolutione debiti emergit, adeóque non ita neceſſarium eſt, certum conſtitui terminum, intra quem niſi reluatur pignus, habenti proprium cedat, cum mora ipſi haud ſit damnoſa. Quod quia in ſterilibus contra eſt, plerunq; in iis determinare ſueverunt certum temporis ſpatium, quo elapſo velut in ſolutum pignus vindicetur. Quod ſi id tamen non ſit expreſſum, tractu temporis quantocunq; luitio pignoris non impeditur, niſi forte ſufficientia emergant indicia, pro derelicto illud à domino habitum fuiſſe. Reſtituendum autem eſt pignus, quando diſſolvitur debitum, antequam præterlapſo termino in ſolutum ceciderit. Interea temporis, qui id accipit, non minorem iſti quam rei ſuæ debet cuſtodiam, quippe cum ipſius potiſſimum commodo fuerit datum. Et ſi quid detrimenti id capiat, aut prorſus pereat per ipſius dolum, aut defectum diligentiæ ſaltem communis, ejuſdem id periculo ac damno contingit.

§. 44. Obſides dari ſolent confirmandis pactis potiſſimum publicis, ubi itidem nuda fide non ſatis cautum nobis videtur; ſcilicet ut à pacto violando alter metu cohibeatur, ne in illos durius quid ſtatuatur, quos in poteſtatem nobis tradidit. Præſertim cum non viles perſonæ, ſed quæ à cæteris magni æſtimentur, obſidum loco tradi ſoleant. Dantur autem vel ab una duntaxat parte, vel ab utraque. Hoc fit, quando vel utriuſque partis æque intereſt conventa ſervari, vel utriq; par invicem nocendi facultas, vel deniq; in bello, quando non ſatis conſtat, ſerio res agatur, an ſimulato pacto inſidiis locus quæratur. Illud vero contingere ſere ſolet, quando pars viribus inferior ad paciſcendum durioribus conditionibus adigitur. Cæterum ſatis intricata alias quæſtio

ſtio circa obligationem obſidum, & quidnam in eos liceat, ſi non ſervatum ſit, cujus cauſa dati fuere, commodiſſime hac ratione expediri poſſe videtur, ſi diſtinguatur inter id, quod ipſi citra injuriam pati queant, & quid ex lege naturæ recte ipſis inferatur. Cum enim ejuſmodi pactis firmandis adjicientur, quibus violatis bellum exiſtit, ſatis patet, ruptis pactis obſides quoque non ſecus ac totam ipſorum civitatem in hoſtium abire numerum, in quos ſtatuere licet, quidquid libet, ſaltem quantum ad defectum juris id impedientis, quod in ipſis hoſtibus exiſtat. Nam eo ipſo dum hoſtes fiunt, nihil in ipſis juris remanet, quo minus extrema quæque ab eo, quem læſere, pati queant, uti inferius pluribus explicabimus. Accedit, quod eam ipſam licentiam, qui eos dederunt, videntur indulſiſſe. Traditio enim obſidum huc redit, ſe nihil recuſare, quo minus in eoſdem, quicquid libitum fuerit, ſtatuatur, ſiquidem fidem non ſervari contigerit. Nec intra cuſtodiam duntaxat hæc licentia conſiſtit. Hanc enim arctiorem aut laxiorem, prout opus videtur, quamdiu tales ſunt, etiam quando pactum ſervatur, eo ipſo, quod traduntur, ſubeunt. Adeóq; ubi pacta violantur, ulterius procedi poſſe ſatis intelligitur, ſcilicet ad cruciatus & mortem, quæ poſt cuſtodiam proxima ſunt. Sic etiam quando utrinq; obſides ſunt dati, ſi unus paciſcentium citra juſtam cauſam ſuos male tractaverit aut occiderit, injuriam alter non faciet, ſi eodem modo, quos apud ſe habet, tractaverit, idq; ex mudo belli jure, non ex jure aliquo talionis. Etſi hoc communiter in ejuſmodi factis allegari ſoleat, declinandæ inter homines crudelitatis famæ. Quippe cum talio habeatur ex conſuetudine gentium, non ſolum quando ei perſonæ, quæ peccavit, malum quod ipſa fecit infertur; ſed etiam quando idem infertur aliis de eodem corpore morali, qui præſertim ſunt ejuſdem conditionis. Nemo enim duriter tractatum cenſet hoſtem, in quem ſua exempla ſtatuuntur. At vero cum

jus

jus naturæ mala, quæ hosti inferuntur, temperanda jubeat ad rationem pœnæ alias inter homines pacificos usurpari solitæ, quantum ratio belli, & necessitas nos ipsos defendendi & ad jus nostrum perveniendi admittit, facile patet, obsides innoxios violato pacto non posse recte occidi, aut alias crudeliter tractari, nisi forte ipsi quid morte dignum commiserint, aut in violationem pacti consenserint, eamque velut suo periculo fieri jusserint. Hoc enim casu quin capite quoq; plecti possint, extra dubitationem positum est.

§. 45. Cæterum heic non minus spinosa suboritur quæstio, an illi, qui obsidem dederunt, injuriam eidem faciant quem ista ratione hostium iræ objiciunt? Quam quæstionem volumus intellectam de iis, qui in obsides, quos dant, summum habent imperium. Nam si quis pro aliis, quam qui summum imperium in ipsum habent, se obsidem obtulerit, haud dubium est, quin cum istis pactum ineat, ne perfidia sua duriorem sibi conditionem concilient, adeóq; violatores pacti omnino obsidi injuriam facere. Hæc quæstio ex illa pendet, an is, qui summo imperio gaudet, potestatem habeat vitam subditi sui in periculum mortis præsens aut probabile exponere pro salute publica, & an subdito sit obligatio ejusmodi periculum, si jubeatur, subeundi? Quod affirmandum nobis videtur. Etsi sint, qui id negent ex ista ratione, quod solus Deus sibi in vitam dominium reservarit; nec hominem in vitam suam id juris habere, quod in res alias quæ in proprietatem veniunt, adeóq; id jus consensu expresso aut tacito à singulis ad civitatem non potuisse pervenire. Enimvero quod dicitur, homini in vitam suam non esse dominium ad eandem destruendam, hanc limitationem admittit, nisi pro salute plurium ea sit impendenda. Socialis enim natura hominis id non solum permittere, sed sæpe etiam suadere videtur, ut pauci suo interitu plurimorum salutem redimant. Inde cum frequenter, in bello comprimis, casus inci-

incidant, ut multitudo aliqua ſervari nequeat, niſi pauci pro illis pereant, in omnibus civitatibus ab iis, penes quos ſummum eſt imperium, eam uſurpari poteſtatem videmus, ut exigente id ſalute univerſorum aut plurium aliqui pauciores in præſens vitæ periculum mittantur, cum hoc effectu ut niſi paruerint, aut ſegnius periculo ſeſe obtulerint, mortis pœna ideo afficiantur. Quos mandata ſtrenue exſequentes, & mortem intrepide ſubeuntes non probabile eſt tam communi conſenſu encomia merituros, ſi hoc ipſo contra jus naturæ peccarent. Ex quo conſequitur, quemadmodum in bello civitas paucos quoſdam hoſti ingruenti opponere poteſt cum probabili periculo mortis; ita ſi alter propter obſides quos habet, eos qui dederunt novis vexare injuriis inſtituat, ita ut magis expediat civitati obſidum jacturam facere, quam tales injurias admittere, omnino videtur civitatem recte poſſe obſides in probabili periculo mortis aut gravium incommodorum deſtituere, ut injurias iſtas abſe amoliatur. Obſidibus autem, quod ipſi potiſſimum pro aliis periculo exponantur, non magis injuria fit, quam illis, qui peculiari Imperatoris juſſu, qua pugna aſperrima ingruit, hoſtibus opponuntur. Idem tamen haudquidquam adſerendum judicamus, ſi illi, cui obſides dati ſunt, injuria hac ratione fiat; puta ſi relictis ipſi obſidibus à pacto, cui alias nullum ex jure naturæ vitium adhæreat, qui obſides dederunt, diſcedant. Non enim credendum eſt, corpus morale membro, quod ſummi imperii vinculo ipſi innexum eſt, neceſſitatem aliquod incommodum capitale, etſi non tanquam per modum pœnæ, perpetiendi poſſe injungere ea de cauſa, ut alteri injuriam faciendi occaſionem inveniat.

§. 46. Reliqua, quæ circa obſides diſputantur, facilem habent explicationem. An Rege, qui fœdus fecit mortuo, obſides adhuc teneantur, ex iis eſt dijudicandum, quæ paulo ante de fœderibus realibus & perſona-

sonalibus diximus. Nam si in successorem obligatio ex fœdere immediate transit, omnino adhuc obses tenebitur; sin aliter, liber erit. Quod si quis obses datus sit tantum, ut alterum captivum redimat, eo mortuo non statim liberatur, si scilicet ea de causa datus sit, quod summa aliqua pecuniæ capienti sit promissa. Cum enim hac ratione actionem in bona captivi captor adquisiverit, tamdiu obses tenebitur, quoad quod debetur ipsi ex bonis captivi sit persolutum. Alias si nihil præter corpus istius spectavit captor, utiq; ipso mortuo liberatus erit obses. Si vero quis obsidem se dari passus sit, ut alias obses liberaretur, hoc mortuo liber erit, si in ipsius potissimum persona securitatem quærere voluit alter; non autem si ipsi perinde est, quænam individua obsidum loco dentur, modo certus eorum numerus certæ conditionis expleatur. Quod si contingat, uti apud antiquos non semel factum legimus, ut obses hæres & successor fiat ejus, qui ipsum dedit, postquam hic fato functus est, arbitramur obsidem non amplius teneri, etiamsi fœdus istius morte non expiraverit. Hic enim casus tacite exceptus intelligitur, ut non esset amplius obses, si ipse in principalis debitoris personam transierit; ita tamen, ut alium pro se substituere debeat, si postulatum id fuerit. Fugere autem obsidi non licet, quamdiu civitas id, cujus causa datus fuit, implere vult. Verum ubi illa pactum jam abrupit, in captivum obses transit, cui fugiendi licentia est, nisi si ipse ut laxius haberetur, fidem de non fugiendo dederit. Sic recte quoq; illos fugisse obsides judicamus, qui ad successionem regni vocabantur, ob probabilem metum, ne ad iniquas conditiones adigerentur, si aperte dimitti postulassent. Deniq; cum odiosa sit obsidum obligatio, adeóq; strictam requirat interpretationem, in unam causam dati non poterunt in aliam retineri, si scilicet aliud quid sine obsidum accessione sit promissum. At si in alia causa fides violata sit, aut contractum debitum, retineri

tineri obſes poterit non ut talis, ſed ex illo capite, quod facto & debito civitatis omnes cives teneantur: niſi forte expreſſe conventum ſit, ut omnino reſtituantur obſides, ſi id expletum fuerit, cujus cauſa dati fuerint, etiamſi deinceps ex alio capite controverſiæ quid inter illos oriatur.

§. 47. Fidejuſſio eſt, quando per ſigna oſtendimus, nos alterius obligationem in nos velle ſuſcipere, ut ſiquidem ab illo non præſtetur, à nobiſmetipſis ſit implenda. Poſſunt autem fidejuſſiones interponi in quibuſlibet pactis circa res & actiones verſantibus, quæ pretio redimi poſſunt, cum hoc effectu, ut ſi qui principaliter ſe obligavit non præſtet, quod debet, fidejuſſor teneatur id exſolvere, ita tamen, ut ad fidejuſſarium habeat regreſſum & actionem de ſarciendo damno ipſius cauſa ſuſcepto. Nec in privatis duntaxat contractibus, ſed & publicis in pactis inter eos, qui communem inter homines judicem non agnoſcunt, fidejuſſores adhibentur, atq; ii potiſſimum, quorum interventione pactum fuit initum. Quorum obligatio eſt talis, ut ſiquidem unus à pacto diſceſſerit, teneantur alteri auxilium ferre, quo iſte ad debitum præſtandum iterum adigatur. Porro cum fidejuſſio ſit acceſſio principalis obligationis, facile patet, fidejuſſorem non plus poſſe debere, quam debet is, pro quo obligatur. Etſi juxta leges Romanas fidejuſſoris conditio certo modo durior erat, quam principalis debitoris; eo quod huic concedebatur per ceſſionem bonorum toto ſe debito, licet bonis majore, exſolvere, quod beneficium fidejuſſoribus non indulgebatur; quippe cum eo fine eſſent dati, ut ſi debitor bonis eſſet everſus, creditor omnino per fidejuſſores ſuum conſequeretur. Enimvero jus naturæ, quod beneficium illud ceſſionis bonorum ignorat, quantum ad intenſionem obligationis æquales eos facit. Bene tamen fieri poteſt, ut minus debeat fidejuſſor, puta, ſi ſe ad partem duntaxat debiti præſtandam obligavit, ſi pro pura promiſſi-

one cum conditione cavit, (ut autem pro conditionali promissione pure caveat, scilicet ut non addat & supponat conditionem, quam principalis debitor supponit, naturæ fidejussionis repugnat,) si post intervallum demum temporis soluturum se recepit, & si quæ sunt alia, queis obligatio sit remissior.

§. 48. In delicto autem hactenus tantum fidejussiones possunt interponi, ut vel fidejussor promittat magistratui, cui delicti est persecutio, se damnum delicto datum sarciturum, vel caveat de reo sistendo; quæ interpositio solet fieri vel ut reus jam comprehensus carceris molestia liberetur, vel ne in absentem & indefensum tanquam convictum aliquid statuatur. Alias enim ut pœnam proprie dictam pro reo subeat vas, obligare se haudquidquam potest. Pœna enim inter homines est proprie malum aliquod molestum, quod infligitur intuitu malitiæ ejus, qui id commisit, eo fine, ut vel ipse delinquens emendetur, vel alii. Atqui neqs ipse vas deliquit, neqs actu fidejussionis reatum delicti in se derivavit. In eo enim nullum est crimen, velle, ut reus æquiore loco causam dicat, aut meliore sit conditione tantisper, donec in ipsum sententia feratur, consentiente præsertim Magistratu; aut promittere, se de multa pecuniaria reo dicta satisfacturum, ut & de eo, quanti Magistratus æstimaverit, quod facultas pœnæ sumendæ per fugam rei forte fuerit subtracta. Nec in tali fidejussore finis pœnæ potest obtineri, quo deficiente pœna non recte ab homine exigitur. Et non recte naturam pœnæ, ac officii sui obligationem circa eam exigendam intellexit, qui vadem fors aliquando affecit supplicio Magistratus, nisi ubi dolo ipsum egisse adparuerit, ut imperii publici vim hac ratione elusum iret. Quod si autem quis ob fidejussionem damni quid patiatur circa bona, proprie pœna non est, nec ex delicto directe obligatio oritur, (etsi hoc occasionem obligationi det,) sed ex proprio consensu. Ex quibus adparet, cum fidejussi-

juſſionis effectus proprie terminetur in bonis fidejuſſoris, etiam ad hæredem ipſius tranſire obligationem. Etſi ubi forte ſumma, pro qua obligatus fuit is, à quo hæreditas deſcendit, major ſit, quam ipſa hæreditas, non teneatur pro ampliore ſumma, quam quantam ex hæreditate accepit, adeóque non ſupplere de ſuo, quod integræ ſummæ deeſt; niſi forte pro tota ſumma ipſe denuo ſeſe obligarit.

§. 49. Tolluntur obligationes non perpetuæ maxime naturaliter expletione ejus quod debetur; hoc enim ſi fiat, plene & directe effectum ſuum obligatio eſt conſecuta. In iis autem rebus, quæ per alium recte poſſunt expediri, nihil intereſt ejus, quem obligatio ſpectat, utrum ipſe, qui debet, id præſtet, an alius vicem ejus obiens. Ubi fidejuſſor fuit interpoſitus, ſiquidem principalis debitor ſolverit, tam hic quam iſte liberatur; at ſi fidejuſſor ſolverit, principalis quidem debitor à creditore liberatur, ſed fidejuſſori contra debere incipit. Condonatione quoq; tollitur obligatio, quando is, cui quid debetur, ipſe nos onere præſtandi ſolvit. Quod enim ex obligatione in ipſum tranſlatum fuit jus, iterum ad nos redire per condonationem ab altero intelligitur; quemadmodum & ab initio obligatio non contrahitur, ſi alter, cui quid offertur, id reſpuerit. Ejus ſpecies ex legibus Romanis erat acceptilatio, quando vel imaginaria fit ſolutio, vel traditur apocha in eam formam, ac ſi revera ſolutum fuiſſet; idq; ut eo melius probare quis poſſit ſe nihil amplius debere, ſi forte id in dubium vocetur. Quo refertur etiam, ſi quis, cujus intereſt aliquid præſtari, impediat, quo minus præſtetur. Id enim itidem condonaſſe cenſetur, adeóq; perinde habetur, ac ſi præſtitum fuiſſet. Obligatione quoq; liberor, ſi tertius eam, conſentiente eo, cui debeo, tanquam propriam in ſe receperit. Expirat quoq; obligatio, quando perſona ſtatum, in quo unice obligatio fundabatur, mutaverit, tam illa, in qua obligatio hæret,

quam in qua eadem terminatur. Sic Magistratus defensionem subditorum promittens non amplius tenetur, si munere suo abierit. Sic qui Magistratui obsequium promisit, non amplius tenetur, ubi subditus ipse esse, aut hic Magistratus desierit. At vero vim tollendi obligationem non habet ejusmodi mutatio in subjecto quæ licet fors tempore, quo illa contrahebatur, si adfuisset eandem impediisset, ac in præsens subjecto parum congruat; non tamen inhabile prorsus illud ad eam implendam reddit. Nam jus meum legitime in alium quæsitum haudquaquam perire potest, etsi id ipsi post minus commodum videatur, nisi illud ab initio pacto expresse tanquam conditio fuerit insertum. Sic populus aliquis absolute se Regi subjiciens etiamsi post, ingenio mutato, alia reipublicæ forma commodior ipsi sit futura, haudquidquam obligatione adversus Regem solvitur. Contrario quoque consensu contrahentium multæ obligationes possunt dissolvi, præprimis si res adhuc sit integra, i. e. si nihil utrinq; ex vi pacti fuerit præstitum. Unde si circa eandem rem cum eodem duo diversa pacta extiterint, prius erit irritum; quod ex posteriori satis constet, contrahentes priorem voluntatem mutasse: quemadmodum & in legibus positivis posterior lex priori contradictoria eidem derogat. Compensatione quoq; tollitur obligatio, cum creditor debitori ex alio capite debet, puta si vel mea quædam res citra jus apud illum sit, aut si ex contractu vel promisso alio debeat, aut si damni quid dederit. Tunc enim, comparato invicem debito, id tantum, quo una summa excedit alteram, erit solvendum. Solo autem temporis tractu inconveniens est tolli obligationes, nisi quatenus ex illo signa condonationis possunt colligi. Inde nihili est ista obligatio: debebo tibi C. aureos per triennium, ita tamen ut neq; interea temporis, neq; elapso illo spatio me eos petere queas. Nam frustranea est obligatio, quæ nullum sortitur effectum, antequam expiret. Aliud

ud tamen eſt, ſi ita concipiam, niſi intra triennium petieris, nihil amplius debebo. Iſthæc enim eſt promiſſio vere conditionalis, quæ non adparente conditione expirat.

§. 50. Heic quoq; illa eſt expedienda quæſtio, utrum victor hoſtis victi jura poſſit tollere, ita ut obligationem, qua alter victo tenebatur, queat ipſi condonare? Quæ controverſia quondam magna contentione fuit agitata, cum Thebani Theſſalos debitum ab Alexandro ipſis condonatum everſis Thebis, poſt, reſtituto oppido, repoſcerent. Qui in negativam concedunt, his utuntur argumentis. 1. Poſſe repoſci, quod vi ablatum. 2. Jus belli in iis, quæ in judicium adducuntur nihil valere: quæ armis tolluntur, niſi armis non retineri. Itaque ubi illa valeant, ibi non eſſe judicem; ubi judex ſit, nihil illa valere. 3. Bello parta non niſi bello poſſideri. 4. Non poſſe à victore donari jura, quia id demum victoris eſt, quod & quamdiu tenet. At jus in tabulis fuiſſe, quod incorporale eſt nec manu poteſt adprehendi, Aliam hæredis, aliam victoris eſſe conditionem. Ad illum jus, ad hunc res & corpora tantum tranſire. 5. Jus publici crediti non poſſe tranſire ad victorem; quia quod populus credidit, debetur omnibus, & quamdiu ſupereſt aliquis ex civibus, eum eſſe & cenſeri totius ſummæ creditorem. Jam vero non omnes Thebani fuere victoris Alexandri. 6. Si tabulæ conceſſæ ſint, non ideo ſtatim conceſſum videri, quod in tabulis continetur. Nam neq; jus in tabulis verſari, ſed ex tabulis peti juris probationem. Enimvero his argumentis haudquaquam ea vis ineſt, ut quod intendunt indubie conficiant. Nam 1. quod vi juſta ablatum eſt, i. e. quod antea ex quacunq; obligatione perfecta debitum detrectanti debitori vi extortum fuit, haudquaquam repoſci poteſt. Et conſuetudine gentium vis in quolibet beſlo ſolemni adhibita pro juſta reputatur, adeo ut priori domino in ea nulla prætenſio remaneat, poſtquam paci-

ficatio intervenerit. 2. Jus belli utriq; valet aliquid in iis, quæ in judicium trahuntur. Sane enim post finitum bellum, si de re, quam bello acquisivi, controversia mihi moveatur, sufficit mihi solum titulum bellicæ adquisitionis allegare, nisi fors peculiariter de eadem restituenda in pacificatione conventum, aut clare injustitia belli fuerit probata. 3. Bello justo parta vel maxime etiam in pace jure possidentur, præprimis postquam pacto utrinq; pax est constituta: heic enim possessoris manere intelliguntur, de quorum restitutione expresse non fuit conventum. 4. Circa adquisitionem incorporalium in bello notandum, quod quædam jura rebus ita adhæreant, ut ad quemcunq; possessorem saltem ex consuetudine gentium legitimum, simul transeant. Sic v.g. qui bello occupavit fretum, fluvium aut iter aliquod, ubi antehac transeuntes vectigal solvere consueverant, dubium non est, quin iste quoq; jus simul adquisiverit vectigal istud, quamdiu ea itinera possidet, exigendi. At vero quando personam aliquam bello in potestatem redigo, haudquaquam adquiro jura istius personæ, quæ proprie & immediate in ipsa persona fundantur. v. g. Capto Rege non statim jus adquiro imperandi subditis ipsius: capto patre aut domino non statim adquiro jus in liberos & servos. Ratio est, quia ejusmodi jura consensu alterius personæ capto fuere quæsita, qui consensus in persona duntaxat capti fundatus erat. Unde cum ista quoq; in potestate victoris non sit, (quod suppono,) ab ipsius arbitrio dependet, utrum alii quam capto tale jus suo consensu dare velit. Præterquam quod pleraq; hæc jura jam habeant, in quem transeant, si vel naturaliter vel civiliter, qui prius ea tenebat, perierit. At vero cum persona capta adquirere quoq; possum illa jura, quæ proprie & ultimato in ipsius rebus fundantur, ita tamen ut captus per consensum suum ea in me transferat; quem consensum intentatione gravioris mali eliciendi mihi facultas est. Sic

quem-

quemadmodum alteri donare possum jus à debitore meo debitum exigendi cum hoc effectu, ut debitor id æque ipsi, quam antea mihi, solvere teneatur: Ita si captus consensu suo jus ad debitum suum in me transtulerit, utiq; debitor, quod capto debuerat, mihi debere incipit. Et hoc modo Alexander debitum illud sibi adquirere poterat, siquidem Thebas civitatem reliquisset adactis illis, ut jus suum in ipsum transferrent; & revera adquisivisse intelligitur, postquam citra ullius rei exceptionem Thebarum dominus factus erat. Qua ratione jus habebat id debitum à Thessalis exigendi, aut illud iisdem condonandi. Quin & hoc facere poterat, ut Thebanos adigeret immediate debitum illud Thessalis remittere, quemadmodum aliquem bello possum adigere, ut prætensioni alicui suæ renunciet. Unde Alexander, dum Thessalis debiti tabulas concedit, non tam hoc agebat, ne Thebanorum civitas, quam ipse delebat, aliquando debitum posset exigere, sed ut testaretur, quod ipse ex eo capite eosdem nihil esset poscirurus. 5. Illud autem falsum, quamdiu aliquis supereſt civium, esse & censeri ipsum totius summæ creditorem, adeóq; habere idem jus, quod civitas habebat, exigendi quod huic debebatur. Qui singuli enim de dissipato aliquo ac penitus dissoluto civitatis corpore supersunt, haudquaquam jus civitatis sibi possunt adserere, cum ipsi nequaquam amplius eam civitatem constituant. Constat autem Alexandrum Thebanorum civitatem prorsus deleviſſe, adeo ut qui cladi supereſſent, nequaquam pro populo aliquo possent censeri. Et qui post Thebarum oppidum instaurarunt, novus prorsus fuere populus, qui si qua peculiaria veteres Thebani jura habuerant, nequaquam sibi vindicare ex solo loco potuerant, nisi de integro ea quæsiviſſent.

§. 51. Postquam de natura obligationum in universum vidimus, proximum est, ut de quibusdam pactis in specie aliquid subjiciamus. Possunt autem *pacta* dividi

in

in *publica* & *privata*. Pacta publica, quæ à civitatibus earúmve capitibus ſanciuntur circa negotia ſtatum civitatis ſpectantia, ſerviunt vel *adſtringendæ paci*, vel *tollendo* aut *ſuſpendendo* vel alias *temperando bello*. Illa proprie vocantur *Fœdera*, quæ pro objecti ratione, de quo in iis fuit conventum, ſunt vel *Amicitiæ*, queis in genere mutua benevolentia, aut communia etiam humanitatis officia ſpondentur; ſiúnq; potiſſimum inter eos, qui neq; beneficio neq; injuria antehac inter ſe cogniti fuerunt; etſi talia non ſatis proprie fœderum nomine veniant, cum ad talia officia jam ante lex naturæ omnes obliget: vel *Auxilii* invicem præſtandi, idq; vel tantum, quando alteruter à tertio bello invaditur, vel etiam quando alium ipſe bello petit, quorum illa συμμαχίαι, hæc συναμφιμαχίαι vocantur. Ineuntur quoq; circa alias res, puta ne in confinio alterius alter arces extruat, ne alterius ſubditos fugitivos recipiat, ne iter hoſti præbeat, & ſimilia. Alia quoq; eſt diviſio fœderum, qua diſtinguuntur in *æqualia*, & *inæqualia*. Illa ſunt, quando ex vi fœderis paciſcentes ratione dignitatis ex ſummo imperio reſultantis æquales manent, ita ut una alteri tanquam ſuperiori non reddatur obnoxia. Hæc vero ſunt, non quando partes viribus inter ſe diſpares paciſcuntur, ſed quando ex vi pactionis alteri ſuperioritas quædam confertur, ita ut una alterius majeſtatem comiter conſervare, eiq; reverentiam quandam non reciprocam exhibere teneatur. Ex quibus quædam vim ſummi imperii imminuunt, ut ſi alter non poſſit ſine alterius permiſſu tertio bellum facere; quædam non imminuunt, etiamſi oneribus quibuſdam unam præ altera magis gravent.

§. 52. Eſt & alia ſpecies pactorum publicorum, quam *ſponſionem* proprie vocant, quæ in hoc à fœdere differt, quod fœdus per ſummam poteſtatem aut ejus juſſu feriatur; ſponſio autem eſt ubi qui à ſumma poteſtate mandatum ejus rei non habent, aliquid promittunt,

tunt, quod illam proprie tangit. Quæ ubi ipsis hæc conditio adjicitur, ut tum demum ratæ sint, quando à summa potestate adprobantur, nihil habent difficultatis. Sic etiam quando aliquis factum tertii promittat, ita ut vel tantummodo operam suam polliceatur ad ipsum persuadendum, vel etiam nisi id impetret, in se recipere obligationem spondeat, ad quid teneatur tam sponsor quam tertius, clare liquet. At si sponsiones sint absolutæ, spinosa admodum solet agitari controversia, an illæ quoq; Regem aut populum obligent? Quod etsi in thesi & citra peculiares circumstantias negandum sit; in hypothesi tamen, & quidem potissimum circa sponsiones Caudinam & Numantinam, quæ in hac materia exemplorum loco passim agitantur, ejusmodi nodi incidunt, qui rem valde ambiguam faciunt. Nobis id initio videtur dispiciendum, quantum isti sponsores ex vi sui imperii valide potuerint paciscí. Constat igitur Consules illos tali cum potestate ad gerendum bellum missos, ut pro arbitrio possent in hostem movere, cum eo manus conserere, & omnes actus exercere, quæ ad bellum illud ex more gentium gerendum aliquid facere ipsis viderentur, non expectatis ea super re Roma mandatis. Ex cujus imperii vi potestatem habuerunt inducias faciendi saltem ad tempus non ita longum, aut certe non longius, quam ipsi cum imperio ad exercitum erant futuri; item exercitum ex finibus hostium deducendi, & loca jam occupata restituendi, siquidem salus exercitus ita postularet. Præter hoc si nihil aliud spospondérant Consules nullo sane juris colore pactum irritum à populo Romano fieri poterat. At certe illud directe in eorum potestate non erat, de tota velut prætensione in illum populum transigere, i.e. plenam cum illis pacem & præterea fœdera sancire. Enimvero quia consensum populi non præter rationem præsumpserant Consules, cum tot millia civium alio modo servari non possent, & paciscendi potestatem hostes ipsis competere credide-

rant,

rant, & ex ſua parte præſtiterant aliquid, quo non iniquè redimi videbantur à Conſulibus Romanis promiſſa, & quia id in commodum cedebat populi Romani: æquiſſimum ſane erat, populum Romanum ab iſto pacto non diſcedere. Præſertim cum hoſtes nihil aliud ſibi eſſent ſtipulati, quam finem belli injuſti; (quale ſaltem Numantinum fuerat, propria Romanorum confeſſione,) & ne Romanis ſervire cogerentur. Inde ſi verum fateri volumus, unica & vera cauſa, cur iſta ſponſione ſtare nollent Romani, fuit eorundem intoleranda ambitio, indignum judicantium id ſe experiri, quod ipſi aliis injuſtiſſimè intulerant; i.e. ad pacem, ut ipſi judicabant, turpem adigi. Non igitur niſi color erat juris & inane ludibrium, negare ſe teneri pacto, quod inſciis ſe initum foret & obligatione ſolutos ſe credi deditione Ducum. Si enim omnino pactum illud ſervare nolebant, tenebantur res reſtituere in illum ſtatum, in quo ante ſponſionem fuerant, i.e. totum exercitum dedere. Nunc deditis duntaxat ducibus, ſervatóq; exercitu non magis juſtè ſe egiſſe gloriari poſſunt, quam Lacedemonii Phœbidam propter occupatam Cadmeam multantes, quam ipſi tamen nihilo ſecius retinebant. Omnino igitur Samnitibus & Numantinis jus erat non ſolum in ipſis ducibus & exercitu illo pacti violationem perſequendi, ſed & in toto populo Romano. Etſi poſtquam neſcio qua de cauſa plerique eruditorum Romanos tanquam juſtitiæ exemplar admirantur, cauſa apud corruptos per affectum judices cadunt miſeri Samnites & Numantini, quos fortuna quoque antehac deſtituerat.

§. 53. Pacta in bello uſitata vel *ſtatum belli tollunt*, vel eundem *relinquunt*. Prioris generis pacta cum proprio vocabulo deſtituantur, pacis nomine communiter, aut pacificationis ſolent venire. In hac interdum conſentus ſuper eventu aliquo fundatur puta, quando illi victoria, cujus effectus jam antea fuere determinati, attribu-

attribuitur, cui vel fors faverit, vel à cujus parte fortuna pugnæ inter binos, aut plures, vel integros quoque exercitus steterit, vel pro quo lecti arbitri pronunciaverint. Pacta quæ belli statum relinquunt, sunt Induciæ, queis actus bellici & hostiles ad certum tempus suspenduntur. Quo pertinent pacta de dando libero transitu certis personis, de captivorum redemptione, & si quæ sunt alia. De quibus quid juris naturæ sit, facile ex iis quæ alibi dicimus colligitur: cætera ab illis petantur, qui mores gentium scriptis illustrarunt.

§. 54. Pacta *privata* sunt, quæ à privatis qua talibus, aut circa res privatas ineuntur, & communiter nomine Contractuum veniunt. Hi dividi possunt in *beneficos*, & *onerosos*. Benefici ideo dicuntur, quod qui ex illis alteri quid præstat, non æquipollens sibi stipuletur, adeóq; ab una tantum parte sint onerosi, etsi nec altera pars omni prorsus obligatione careat. Præcipui horum sunt, *commodatio*, *mutuum* (gratuitum,) *mandatum*, *depositum*. Commodatio est, quando res nostra gratuito conceditur utenda ad certum tempus sine translatione proprietatis, ut eadem & non alia ejusdem speciei reddatur. Heic naturalis æquitas postulat, ut rei commodatæ custodiendæ exactissima diligentia præstetur, ne alteri sua benignitas damno sit. Unde si quid detrimenti ea ceperit supra id, quod ex usu à domino concesso necessario sequebatur, commodatarius id tenetur pensare; aut in simili specie vel in pretio eam restituere, si omnino perierit aut inutilis reddita fuerit, nisi omnino apud dominum quoq; peritura fuisset. Id enim saltem commodans stipulari intelligitur, ne per suum officium re sua privetur. At vero Mutuum vocatur, quando alteri datur res numero, pondere, mensura constans, ut interposito tempore tantundem & specie idem recipiatur ejusdem qualitatis & bonitatis. Quod si autem commodans aut mutuo dans pro usu rei certam sibi mercedem stipuletur, in contractus onerosos istiusmodi commoda-

tio

tio aut mutui datio transit. Mandatum vocatur, quando quis negotium aliquod licitum alteri consentienti gerendum vel efficiendum committit, alter vero id gratis suscipit. Hujus contractus apud Romanos magna erat religio, quod statuerent, in hujus sancta observatione magnum vitæ civilis situm esse adminiculum. Notandum autem heic, interdum alicui negotium gerendum committi præcise circumscriptis agendi terminis: interdum rem relinqui fidei & prudentiæ mandatarii. Priori modo si fines mandati quis excessisset, actionem mandati adversus mandantem non dabant leges Romanæ. In universum tamen æquum est, non solum, si quid ex præscripto mandati impensum est sarcire; (nam operam duntaxat, non sumptus promisit mandatarius:) sed etiam si quid fors præter mandati fines fuerit gestum, quod in usum mandantis cedit; ne ipsi suum in nos studium fraudi sit. Inde qui absentis negotia absq; expressa conventione gesserat, ex legibus Romanis actionem habebat ad repetendam impensæ refusionem. Cum mandato similitudinem habent tutelæ, in quibus uti pupillus à tutore rationem administrationis potest petere: ita contra tutor refusionem ejus, quod in res pupilli impendit, & liberationem ab obligationibus pupilli causa contractis. Id quoq; facile patet, cum morte mandatarii expirare mandatum, nec obligationem id exsequendi ad hæredem transire. Quia cum illud fuerit gratuitum, adeóq; nihil inde ad bona mandatarii ab altero accesserit, bonis sane nulla inde adhæret obligatio, quæ in alium quoq; possessorem transfundatur. Mandati species est depositum, quando res mobilis retento dominio datur alicui gratis custodienda, ut eidem restituatur, quandocunq; libitum fuerit deponenti. Heic etsi leges Romanæ dolum duntaxat præstare jubeant, non item culpam & negligentiam; idq; quia qui rem suam homini negligenti commisit, sibi ipsi damnum suum imputare debeat: tamen cum deponens

à depositario diligentiam saltem mediocrem stipulatus intelligatur ex negotii natura, æquum est ipsum quoq; culpam saltem latam & levem, si non levissimam præstare. Cum deposito cognationem habent Fideicommissa, quando quis bonorum suorum hæredem ita instituit aliquem, ut ea aut partem eorum alteri restituat. Quæ cum inveniri positivæ quædam Romanorum leges fecerint, eorum quoq; natura addiscenda ab iis, qui jus illud tractant.

§. 55. *Onerosi* contractus sunt, in quibus, quod ab una parta præstatur, ab altera æquipollenti aliquo est pensanda. Hi commode ad isthæc tria capita revocantur; *Do ut des*, *facio ut facias*, *do ut facias*, seu quod eodem recidit, *facio ut des*: distinctionem enim inter contractus nominatos & innominatos jus naturæ ignorat. Ex horum contractuum natura & fine facile intelligitur, in iis requiri æqualitatem simplicem ratione pretii inter res, quæ invicem permutantur, aut de quibus contrahitur. Eam enim ob causam ineuntur, ut pro re mea aliam æquipollentem accipiam, quam certis ex rationibus possidere malo quam alteram. Inde nemo pro re aut opera sua plus debet exigere, quam quanti ipsa est. Nec natura contractus admittit, ut quod alter plus æquo dat, puta ex dolo indicantis, donatum censeri debeat; adeoq; qui alterum in contractu defraudat, non potest lucrum suum injustum velut legitimare titulo præsumptæ donationis, sed ex jure naturæ omnino id, quod alter inde minus habet reparare tenetur, nisi certo constiterit, alterum sciviſſe minoris rem esse, & sponte certis de causis plus dediſſe puta splendoris causa. Id quod Magnatibus non infrequens est, qui sæpe ex dignitate sua credunt, largius pensare operam alicujus, quam quanti revera ea alias est, contractui liberalitate admista. Quemadmodum contra, operam suam, quæ forte majoris erat, minoris quis æstimare, si placuerit, potest, ut conductor id supplere haud teneatur. Immo

etiamsi

etiamsi sine culpa partium deprehendatur inæqualitas, puta quod vitium latuerit, aut de pretio fuerit erratum, id quoq; refarciendum & demendum ei, qui plus habet, reddendúmq; ei, qui minus habet; quia contractus ideo fuit susceptus, ut uterq; tantundem haberet. Etsi ad evitandas litium multitudines, & incerta rerum pretia inter eos maxime, qui communem judicem non habent, communi gentium usu receptum, ut inæqualitas rerum, in quas consensum est, ubi nec mendacium intercessit, nec ejus quod dictum oportuit reticentia circa substantiam aut qualitates rei in actionibus exterioribus pro æqualitate censeatur. Leges autem Romanæ propter easdem causas non dant actionem nisi quis ultra dimidium justi pretii læsus fuerit. Nequaquam autem simpliciter admittendum, quod quidam tanquam indubitatum supponunt; (ad ostendendum, æqualitatem simplicem in justitia commutativa, quæ contractus hosce regit, non esse necessariam:) non fieri emptori injuriam, qui id voluit & petiit, si res nostras vendamus, quanti possumus. Nam id duntaxat verum est, si emptori, præter qualitates rei etiam de communi pretio constiterit, in quo, si id latitudinis alicujus capax sit, quin venditor ad id, quod in eo genere est summum, niti possit, dubitari nequit. At vero ut emptori communis pretii ignaro, res longe supra idem pretium, de quo ipse percontari intelligitur, recte possit indicari, aut iste alias ad quodlibet pretium solvendum adigi, subtracta callide alterius emptionis copia, aut præsenti ipsius necessitati insultando, nemo adprobabit, nisi cui post qualecunq; lucrum omnia habentur. Quod si autem à contrahentibus consentiatur in pretium alicujus rei, cujus quantitas contrahentibus obscura à casu aut causis naturalibus dependeat, puta si quis pretio potestatem piscandi in magno fluvio alicui vendat, aut proventum speratum hortorum, vineæ, &c. pro æquali illud habebitur, in quod conventum fuit, etsi post vel uberior pretio illo,

vel

vel minor captura aut proventus fuerit. Quia cum res istæ insignem habeant latitudinem, spectari solet in iis, quod ordinarie solet obtingere; excessus & defectus casui imputantur, nec ex illis contractus firmitati quid decedit. Porro ut æqualitas hæc recte cognoscatur, & determinetur, indicare debent utrinq; contrahentes, non tantum qualitates æstimabiles rei, de qua agitur, sed & privationes earundem seu vitia. Hæc enim quam maxime ad pretia rerum intendenda vel minuenda faciunt. Intelligendum tamen id de qualitatibus, quæ proprie rem in contractum venientem contingunt. Possunt enim aliæ quoq; rem extrinsecus circumstare ad æstimationem rei quid facientes, quas indicari negotii natura non requirit, etsi fors ex alio capite, puta ex lege beneficentiæ aut humanitatis erant indicandæ. Ex quibus intelligitur, quid judicandum de casu illo circa mercatorem Rhodium, qui in penuria annonæ frumentum Rhodum advectum magno vendiderat, dissimulato plures naves mox adfore. Nam ista sane dissimulatio non facit, ut contractus sit invalidus etiam de jure naturæ, quia revera isto temporis momento, quo frumentum vendebatur, tanti istud fuit. Quod autem paulo post remissurum esset, ex lege beneficentiæ fors dicere tenebatur, quæ tamen ad validitatem contractus nihil facit. Idem judicandum de mercatore, qui vendit mercem, cujus usum mox interdicendum novit; aut qui alicui solvit nummos, quorum pretium paulo post minuendum. At vero qui vitia alicujus rei ante contractum noverat, & nihilominus in rem consensit, post nequidquam ob ea contractum rescindere, aut de injuria sibi facta queri potest.

§. 56. Species ejusmodi contractuum frequentiores sunt *Permutatio*, qua fere sola antiquissimis temporibus, & ubi pecuniæ nondum usus erat, commercia exercebantur. *Collybus* seu cambium, cujus opera pecuniæ ex uno loco in alterum commodissime trajiciuntur. *Emptio*

venditio, qua res pro æqualis pretii pecunia adquiritur aut commutatur. Circa quam notandum, plenum jus in rem transire in emptorem, obligationémq; rem eandem tradendi in venditore incipere statim atq; de pretio déq; modo id solvendi fuit conventum, adeóq; contractus plene est conclusus, sive arrha data sit, sive non. Etsi perfecti contractus existentiam consuetudo civitatis, aut contrahentium arbitria diversimode definire soleant. Ubi græca fide contrahitur, cum numeratione pecuniæ validus sit contractus; ubi scripto exprimi consensum placuit, post perfectum & adprobatum scriptum. Quod si vis contractus non expresse à traditione rei suspendatur, sed pure contractum ac jus ad rem emptori fuerit datum, statim ut in pretium modúmque solvendi fuit consentum, periculum rei ad emptorem pertinet, nisi dolus venditoris intervenerit. Nam cum statim traditionem rei venditor emptori præstare hoc casu debuerit, imputet sibi emptor, si dum moram interponit, detrimenti quid res sua passa fuerit. Nec obstat, quod alias dicatur res domino suo perire; heic autem à venditore rei venditæ dominium nondum videatur transisse ad emptorem, non facta traditione. Nam pro domino amplius agnosci non potest, intra cujus spatia res adhuc aliqua est non jure aliquo, sed mero emptoris arbitrio, quam quandocunq; postulaverit, statim concedere tenetur, nulla interea isti circa eam disponendi facultate relicta. Nisi forte contractu inito certum temporis spatium pretio solvendo reíq; accipiendæ sit constitutum, citra istud non tradendæ. Nam intra illud spatium periculum rei ad venditorem pertinet, eo elapso ad emptorem, siquidem ob istas moras contractum non fieri irritum conventum sit. In *locatione conductione*, qua rei alicujus usus pro certa mercede conceditur, casus qui usum rei impediunt, damno sunt conductoris, nisi per leges aut conventionem aliter fuerit dispositum. Quod si tamen locator, cum conductor

primus

primus re uti impeditus eſſet, intra tempus locationis alii eam locaverit, quidquid conſecutus inde fuerit, rependet primo conductori, aut pro mercede conductoria in ſolutum accipiet, ne alterius damno fiat locupletior. Quod ſi tamen ipſa res citra culpam conductoris perilt, locatoris id damno eſt, niſi peculiariter ad eam præſtandam conductor ſe obligaverit. Quando autem una eadémque opera pluribus ſimul utilis eſſe poteſt, etſi naturæ contractus non repugnet, ſingulis locare operam iſtam, quanti ea revera eſt, adeóq; à ſingulis mercedem paciſci, quam ab uno quis exigeret; quia quæ ſingulis exhibetur opera tanti eſt, quanti merces, nec ideo minoris eſt cuilibet, quia eadem pluribus ſimul prodeſt, adeóq; extrinſecum hoc contractui cum priori inito, quod illa opera pluribus quoq; utilis eſſe queat: tamen vix cum lege humanitatis conſiſtere poterit ejuſmodi contractus. Quia cum ab uno mihi tantum ſolvatur, quanti opera mea in ſe eſt, reſpectu cæterorum, quibus eadem ſimul prodeſt, nec laborioſior exiſtit, quam ſi uni duntaxat adhiberetur, velut res innoxiæ utilitatis æſtimatur; quæ mihi nil obeſt, nec laboris plus exigit, alteri vero conducit. Niſi ſors illa ars ita ſit comparata, ut cum pluribus communicata in me quadantenus vileſcat. Tunc enim cæteris tantum imputare poſſum, quanti mea ſcientia minoris eſt, ideo quod iſti eam quoque norunt. Quia porro & illud durum videtur, unum ſolvere integrum pretium, cæteris, qui eundem inde fructum capiunt, immunibus, æquiſſimum eſt, inter eos, quibus opera præſtatur, mercedis ſolutionem dividi.

§. 57. Frequentiſſimus quoque eſt ille contractus, quo pro mutuo datur merces, quam *uſuram* appellare verentur, quod lege divina quæſtus ſub iſto vocabulo interdicatur. Unde potius diverſum ab uſura contractum hunc facere volunt, puta de penſando damno quod facit, qui pecunias mutuo dat; item de lucro ob mutu-

um cessante, seu de eo quod interest; aut pro impensis ejus, qui multis dat pecuniam mutuo, & in hoc paratam habet. Enimvero in hoc contractu, quocunq; veniat nomine, nisi quis enormem summam pro usu pecuniæ præprimis ab egente stipuletur, nihil est, quod naturali repugnet æquitati. Nam nulla est ratio, cur ego gratis pecuniam meam alteri commodare debeam, qui illâ suum lucrum & commodum quærit, cum vel idem lucri interea ego facere potuissem, vel certe subeam periculum amittendæ sortis per infortunium aut fraudem alterius, ita ut aut omnino mihi carendum, aut non sine molestia per actionem eadem extorquenda sit. Et revera pecunia non est res sterilis, quippe cum mediante ea commodissime parari possint aliæ res, ex quibus præsens capi lucrum queat; immo per solertiam humanam factum sit, ut etiam mercibus non impensa seipsam multiplicare queat. Quod attinet sacræ scripturæ dicta, quæ contra usuram adferuntur, siquidem hæc diversum quid est ab eo contractus genere, quo pro usu pecuniæ id quod interest solvitur, nihil huc faciunt. Si autem illo præcepto omnino mercedem pro mutuo data pecunia accipere interdicitur eum illorum finem esse dicemus, ne quis à cive suo, tenuiore præsertim aliquid pro usu pecuniæ, qua iste ad necessitates suas opus habet, exigat, sed gratuitum illius usum potius concedat. Nam eandem illam usuram à peregrino sumere lex divina concedebat.

§. 58. Est deniq; peculiare contractus genus, quod vocatur *societas*, in qua duo plurésve operas aut res communicant, ut de lucro quoq; pro rata quisq; portione participet. In hac quidam conferunt operas tantum, quidam pecunias tantum, quidam utrasq; simul, easq; vel pares alterius rebus aut operis, vel impares. Distributio lucri heic instituenda secundum æqualitatem respectivam, ita ut quomodo se habet pecunia aut opera unius ad pecuniam aut operam alterius socii; ita se quoq; habeant partes de lucro adsignatæ. Quod autem olim contra Scævolam

volam Servius Sulpitius pertendit, valere ſocietatem, ſi v.g. Titius & Sejus inter ſe pacti ſint, ut ad Titium lucri duæ partes pertineant, damni tertia, ad Sejum duæ partes damni, lucri tertia; non eo valet, quaſi poſſit dari ſocietas naturæ non repugnans, in qua æqualia conferentes inæqualia auferant. Sed illud duntaxat intenditur, non ſemper neceſſe eſſe, ut ſinguli ſocii æquales partes pecuniæ conferant, aut ſinguli præciſe de lucro & damno participent ex proportione pecuniæ & mercium collatarum; ſed contingere ſæpe, ut qui minus pecuniæ contulit, plus lucri participet quam alter, ob collatam præſtantiorem pecunia operam. Ubi quod ratione pecuniæ inæquale videri poterat, maxime redditur æquale ex æſtimatione operæ. Id tamen contra naturam ſocietatum eſt, ut quis damnum ſentiat ſine lucro, quippe quarum finis eſt utilitatum communio. Illud quoq; ab aliis ſubtiliter obſervatum, collationem operæ cum pecunia fieri duplici modo; ſcilicet ut comparetur opera vel cum ſolo pecuniæ uſu, vel cum ipſo pecuniæ dominio ſeu ſorte. Priori caſu ſors domino perit & ſalva eſt, & ſocii opera comparatur duntaxat cum eo lucro, quod alias probabiliter ex ea pecunia ſperari poterat, aut cum periculo amittendæ ſortis, ita ut quomodo ſe habet opera alterius ad uſuram pecuniæ, ſeu id quod intereſt; ita ſeſe habeat etiam pars ipſius de lucro. In altero autem operæ pretium habetur quaſi ſorti adjectum, & pro eo quod valet in ipſa ſorte partem obtinet, qui operam præſtat; ita ut ſors & pretium operæ in unam velut ſummam coaluiſſe videantur. Inde ſi tantidem erit opera, quanti pecunia alterius, non tantum æqualiter de lucro participabunt, ſed & dimidia pars ſortis hujus eſſe cenſetur. Si dimidiam duntaxat pecuniæ partem opera faciet, duas tertias lucri partes feret, qui pecuniam contulit, unam, qui operam; qui idem ad unam tertiam ſortis jus habebit, & ſic deinceps.

§. 59. Addendum deniq; aliquid de illis pactis, in

quibus à partibus consentitur & quasi compromittitur in casum aliquem incertum, cujus eventu sese utrinq; futuras profitentur. Talia pacta publice ac privatim frequentantur. Publice quidem tam in bello, quam in pace. In pace quidem sortis divisoriæ usus apud complures populos receptus, puta in judicibus legendis, in provinciis adsignandis, in officiis distribuendis, quando competitores sunt æquales tam quoad jus, quam quoad qualitates ad officium gerendum necessarias. Alias enim si inæquali jure nitantur iis, quorum jus præstantius; si inæqualibus artibus præditi, Reip. male consulitur. Harum sortium finis non est extraordinario modo voluntatem Dei inquirere, sed ut auferantur lites & discordiæ, utq; qui alias pro imperio disponere poterat, invidiam alterutrius partis declinet, neve querelæ circa iniquitatem sententiæ possint excitari. In privatis quoq; negotiis maximus sortis est usus in partibus hæreditatis adsignandis; item si inter plures æquali jure aut obligatione præditos uni alicui bonum quoddam aut onus indivisibile sit attribuendum. Nec minus in bello talia pacta adhibentur, non tantum ubi totius belli finis in eventum pugnæ integrorum exercituum, aut duorum pluriúmve utrinq; lectorum confertur; sed & ubi inter duces periculosa aliqua statio est adsignanda. Immo omnia fere bella solemnia, saltem in quæ rejecta utrinq; pacifica compositione descensum est, ejusmodi conventionem supponere videntur, ut scilicet possit imponere victo quidquid libitum fuerit ille, à cujus partibus fortuna belli steterit. Ea proprie causa est, cur more gentium in bello solemni utrinq; belligerantes in compositione pacis quoad belli causam censeantur pro æqualibus, nec determinetur, uter justam bellandi causam habuerit. Nam qui in bellum cum altero descendere statuit, cum pacifica transactione controversiam posset componere, intelligitur causæ suæ decisionem aleæ Martis commisisse, adeóq; neq; quam queri potest, quam illi cunq; conditionem deinceps anci-

pites

pites belli vices dispensarint. Similem conventionem ineunt, qui privatas controversias eventui duellorum decidendas committunt. Quæ conventio facit, ne occisor alterius uxori vel liberis de damno ex cæde illa accepto satisfacere teneatur, (quod alias incumbit illi, qui citra eandem alterum occidit,) nisi id peculiariter ipsi à Magistratu pœnæ loco injunctum fuerit. Idq; quia alter sponte sua in periculosam pugnam descendit. Hæc duella tamen quia directe fini institutarum civitatum adversantur, merito à Magistratu sub gravissimis pœnis interdicuntur. Ad hanc pactorum classem quoq; referuntur, quæ vulgo audiunt *sponsiones*, quando eventus alicujus nondum notorii existentiam duorum alter affirmat, alter negat, certo pignore utrinq; depositio, quod illi cedat, cujus adsertioni eventu congruere deprehensus fuerit. Item quælibet ludorum genera, in quibus aliquo pretio certatur. Quibus annumeres quoque, quam Lotheriam vocant, quando plures de re collatitia pecunia empta post sorte decernunt, cui soli ea tota cedere debeat. Item Ollam fortunæ, quam nuncupant, ubi, dejecto in urnam certo tesserarum seu schedularum numero inanium & inscriptarum, pretio redimitur facultas easdem extrahendi, ita ut extrahens id accipiat, quod illarum inscriptio præ se fert. Ista omnia in se nihil iniqui continent. Nam & mutuo consensu ad ea descenditur, & uterq; rem suam æquali periculo exponit, & versantur circa res, de quibus disponere penes nos est, nempe circa bona cujusq; propria. Enimvero quia Reip. interest, ne quis re sua male utatur, & vero pes ejusmodi conventiones ac ludos facile quis bonis possit everti, aut ad alia mala impelli; penes Magistratum est, talia pacta permittere aut interdicere, adeoq; illis validitatem relinquere vel adimere, vel saltem pretia eorum, quæ deponuntur, certis terminis circumscribere.

DEFINITIO XIII.

Lex est decretum, quo superior sibi subjectum obligat, ut ad istius præscriptum actiones suas dirigat.

I. *Lex differt à consilio.*
II. *à pacto.*
III. *à jure.*
IV. *Legem laturus alicui in ipsum debet habere potestatem.*
V. *Objectum legum.*
VI. *An leges civiles possint adversari legibus naturalibus?*
VII. *Potest permitti lege civili, quod lege naturali prohibitum est.*
VIII. *An præcepta Decalogisini leges naturales?*
IX. *Lex est norma notionalis.*
X. *Cognosci debet legislator & lex ipsa.*
XI. *Quinam lege obligentur?*
XII. *Quænam legi insit vis coactiva?*
XIII. *Legis divisio.*
XIV. *Dissensiones de fonte veluti juris naturæ.*
XV. *Lege naturæ non comprehensa relinquuntur juri positivo.*
XVI. *Leges naturæ sunt principia velconclusiones, absolutæ vel hypotheticæ.*
XVII. *Legum civilium necessitas.*
XVIII. *Origo & vis.*
XIX. *Objectum.*
XX. *Quænam leges actus contra se commissos faciant irritos?*
XXI. *Permissiones legales quid?*
XXII. *Æquitas.*
XXIII. *Dispensatio.*
XXIV. *Jus gentium.*
XXV. *Jura belli.*
XXVI. *De Legatis.*
XXVII. *Lex affirmativa, negativa.*

§. 1. INitio accurate discernenda est lex ab iis rebus, quæ cum ea cognationem quandam habere videntur, atq; inde à quibusdam cum illa confunduntur, ut sunt *consilium, pactum, jus.* Et à consilio quidem lex differt, quod per illud rationibus ex reipsa petitis ad suscipiendum aut omittendum aliquid adducere quis conatur illum, in quem saltem quantum ad præsens negotium potestatem non habet, non allata ipsi obligatione, ita ut arbitrio ipsius relictum sit, parere velit consilio, an non.

non. Lex vero etiamsi suis carere non debeat rationibus, istæ tamen proprie causæ non sunt, quare ipsi obligatio præstetur, sed potestas præcipientis, qui ubi voluntatem suam significavit, obligationem subdito adfert omnino juxta præscriptum suum faciendi, etsi fors ipsi rationes præcepti haud ita liquide adpareant.

§. 2. Nec vero satis accurate illi, qui leges communes quasdam conventiones seu κοιναὶ συνθῆκαι vocant, qua ratione cum pacto legem confundunt. Nam certè nec divinæ positivæ, nec naturales leges à conventione aut consensu hominum ortæ dici possunt. Nec leges civiles proprie pacta sunt, etiamsi ex pacto originem habeant. Nam si vel maxime multitudo aliqua summo inter se imperio non connexa consentiret invicem in aliquas vivendi formulas; frustra tamen id foret, nondum constituto summo imperio, cujus vi contravenientes pœnis possint coerceri. Ista enim conventio non aliam haberet vim, quam quæ pactis ex jure naturæ ineſt. At vero legum civilium his finis est, ut arctiore vinculo ad faciendum quid homines adstringerentur, quam obligatione naturali; scilicet adjecta pœna in foro humano infligenda per homines tanquam potestatem in nos habentes. Quid quod ejusmodi conventio omnino non videtur posse iniri citra constitutionem summi imperii? Nam ubi nulli datur jus vi me adigendi ad præstandum conventum, si sponte nolim, nihil inter nos fuit actum. Si vero reliquis, ut universis, data fuit potestas vi reluctantes singulos coercendi, & in ordinem redigendi, Democratiæ instar efficitur. Originem tamen legibus civilibus dat pactum, quia per illud constituitur summum imperium, penes quod est legum in cœtu sibi subdito ferendarum potestas. Nec obstat quod in Democratiis ad legem ferendam saltem major pars civium consentire debeat. Nam iste consensus est modus, quo summi vis imperii sese explicat, quod ex pacto cœtui universorum est collatum, ut scilicet universi singulis pro

impe-

imperio poſſent injungere illud, quod major pars adprobaſſet. Adde quod cum pacta quoad originem ſuam à noſtro arbitrio dependeant, in iis prius determinetur quid faciendum ſit, quam ad faciendum obligamur; in lege autem, quæ poteſtatem alterius in nos ſupponit ante obligamur ad faciendum, quid vero faciendum ſit, poſt determinatur.

§ 3 Juris autem vocabulum uti cum lege ſæpe idem ſignificat, ubi præp imis pro complexu legum ponitur, ita cavendum, ne pro lege id accipiamus, quando poteſtatem agendi aliquid notat; v. g. ne quando dicitur, hoc vel illud lege divina faciendi jus eſſe, putemus, id quoque lege divina præceptum, adeóque recte à nobis fieri poſſe, etiamſi legibus humanis interdicatur. Cum enim homo omnia ea agendi poteſtatem ſeu jus habeat, quæ à viribus ſuis naturalibus proficiſci poſſunt, niſi quæ per legem prohibentur; inde communis loquendi uſus fert, ut quæ lege aliqua permittuntur ſeu non prohibentur, ea ex lege illa agendi jus eſſe dicatur. Id quod quam maxime differt ab iis quæ legibus præcipiuntur, uti mox adparebit.

§. 4. In eo autem, qui legem alteri laturus eſt, præprimis requiritur, ut in illum, cui injungenda lex, habeat poteſtatem talem, qua poſſit pœna propoſita ad obſervantiam legis illum adigere. Nam fruſtra eſt aliquid præcipere, quod impune poteſt negligi. Inde nemo obligatur legibus perſonæ aut cœtus alicujus, cui in ipſum nihil ſit poteſtatis. Et facultas injungendi aliquid per modum legis aut præcepti infert ſuperioritatem; quemadmodum obligatio parendi arguit inferiores nos eſſe eo, qui præcipere nobis poteſt, ſaltem qua imperium ejus ſe extendit. Ob eandem cauſam ſuis decretis immediate nemo poteſt obligari irrevocabiliter. Nam quod in pactis aut promiſſis ex conſenſu meo ita obligor, ut vel omnino eo liberari nequeam vel non niſi eo concedente, in quem conſenſus fuit directus, ex lege eſt,

eſt, quæ prohibet ab eo diſcedere conſenſu, quo alteri jus aliquod ſemel datum fuit. Talis lex ubi deficit (tam naturalis, quam civilis) nihil prohibet, quo minus determinationem voluntatis meæ à meipſo ſemel factam, pro arbitrio queam immutare. Obſervandum autem & hoc, nihil intereſſe, quiſnam in legibus ferendis formulas earundem concipiat, modo is, cui facultas legiſlatoria competit, eas pro ſuis agnoſcat & promulget. Sic in Monarchia pro lege valet, quidquid Principis autoritate proponitur, quicunq; demum verba legis conceperit. Sic in Democratia fieri poteſt, ut populus uni aut pluribus injungat munus conſcribendarum legum, quarum tamen vis non à ſcriptoribus iſtis, ſed à populo ſit, adeóque non in iſtis, ſed in populo poteſtas legiſlatoria hæreat.

§. 5. Materia ſeu objectum legum in genere eſt quidquid ab iis quibus feruntur, fieri poteſt, ſaltem eo tempore, quo leges feruntur. Nam ſi quis poſtea per ſuam culpam amittat facultatem præſtandi legem, haudquaquam ejus vis omnino expirat, ſed relinquitur legiſlatori poteſtas pœnam exigendi ob id, quod legibus jam ſuis ſatisfieri nequit. Alias vero legem alicui injungere, quam neq; implere queat, neque, quod non poſſit, in culpa fuit, non modo fruſtra eſt, ſed etiam cum ſumma iniquitate conjunctum. In ſpecie autem naturales leges circa ea verſantur, quæ ita cum ſociali rationalis hominis natura congruunt, ut niſi illa obſervantur, vis quodammodo ipſi naturæ inferatur, nec ſocietas ordinata & tranquilla inter homines conſervari poſſit. Quæ legibus naturæ non determinantur, circa ea per poſitivas leges conſtituere licet.

§. 6. Porro cum Deus naturalium æque legum, quam poſitivarum ſuarum autor ſit, quem ſibi contradictoria ſtatuere impium cogitatu foret, patet ſane, leges divinas poſitivas legibus naturalibus haudquaquam poſſe adverſari. Ut vero etiam leges civiles adverſentur legibus

gibus naturalibus, ſunt qui fieri poſſe negent, (niſi fors in DEI contumeliam latæ ſint;) idque hoc argumento, quod in civitatem coëuntes pacto ſeſe obligent, quod velint parere mandatis ejus, qui ſummum habet imperium, i.e. legibus civilibus, atq; idem pactum lex naturæ ſervare jubet. Cum autem illud pactum, adeó; obligatio ad ſervandas leges civiles ſit antiquior ipſa legum promulgatione, ejuſdem legis naturalis vi de non violando pacto juberi nos obſervare omnes leges civiles. Nam ubi obligamur ad obedientiam, antequam ſciamus quid jubebitur, ibi univerſaliter & in omnibus obedire obligamur. Accedere, quod tametſi lege naturæ furtum, homicidium, adulterium, &c. prohibeantur, penes leges tamen civiles ſit definire, quid ſit alienum, quid proprium, quæ vis homini illata ſit licita, quinam concubitus ſit adulterium. Adeóq; etſi pueri Lacedæmoniorum res aliorum clanculum ſurripuerint, furtum tamen non commiſiſſe, quia lex civilis definierat, taliter ſubtractum non eſſe alienum. Vel quando iidem permittebant ſeni invalido, ut juvenem aliquem robuſtum impregnandæ uxori ſuæ ſubſtituere poſſet, adulterium non fuiſſe, quia leges civiles talem concubitum cum uxore alterius autore marito ſub adulterii nomine non fuerint complexæ. Enimvero quia iſthæc fluunt ex hypotheſi circa ſtatum hominis naturalem, cujus incommoda ſuo loco oſtendemus, tam crude eadem admitti non poſſunt. Nam initio apud nos, qui ſacram ſcripturam veneramur, ex ipſis legibus, quæ divinitus Judæis ſunt promulgatæ, & ex revelationibus extraordinariis, quibus DEUS voluntatem ſuam hominibus declaravit, de multis ſane criminibus lege naturæ prohibitis conſtare poteſt, quanam ratione DEUS autor naturæ ea definiri velit; adeo ut licet de facto civitas quaſdam actiones ab iſtius criminis nota exceperit, ex nihilo ſecius legi divinæ adverſentur. Præſertim cum ſufficiens ratio monſtrari non poſſit, quare iſtis rebus in legibus

populo

populo Judaico datis tales attribuerit definitiones Deus, quæ apud cæteras gentes non æque locum debeant habere. Sic cum ex legibus divinis adpareat, per legem de adulterio quemlibet concubitum cum muliere actu adhuc alteri matrimonio juncta prohiberi, utiq; contra legem naturæ exercitas istas apud Spartanos vicarias operas dicendum est. At si qui heic adversus sacræ scripturæ declarationem quid exceperint, iidem tamen hoc concedere cogentur, definitiones actuum lege naturæ interdictorum ita esse formandas per legem civilem, ne intentio & finis legis naturæ in irritum cadat, qui est, ut honesta & pacifica societas inter homines conservetur. Quod si igitur definitio aliqua legis civilis huic fini adversetur, eandem quoq; omnino legi naturæ repugnare fatendum est. Nec est quod credamus, paci hac ratione satis consuli, quod ejusmodi definitiones sint universales, ita ut etiamsi fors interdum incommodo aliquem afficiant, altera vice iterum juvare possint, ac æqualitatem juris, quam ejusmodi leges inter cives constituunt, causam querelarum submovere. Sunt enim nonnulla, quæ etsi fors, ut solis nobis licita essent, cuperemus; tamen si aliis quoq; adversum nos licita sint futura, ne nobis quidem ea licere desideramus: qualia si legibus civilibus constituantur, non potest non pax & decens ordo à natura intentus turbari. Quid quod si sola isthæc æqualitas sat valida esset juri introducendo, eadem opera omnes leges tollere liceret, qua ratione maxima æqualitas introduceretur; quod tamen nemo adserere sustinuerit. Sic de Tataris nescio quis autor prodit, apud eos fuisse receptum, ut si, qui rem quampiam alteri eripuisset, id modo apud judicem excusationis proferret, se ea re opus habuisse, judex hanc diceret sententiam: quia tu opus habuisti, retine; tu vero alter, si itidem quapiam re egebis, ab alio eadem ratione sumere licebit. Per definitionem igitur Tataricam furtum erit, quando invito domino subtrahitur, quo is, qui subtraxit, opus

non

non habuit. Quæ definitionis anguſtia quin legem illam naturæ de furtis tantum non plane ſubvertat, vix dubitare licet. Ac nulli ſane talem legem fore optandam judico, cum ſæpiſſime evenire poſſit, ut ipſi eripiatur id, quo minime omnium carere velit, cujuſq; ſimile apud alium non inveniat, aut ob cuſtodiam domini id auferre prohibeatur.

§. 7. Quidquid tamen hujus ſit, tota res perſpicue expedire poteſt, ſi accurate obſervetur, aliud eſſe permiſſionem, aliud præceptum; ſeu aliud eſſe legibus civilibus præcipi, aliud iiſdem permitti ſeu non prohiberi. Hæc enim invicem non adverſantur, jure naturæ eſſe interdictum, & legibus civilibus permiſſum. Nam permiſſio legis civilis non facit, ut actus aliquis non ſit contra legem naturæ, aut ut quis citra peccatum in DEUM eum poſſit admittere: ſed duntaxat declarat, per poteſtatem civilem non prohiberi, qui eum velit committere, nec pœna adſici, atq; in foro humano iſtis actibus eoſdem concedi effectus qui alias conſequuntur actus etiam de jure naturæ licitos atq; legitimos. Sic apud Lacedæmonios non jubebatur quis alteri ſua bona ſubtrahere, ſed ſi id feciſſet non plectebatur, nec à Magiſtratu ad reſtitutionem adigebatur; adeóq; in foro iſto ejuſmodi ſubtractio inſtar legitimi modi adquirendi habebat. Idem de Laconicorum puerorum furtis judicandum, & de vicaria prolis procreatione; ubi ſane nullum præceptum neq; maritum ſenem, neq; juvenem admiſſarium ad id adigebat, ſed ſi ipſi conſenſiſſent, leges non prohibebant, & eundem effectum concubitui illi in foro ſuo concedebant, quem alias cohabitatio maritalis habet, ut nempe liberi ſic procreati pro legitimis ducerentur. An vero Magiſtratus talia recte poſſit permittere? alia quæſtio eſt, quæ dependet ex illa: An Magiſtratus civilis teneatur quævis delicta contra jus naturæ admiſſa punire? Quod in univerſum adfirmare non audim. Quippe cum homini hominem ob jus naturæ aut divinum

num violatum punire necesse sit, non quod autoritas legislatoris peccato læsa per homines necessario sit adserenda, cum iste suum sibi peculiare tribunal habeat: sed quatenus absq; ejusmodi pœna societas honesta & pax inter homines conservari non potest. Quod si igitur summa potestas civilis judicaverit, eam quam dixi, societatem satis commode posse servari, etiamsi præcepto alicui juris naturæ vis legis civilis non tribuatur, vix videtur eam teneri ad pœnas de istius violatoribus sumendas, saltem ubi peculiare civium ingenium, aut alias rationes ex civili istius rei prohibitione majora incommoda videntur consecuturæ, quam ex ejusdem permissione. Quod si tamen civitas per modum præcepti & cum comminatione pœnæ subjectis suis injungat aliquid agendum, aut intermittendum, quod lex naturæ interdicit aut præcipit, ei huic obsequium deberi pernegamus. Ex quibus patet, pactum illud, quo se quis ad obsequendum summo imperio obligat, non esse adeo absolutum, quin involvat saltem hanc limitationem, quatenus quæ præcipiuntur legibus divinis & naturalibus non adversantur.

§. 8. Ex dictis & illud dijudicandum, legésne Decalogi de honorandis parentibus, de furto, adulterio, homicidio, falso testimonio, sint naturales, uti communiter statuunt, an vero civiles, quod non nemo sentit. Equidem illud certum est, quatenus considerantur, prout à DEO per Moysen Judæis sunt promulgatæ, eas revera esse civiles; quia ipse DEUS in ea Rep. etiam civilis munere legislatoris fungebatur, ac habebant ea præcepta ibidem omnimodam vim legum civilium, pœnis in transgressores constituta, quam exigere penes Magistratum fuit. At quando illæ leges quantum ad materiam suam considerantur, prout cum conditione humanæ societatis necessario congruunt, adeóq; omnes homines, etiam citra illam promulgationem Mosaicam obligant, revera sunt naturales. Nec obstat, quod illæ

pacta

pacta quædam humana supponere videantur, puta, conjugium, proprietatem bonorum, constitutionem civitatis, judicia, quæ pactis inter homines sanciuntur. Nam ut talia pacta ab hominibus ineantur, ipsa lex naturæ postulat, cum sine illis societas humana omnino servari nequeat. Ac omnino illæ quoq; leges naturæ dici possunt, quæ factum aliquod humanum supponunt, etiamsi exercitium istius facti, saltem heic & nunc, in arbitrio hominis situm sit. At si quis pro statu naturæ supponat bellum omnium in omnes, ac leges naturales vocet, quæ in illo tantum statu obligant, tunc sane leges istas non esse naturales ex dicta hypothesi sequi fatemur. Enimvero de hac quid sentiendum sit, inferius exponemus.

§. 9. Consistit autem natura legis potissimum in hoc, ut sit norma notionalis actionum, quatenus ad voluntatem superioris alicujus debent formari. Dico *norma notionalis*, quia ad actiones duntaxat concurrit notionaliter, dum intellectui repræsentat voluntatem superioris circa aliquid agendum aut omittendum. Hæc enim ubi innotuit, statim in subdito exoritur obligatio juxta legem illam faciendi. Idq; quia intelligit, eum qui istam injungit, potestatem habere detrectantem malo imposito adigendi; quam potestatem actu eum exsériturum inde constat, quod nemo actionis suæ nullum esse effectum velle præsumatur.

§. 10. Ex quibus consequitur, ut lex vim suam exserat, in eo, cui fertur, requiri cognitionem tum legislatoris, tum legis ipsius. Quomodo enim obedientiam præstare quis possit, si neq; cui parere debeat, neq; ad quid teneatur noverit? Ubi tamen sufficit semel id cognovisse. Nam si quis semel cognitum id obliviscatur, ideo obligatione haud solvitur, eo quod bene poterat meminisse, si quam debebat parendi voluntatem habuisset. Et legislatoris quidem cognitio neminem facile potest fugere. Legum namq; naturalium eum esse

auto-

autorem, qui totius naturæ est, nemo ignorabit, qui ratione uti noverit. Multo minus legum civilium latore civi obscurus est, quippe cum ille vel expresso civium consensu constituatur, vel tacito, dum illius sese imperio quoquo modo subjiciunt. Porro lex naturæ quomodo ex contemplatione humanæ conditionis cognoscatur, infra exponemus. Civiles autem leges per promulgationem innotescunt, in qua de duobus constare debet; unum est, quod leges procedant ab eo, qui summum habet imperium; alterum quæ sit legis sententia. Prius cognoscitur, quando ipse, qui summo gaudet imperio, legem vel voce sua promulgat, vel per eos, qui sunt ab ipso delegati. Hos autoritate summi imperii leges proponere dubitandi nulla est causa, si constet, eos communiter ab imperante ad declarandam ipsius voluntatem adhiberi, si observent modum consuetudine receptum, si in usum judiciorum ex leges recipiantur, sique nihil contineant, quod summæ ipsius potestati deroget. Nec credibile est, ministrum quempiam pro voluntate Principis venditaturum, quod revera non est, aut ejusmodi munus citra ipsius jussa usurpaturum; cum talia conanti nulla spes sit latendi, aut pœnas tam protervi ausus effugiendi. Ut autem sensus legis recte percipiatur, promulgantibus incumbit, quanta fieri potest perspicuitate uti. De quibus si quid obscurum videatur, ejus interpretatio petenda est à legislatore, aut illis, qui ad jus secundum illas dicendum publice sunt constituti. Illorum enim proprium munus est, leges ad singulos casus interpretando adplicare, seu declarare factis singularibus propositis, quidnam circa illa legislatores disposuerint.

§. 11. Quæ porro subjecta legislator obligare voluerit, facile ex conceptis legum verbis percipitur. Nam in omnibus legibus subjecta obligandi designantur vel per expressam determinationem, quæ sit aut signo universitatis, aut restrictione ad certi status homines, aut

ad certa individua; vel per conditionem & rationem quampiam, quam quisquis subditorum legislatoris in sese deprehenderit, simul etiam intelligit, se illa lege obligari. In universum igitur lex obligat omnes legislatoris subditos, in quoscunq; ratio legis quadrat, & ad quos materia ejusdem potest adplicari. Cum enim legislator censeatur voluisse harmoniam quandam per legem introducere aut conservare inter illos, quibus ea data est; & vero, si quidam subditorum, in quos ratio legis congruit, illa non tenerentur, dissonantia quasi inter istos maxima introduceretur; non censetur exemptus esse ullus à lege, nisi qui peculiariter sua privilegia protulerit.

§. 12. Cæterum quemadmodum ad obligationem alteri efficaciter injungendam requiritur, ut significetur ipsi, quid sit faciendum, & non impune fore, si quod injungitur non præstiterit; (frustra enim illi, cui per facultates naturales in contrarium ire datum est, quid præcipitur, si non plus mali sit ipsi expectandum præcepto impleto, quam neglecto:) ita eadem quoq; in lege deprehenduntur, nempe dum definiunt, quid sit necessario agendum, aut omittendum, (unde etiam quid licitum sit colligitur,) quid nostrum sit, quid alienum, quid ab alio exigere possimus, quid non, & similia; ac indicant simul, præceptum intermittenti vel interdictum facienti malum esse paratum. Quod posterius tamen leges naturales paulo obscurius faciunt, dum non ita clare determinant, qualem pœnam Numen ob eas violatas sit exacturum. Civiles autem leges id semper manifeste indicant, dum vel expresse determinant pœnam, vel ea non definita innuunt, arbitrio legislatoris relictum, quod genus pœnæ & quantum velit exigere. Inde quoq; intelligitur, quo sensu attribuantur legibus vis obligandi, vis directiva, & coactiva seu vindicativa, scilicet non nisi notionaliter, i. e. quatenus voluntatem & decretum legislatoris indicant, & pœnas ostentant,

tant, quas iste violatoribus legum sit impositurus. Proprie enim in ipso legislatore est potestas exigēdi à subditis suis conformationem actionum ad normam ab ipso præscriptam, pœnásq; intentandi, & actu easdem infligendi. Cogere autem dicuntur legislatores qua tales, non quod per violentiam aliquam naturalem ita constringant hominem, ut diversum omnino facere nequeat, sed quod imposita peccantibus pœna efficiant, ut nemo facile possit velle contra legem facere, eo quod pœna reddat optabilius legi parere, quam eandem violare. Illa tamen naturalis libertas per leges voluntati semper relinquitur, ut siquidem periculo pœnæ se subjicere placuerit, de facto contraria legibus agere queat.

§. 13. Divisio legum respectu autorum fieri potest in *divinam* & *humanam*: divina ratione promulgationis iterum in *naturalem* seu generalem, & *positivam* seu peculiarem dispescitur. Lex humana omnis *civilis* est. Quantum autem ad materiam, quædam cum ipsa humanæ naturæ qua talis, conditione manifeste congruunt, & ex ea fluunt; quædam autem ex solo arbitrio legislatoris, tanquam peculiariter certo hominum statui congruentes oriuntur: quarum illæ *naturales*, hæ *positivæ* vocantur.

§. 14. Quid proprie lex naturæ, quæ ejus velut scaturigo, & quo indicio, quid juris esset naturalis cognoscetur, inter eruditos non bene convenit. JCti Romani vulgo definiunt jus naturæ, quod natura omnia animalia docuit. A quibus non multum abeunt, qui legem naturæ vocant ordinem illum à Creatore omnibus rebus insitum, quo quidq; suæ naturæ congruentia agit, & ad finem sibi destinatum fertur. Enimvero nos tale jus naturæ quærimus, quod rationalis hominis actiones dirigat. Id etsi ex contemplatione creaturarum cæterarum & modo agendi illis usitato illustrari possit: tamen cum pleraq; agi ab iisdem videamus, quæ ipsorum

rum quidem naturæ conveniunt, ab hominis autem natura abhorrent; nec unum animal deprehendamus, in cuo omnia hominis officia adpareant, sed alia aliis usurpentur quæ cætera refugiant; ex solius hominis propria natura jus illud eruendum, nec à brutis aut inanimatis idem arcessendum. Nec minus illi in obscuro juris naturæ essentiam reliquerunt, quibus dixisse sufficit, illud esse, quod ratione temporis, loci, & hominum est universale. Plerisq; in ipso Deo ideam & velut prototypum legis naturæ quærere visum fuit; qui tamen in duas discedunt partes. Nonnulli eam derivant à voluntate divina, quæ cum sit libera, concludunt exinde Deum legem naturæ posse mutare, immo contrarium ejus præcipere, quemadmodum in positivis legibus fieri solet. Alii autem in sanctitate & justitia Dei essentiali eam fundari adserunt, quæ cum sit immutabilis, legem quoq; naturæ esse immutabilem concludunt. Enimvero etsi nobis semper profanum fuerit visum, mortalem curiosius divina rimari velle, quam qua ipse Deus ducit; paucis tamen monere placet circa priorem quidem opinionem, quod sane quidem in arbitrio Dei positum fuerit, homini talem tribuere naturam, cui lex ista necessario competeret. Nam nulla adparet necessitas, quæ Deum adegerit, ut aut omnino hominem crearet, aut cum obligatione ad legem naturæ, secus quam bruta, crearet. At vero cum Deus naturam hominis ita formarit, ut ejus velut splendori conservando lex naturalis omnino esset observanda; haudquaquam fas est credere, eundem velle istam tollere aut immutare, quamdiu quidem naturæ humanæ nullam mutationem infert; adeóq; posita humanæ naturæ constantia, etsi arbitrio divino tali modo formatæ, lex naturæ nullam admittit mutationem, secus ac illæ leges, quæ ita à voluntate divina dependent, ut ab humana conditione non necessario desiderari videantur. Quod ad posteriorem, etsi nemo tam absurdus sit futurus, qui adserere

ſerere audeat, legem iſtam continere in ſe aliquid ſanctitati & juſtitiæ divinæ repugnans: difficile tamen admodum probatu erit, legem naturæ ita ad divinam ſanctitatem & juſtitiam velut ad prototypum eſſe expreſſam, ut qua ratione ſeſe Deus erga creaturas, & peculiariter adverſus homines gerit, tales etiam ſeſe homines invicem vi legis naturæ gerere debeant. Quæ enim ex ſacra ſcriptura adferri poſſunt, hominem ad imaginem Dei conditum eſſe, huc non faciunt. Nam & qui imaginem illam amiſſam fatentur, legis naturæ ſenſum in hominis ratione remanſiſſe agnoſcunt. Inter homines ſanctum vocare ſolemus, qui craſſioribus vitiis ſeſe abſtinet, & officii obſervans eſt. Ad iſthunc modum ſanctitatem in Deo concipere oppido quam temerarium foret. Juſtitia inter homines hiſce fere capitibus abſolvitur, neminem lædere, ſuum cuiq; tribuere. At vero quin Deus creaturæ alicui etiam citra reſpectum ad antegreſſum meritum dolorificum quid poſſit inferre, immo omnino eam in nihilum redigere, dubitare non licet. Nec vero Deus ulli homini quidquam debere poteſt, ut eo negato injuriam feciſſe dici queat. Quas regulas juſtitia Dei punitiva obſervare ſoleat, ſupra captum noſtrum eſt. Id ſaltem conſtat eam non uſquequaque veſtigia fori humani premere. Denique qui dicunt, jus naturæ eſſe dictatum rectæ rationis, indicans alicui actui ex ejus convenientia vel diſconvenientia cum ipſa natura rationali ineſſe moralem turpitudinem aut neceſſitatem moralem, & conſequenter ab autore Deo talem actum vetari aut præcipi; ſatis bene cætera, niſi quod non exprimunt, quodnam ſit fundamentum congruentiæ & diſcongruentiæ actuum illorum cum naturâ rationali. Id vero nos eſſe ſtatuimus, quod homo à Creatore factus ſit animal ſociale. Hanc enim proprie cauſam eſſe, cur quæ dicuntur juris eſſe naturæ ita cum natura hominis congruant, ut ſi contrarium fiat, velut vis ipſi illata videatur, libro II. pluribus exponemus

§. 15. Hæc porro probe obſervandum, quod & ſupra attingebamus, vulgo juris eſſe naturalis dici non tantum, quæ eo jure ſunt præcepta, ſed etiam quæ eodem non interdicta, aut permiſſa duntaxat. Quod qui non accurate diſcernit, multis ſeſe erroribus ac difficultatibus involvat neceſſe eſt. At ſi proprie velimus loqui, ea quæ jure naturæ non interdicuntur, extra illud jus ſunt, & (niſi à lege poſitiva fuerint prohibita,) ad objectum libertatis humanæ pertinent, qua illorum omnium poteſtatem habere agendi intelligimur, quæ nullo jure vetantur etſi fors naturæ conditio ad unam contradictionis partem magis accedat, quam ad alteram. Iſthæc porro, ſiquidem per legiſlatorem aliquem præcipiantur aut prohibeantur, juris poſitivi eſſe dicimus; ſcilicet quæ talia ſunt, ut non neceſſario ex conditione naturæ ſocialis fluant, aut quæ in genere quidem natura ſuadet conſtitui, particulari tamen determinatione in arbitrio hominum relicta. Nequaquam autem illud jus eſt poſitivum, quod ab æquitate naturali abhorret. Poteſt enim illud cum hac optime convenientiam habere, præſertim ſi referatur ad ſtatum certarum ſocietatum, non obſtante, quod primario ex conſtituentium voluntate vim ſuam habeat. Sic & iſte vocabulo abutetur, qui quaſlibet leges civiles poſitivas quoq; vocare velit, eo quod ut civiles ſint duntaxat ex arbitrio & impoſitione civitatis habeant. Dependet autem vis legum poſitivarum, queis divinum & humanum jus refertum eſt, ab arbitrio legiſlatoris non in origine tantum, ſed & in duratione, ita ut quamdiu iſte eas valere vult, neceſſario ab ipſius ſubditis ſint faciendæ; quando eaſdem abrogat, etiam ubi nulla humanæ conditionis mutatio obtigit, iterum actus iſti liberi & indifferentes evadant. Unde in his ad ſolum legiſlatoris arbitrium eſt reſpiciendum, etſi fors ratio legis non adpareat. At contra leges naturales tantum mutabiles dici poſſunt in ſenſu diviſo, i. e. hactenus, quod in arbitrio Creatoris ſitum erat,

erat, ita naturam hominis formare, ut hæ leges necessario ipsi congruerent, quæ congruentia durat, quamdiu nullam humana natura mutationem subit. Quia tamen ista legum naturæ immutabilitas est tantum ex suppositione conditionis humanæ eodem tenore persistentis, non absurdum videtur dictu, Deum de istis quoque posse dispensare, ita tamen, ut tunc hominibus mera duntaxat istius actus exsecutio speciali Dei mandato sit injuncta; sed quod nequaquam hominibus cæteris imitari, aut pro generali modo invicem agendi arripere licet.

§. 16. Dividuntur communiter leges naturæ, in *Principia*, quæ nos infra leges naturæ fundamentales dicemus, quorum veritas & necessitas immediate ex ipsa naturæ humanæ conditione resultat; & *Conclusiones*, quæ ex his principiis per necessariam consequentiam aut subsumptionem deducuntur: quas inter quædam clarius, quædam obscurius ex principiis deduci possunt, aliæ quoque ab iisdem propius, aliæ longius absunt. Deinde inter præcepta juris naturæ alia sunt *Absoluta*, quæ quosvis homines in quovis statu obligant; alia *Hypothetica*, quæ certum aliquem statum aut actum ab hominum arbitrio dependentem supponunt, seu quæ versantur circa ea, quæ voluntatem hominis consequuntur. Multa enim dantur, quæ quoad exercitium actus arbitraria sunt, seu ubi in arbitrio hominum situm est, actum aliquem suscipere velint an non; verum quando actus ille fuit susceptus, ex aliquo præcepto juris naturæ necessitas moralis seu obligatio ipsum consequitur, aut ex eodem modus & circumstantiæ determinantur. Sic v.g. etsi jus naturæ non præcipiat, ut ab altero quid emam; posito tamen me libere emere, idem jubet, ne alterius damno lucrum meum quæram, nec in contractu eundem defraudem. Ex quo tamen non conficitur, omnes quoq; leges positivas esse juris naturæ; eo quod per consensum nostrum alterius nos summo imperio subdamus,

mus, cujus juſſis ut pareamus, ipſa lex naturæ præcipit. Equidem illud certum eſt, mediante dicto præcepto jus naturæ quoſlibet obligare ut legibus poſitivis ſuperiorum ſuorum pareant, adeóq; qui has neglexerint, in ipſam legem naturæ peccare. Quo minus tamen illæ leges naturales dici queant, inde eſt, quod in præceptis hypotheticis juris naturæ ratio ex conditione hominum univerſali petatur; quod in legibus poſitivis fieri nequit, ſed ratio parendi ex ſola poteſtate ac voluntate legiſlatoris ſit deſumenda. Adeóque leges poſitivæ non ſunt præcepta juris naturæ hypothetica, ſed ex præcepto hypothetico vim obligandi in foro divino mutuantur.

§. 17. Cæterum uti jus naturæ efficaciam obligandi habet à ſummo legiſlatore Deo, ita ut qui eam violarit, voluntati ipſius contraveniſſe cenſendus ſit; ita nullum eſt dubium, quin penes eundem ſit, violationem legis naturæ, qua talis, vindicare. Enimvero quia paucis ea ingenii modeſtia, ut ſola adverſus Deum reverentia velint agere, quæ natura jubet; quippe cum occultis plerumq; viis vindicta ſeſe divina explicet, quam plurimi contemnunt, quia deprehendere eam ubiq; nequeunt: paci & ſocietati inter homines conſervandæ ſola lex naturæ non ſufficiebat, ſed neceſſe inſuper erat, pacto hominum conſtitui ex ipſis hominibus, qui in foro humano juris exſecutionem adminiſtrarent. Cum enim jus naturæ peculiariter non determiner, quiſnam alteri imperare, aut quis parere debeat, nec menſuram pœnæ inter homines ſumendæ deſcribat; pacto ſane inter ſe inito homines conſtituere debebant, qui in cæteros imperium obtinerent, cujus vi aliis agendi regulas præſcribere, & à tranſgreſſoribus earundem pœnas exigere poſſent, prout bono publico expedire judicarent.

§. 18. Quæcunq; igitur leges à ſummo imperio civili ſubditis obſervandæ injunguntur, ſub comminatione

ne pœnæ ab earundem violatoribus in foro humano sumendæ, *Civiles* dicuntur. Hæ sive ex jure naturæ aut posit vo desumptæ, sive ex mero imperantium arbitrio profectæ, omnem effectum, quo in foro civili pollent, ex vi summæ potestatis, autoritatem istis suam accommodantis, obtinent. Et habent quidem in omnibus Rebusp. pleraq; juris naturæ, saltem ea sine quibus pax in ipsa societate stare non potest vim juris civilis, seu in corpus legum civilium sunt relata. Quod si autem aliqua lex naturæ per imperium civile vim juris civilis non acceperit, obligat quidem illa homines, sed ita, ut ob eam violatam neq; in civitate actio intendatur, nec pœna ibidem infligatur, sed soli foro divino & conscientiæ istius violatæ persecutio relinquatur. Sic v.g. etiamsi ad officium gratitudinis per legem naturæ quilibet teneatur, ita ut revera peccet, qui quantum in se fuit, gratitudinem adversus benefactores non exhibuit: tamen ubi circa eam nihil est in leges civiles relatum, alter per vim fori civilis ad gratiam referendam adigi non potest. Quo proprie referendum illud Senecæ: *Quam angusta res est ad legem bonum esse? Quanto laxius officiorum patet, quam juris regula? Quam multa pietas, humanitas, justitia, fides exigunt? quæ omnia sunt extra publicas tabulas.* Ratio autem, cur non omnibus juris naturæ præceptis vim juris civilis contulerint legislatores, est, quia ipsis de his potissimum cura erat habenda, sine quibus tranquillitas interna Reip. omnino constare non poterat. Reliqua omittere visum, tum quod illorum executio immensam tribunalibus generatura esset litium segetem; tum quia bonis viris maximam suæ laudis velut partem illibatam volebant relinquere, sola Numinis reverentia citra metum pœnæ ab hominibus imponendæ rècte egisse. Quæ laus perit, ubi discernere non licet, formidine pœnæ quis recte egerit, an solo amore recti. Ex quibus obiter perspicitur, vulgatæ illud; prodesse alteri neminem cogi,

cogi, ſed tantum obeſſe vetari, ad leges duntaxat civiles reſtringendum. In omnibus tamen civitatibus leges naturales juri civili ſuccenturiantur, ut quando hoc defecerit circa caſum aliquem, qui deciſionem in foro humano omnino poſtulat, ad leges naturæ, & analogiam ex earundem collatione reſultantem decurratur; quo ipſo tamen id quod ex jure naturæ velut mutuo ſumitur, vim legis civilis accipit. Eandem cum lege naturæ vim obtinet jus poſitivum divinum inter homines, ſcilicet ut legis civilis effectum per ſanctionem ſummi imperii civilis ſortiatur, alias in foro duntaxat divino obligaturum. Etſi apud Judæos leges divinæ per promulgationem divinam immediate vim legum civilium accipiebant, quod Deus iſtius Reip. peculiari ratione civilis quoq; legiſlator eſſet. Ex dictis tamen haudquaquam conſequitur, jura humana aliquid juri divino poſſe derogare, aut ex poteſtate humana pendere, quatenus divinæ leges obſervari neceſſe ſit. Nam quacunq; humana lege homines obligatione divina præſtandi præcepta haud poſſunt ſolvi; nec poteſtati fori divini quidquam derogatur, quo minus in delinquentes animadvertat, etiamſi forum civile pœnæ gratiam fecerit, cujus velut ambitum utilitas Reip. circumſcribit. Inde vere dictum eſt, utilitatem eſſe matrem juris ſcilicet civilis, qua talis, (non autem naturalis,) ſeu hanc dediſſe cauſam ad illud conſtituendum. Nam nulla alia re, quam utilitate ſeu bono publico dijudicatur, quibuſnam legibus naturalibus in hac vel illa Rep. effectus juris civilis adſignandus, quibus non ſit, quæ conſtitutiones juri naturali ſuperaddendæ, quomodo pœnæ intendendæ & remittendæ; quibus fere capitibus jus civile abſolvitur. Nec alia præter iſthanc adferri poteſt cauſa, cur in diverſis Rebuſpubl. aut diverſis temporibus leges varient, nec iiſdem delictis eadem ubiq; pœna imponatur. Quo ipſo tamen nihil ſanctitati legis naturalis derogari, nec ipſum Magiſtratum peccare arbitramur, ſiquidem

quidem ideo præceptum quoddam juris naturæ pœna quoque civili sancire superfederit, quod majus aliquod incommodum ex eo oriri videat, quam si circa illud suæ quilibet conscientiæ relinquatur; de quo jam supra monuimus.

§. 19. Objectum legum civilium in genere est omne id, quod à summa potestate humana efficaciter potest injungi. A quo propterea excluduntur actus mentis interni, circa quos ab hominibus nequidquam leges feruntur, quippe cum aliorum cognitionem hominum effugiat, (quamdiu id exteriores actus non indicant,) obsequium legibus præstitum sit, an minus. Nec est, quod de illis potestas civilis solicita sit, à quibus quamdiu tales manent, tranquillitati publicæ nullum periculum. Etsi quando in exteriores actus erupere, quam maxime quoq; internus animi actus attendatur crimini aggravando aut elevando, ut ex iis patet quæ de quantitate actionum infra dicemus. Nec contraria legibus divinis præcipere penes civile imperium est, eo quod obligatio validior à lege divina proveniens, obligationi ab homine profectæ & in contrarium tendenti nullum locum relinquat. De cætero cum sub directionem Magistratus civilis cadant præter cætera finem hominis naturalem spectantia, saltem exteriora cultus divini, patet quoq; tam circa illa, quam hæc eundem leges posse ferre, quarum illæ generali vocabulo civiles vocantur, aut seculares, hæ *Sacræ* seu *Ecclesiastica*. Hæ sive immediate à potestate civili procedant, sive ab illis concipiantur, qui cultui divino exercendo peculiariter destinati sunt, omnem in Rep. autoritatem à summo imperio civili mutuantur. Implicat enim summum habere imperium, & alium hominem in eadem civitate posse ferre legem de quacunq; re, quæ etiam invito isto sit valitura. At vero in ea, quæ jam per legem naturæ aut divinam positivam adfirmative aut negative definita sunt, hactenus summo imperio civili potestas competit, ut utrisq; legum

legum civilium vim tribuere possit, aut non tribuere, prout è Republica videatur, & in legibus affirmativis, siquidem ista per naturam rei aut ipsius Dei arbitrio determinata non sint, earundem exercitio certas circumstantias, puta tempus, locum, modum & personas signare.

§. 20. Illud quoque circa leges civiles observandum, in plerisq; ita actus aliquos prohiberi, ut etiam, ubi contra leges exerciti fuerint, rescindantur. In quibusdam autem prohibetur quidem aliquid ne fiat, at ubi factum sit non rescinditur, sed multa duntaxat aut pœna aliqua injungitur ei, qui contra fecit, qua soluta actus pro legitimo valet; quæ possunt dici leges imperfectæ. Inter ejusmodi leges, si curatius velimus attendere, quædam instar tributi sunt, ita ut licentia aliquid agendi certo pretio vendatur, & expresse in arbitrio subditorum relinquatur, utrum actum omittere, an multam solvere malint, quam etiam quandoque in antecessum deponere licet, actu post citra impedimentum exercendo. Quod haudquaquam in legibus pœnalibus perfectis locum habet, ubi pœna delinquentibus imposita haudquaquam æquipollet impletioni legis, sed potius eo spectat, ne ipse aut alii legem deinceps violent. Quædam autem leges actum quidem non rescindunt, pœnam etsi proprie dictam cum suscipientibus imponant. Cujus ratio est, quia indecentia major conspicitur in actu, quam in effectibus. & sæpe incommoda, quæ rescissionem sequuntur, majora sunt, quam incommoda ipsius actus, quando semel susceptus validus persistit. Idque contingit potissimum circa actus illos, quibus erga personam quampiam obligatio fuit contracta, de jure duntaxat naturali, non civili valida, cui satisfieri non potest, nisi actus semel susceptus efficax maneat. At vero nulla est illa lex, quæ tantum prohibet aliquid fieri, factum tamen non rescindit, nec pœnam in transgressorem constituit. Quem in numerum aliqui legem Cinciam

ciam referunt, quæ ſupra certum modum donare Advocato vetabat, donatum non reſcindebat. Enimvero, cum nemo præſumatur actionis ſuæ nullum voluiſſe effectum, ſicubi talis lex extiterit, quæ pœnæ mentionem expreſſe non faciat, arbitrariam pœnam eſſe ſeu pro arbitrio judicis prout æquum videbitur, temperandam intelligitur.

§. 21. Solent quoq; corpore legum civilium comprehendi, ac vulgo legum nomine venire illæ declarationes ſummi imperii, quibus duntaxat ſignificant, quid in certo actus genere in foro civili licite admitti queat. Quæ proprie leges non ſunt, ſed permiſſiones, quarum hic eſt effectus, non tam ut quis eos actus licite ſuſcipere queat, quippe cum quælibet legibus ſaltem non interdicta agendi cuilibet poteſtas ſit; ſed quod aut antea fuerint interdicti, aut quod dubitationes oriri poterant de eorundem licentia, ut de validitate obligationum, quæ ex iſtis oriri poſſunt, certo conſtaret. At ſi hac ratione permittatur aliquid legibus divinis adverſum, non hoc efficitur, ut iſtud citra peccatum ſuſcipi queat, ſed tantum, ut impunitatem in foro civili obtineat, & ibidem iiſdem gaudeat effectibus, quibus alii actus liciti gaudere ſolent.

§. 22. Circa rectam adplicationem ſententiæ legis ad caſus particulares, in qua officium judicis vertitur, diligenter obſervanda, quæ communiter dicitur *æquitas*. Hæc in eo conſiſtit, ut prudenter declaretur, caſum aliquem peculiaribus veſtitum circumſtantiis à legiſlatore ſub generali lege non fuiſſe comprehenſum. Sæpenumero enim contingit, ut ex litera legis in adplicatione ad caſus ſpeciales ſequatur abſurdum aliquod, eo quod legiſlatores eos ob varietatem ac multitudinem perſpicere ac peculiariter excipere non potuerint. Cum autem nemo præſumatur abſurda lege conſtituiſſe, intelligitur utiq; legiſlator tales caſus noluiſſe comprehendere; adeóq; non adverſatur legiſlatori judex, ſed

potius

potius prudenter voluntatem ejus ex analogia & ſenſu cæterarum legum colligit, qui univerſalitatem literæ per æquitatem reſtringit. Eſt & alia ſignificatio æquitatis, qua ex æquo & bono diſceptantur lites, quæ legibus civilibus expreſſe non definiuntur, ſed judici vel arbitro ex collatione juris naturæ, aliarúmq; legum civilium decidendæ relinquuntur. Privati denique qua tales invicem adhibere æquitatem dicuntur, quando quod ex vi legum civilium exigere poterant, ex lege humanitatis aut beneficentiæ condonant, aut de jure ſuo aliquid remittunt.

§. 13. *Diſpenſatio* autem eſt, quando ſinguli certo in caſu obligatione legis civilis qua talis, per ſummam poteſtatem ſolvuntur, qui alias tenebantur. Hanc exercere penes legiſlatorem eſt, qui cum leges ſuas prorſus abrogare poſſit, utiq; etiam earundem effectum in certa perſona ſuſpendere poteſt. Differt autem diſpenſatio ab æquitate, quod hanc judex omnino adhibere teneatur, adeo ut, ſi nudam legis literam ſecutus fuiſſet in caſu, ubi æquitati locus erat, contra mentem legiſlatoris feciſſe judicandus ſit. At vero diſpenſatio ex mera legiſlatoris gratia dependet, quæ non indulta nullam querendi cauſam præbet. Æquitas declarat, caſum aliquem à legiſlatore ſub generali lege non fuiſſe comprehenſum; diſpenſatio autem perſonam, quæ lege ea tenebatur, obligatione ſolvit. In diſpenſatione tamen indulgenda prudentiam adhibebit legiſlator, ne dum vel promiſcue eam indulget, vim legis enervet, vel ſi citra graviſſimas cauſas, reliquis qui ſunt ejuſdem conditionis, invidiæ & indignationis cauſam præbeat, quod æquales æquali gratia digni non fuerint habiti.

§. 24. De *Jure Gentium* nunc quoq; aliquid addendum, quod quibuſdam nihil aliud eſt, quam jus naturæ, quatenus illud inter ſe ſummo imperio non connexæ gentes diverſæ obſervant, queis eadem invicem ſuo modo officia præſtanda, quæ ſingulis per jus naturæ præſcribuntur.

buntur. De quo non eſt, quod hoic peculiariter agamus, cum ea, quæ de jure naturæ, déq; officiis ſingulorum tradimus, facile poſſint adplicari ad civitates & gentes integras, quæ in unam quoq; perſonam moralem coaluerunt. Præter iſthoc nullum dari jus gentium arbitramur, quod quidem tali nomine proprie poſſit deſignari. Pleraq; enim, quæ apud JCtos Romanos, aliósq; ad jus gentium referuntur, puta, quædam circa modos adquirendi, contractus & alia, vel ad jus naturæ pertinent, vel ad jus civile ſingularum gentium quod iſtis in rebus cum legibus civilibus plurimorum populorum coincidit. Ex quibus tamen peculiaris juris ſpecies non recte conſtituitur, quippe cum iſta jura gentibus inter ſe ſint communia non ex aliqua conventione aut obligatione mutua, ſed ex placito peculiari ſingulorum legiſlatorum in ſingulis civitatibus conſtituta, quæq; adeo ab uno populo inconſultis aliis mutari poſſint, ac ſæpenumero mutata deprehendantur.

§. 25. Solent deniq; ſub nomine juris gentium venire illæ conſuetudines inter pleraſq; gentes, ſaltem quæ cultiorum & humaniorum ſibi famam vindicant, potiſſimum circa bellum tacito quodam conſenſu uſurpari ſolitæ. Poſtquam enim inter cultiores iſtas gentes maximum fuit decus habitum, bello gloriam quærere, i.e. in eo præſtantiam ſuam præ cæteris hominibus oſtendere, quod quis multos homines auderet, & dextre calleret perdere, adeóq; in non neceſſaria aut injuſta bella eſt procurſum; ne ambitionem ſuam invidiæ nimis exponerent, uſurpata omni licentia juſti belli, humanitate nonnulla & quadam magnanimitatis ſpecie bellorum atrocitatem temperare pleriſq; populis eſt viſum. Unde conſuetudines circa exemptiones certarum rerum & perſonarum à vi bellica, modus nocendi hoſtibus, modus tractandi captivos, & ſimilia. Quæ ſi quis legitimum gerens bellum neglexerit, ſcilicet ubi per jus naturæ recte fieri poſſunt, nulli obligationi validæ contraveniſſe dici poteſt, niſi

niſi quod ruditatis vulgo arguitur, quia non ad conſuetudinem eorum, queis bellum inter artes liberales numeratur, ſeſe compoſuerit. Non ſecus ac imperitiæ inter gladiatores accuſatur, qui alterum non ex formula artis vulneravit. Igitur ſi quis juſta gerat bella, ſolo naturæ jure ea regere poteſt, nec ullo jure ad iſtas conſuetudines, niſi ſponte ob commodum aliquod ſuum velit, tenetur. At ei, qui injuſtis graſſatur bellis, iſtæ vel ideo ſunt obſervandæ, ut qualicunq; cum temperamento injurias inferat. Illi vero operam ſane ludunt qui quid communiter inter gentes, in bello potiſſimum, uſurpari ſolitum colligunt, eaq; de jure gentium licita eſſe concludunt. Quaſi vero non minus injuſte, crudeliter, avare factum ſit, quod ſæpe factum deprehenditur ab iis, queis ideo ſcelera ſua inter homines impune fuerunt, quia ſuperiorem non habebant; quiq; ideo vehementer reprehenſi non ſunt, quod exteri ab iiſdem perpetrandis non abhorrerent. Et ſane, ſi ex crebro gentium uſu jus aliquod peculiare debet conſtitui, primum utiq; caput in eo erit de bellis per ſolam ambitionem, aut ob adſpectum lucri licite gerendis, quibus apud pleraſq; gentes nihil frequentius.

§. 26. Quod vero Legatos attinet, qui communiter unum ex præcipuis juris gentium capitibus conſtituunt, illi etiam ad hoſtes miſſi, ſiquidem ſpeciem Legatorum, non ſpeculatorum præ ſe ferant, quamdiu apud eum, ad quem miſſi ſunt, in eundem hoſtilia non moliuntur, puta proditiones, ſeditiones & ſimilia excitando, (etſi fors ordinario modo per tractatus domini ſui commodum præ alterius quærant,) ipſo naturæ jure ſunt inviolabiles. Cum enim ejuſmodi perſonæ ſint neceſſariæ ad pacem conciliandam aut ſervandam, quam ipſum jus naturæ omnibus modis honeſtis ampleƈti jubet, utiq; intelligitur etiam idem jus caviſſe ſecuritati earum perſonarum, ſine quibus finis ab ipſo præceptus obtineri nequit. At vero quæ alia communiter Legatis tribuuntur privilegia, iis præſertim, qui magis ad expiſcanda alterius Reip. ſe-

creta,

creta, quam ob pacem constituendam aut servandam in loco aliquo hærent, puta, quod eorum bona non debeant pignore capi ob eorundem debita, & similia; illa ex mera ejus, ad quem mittuntur, gratia & indulgentia pendent, quæ si commodum videatur, citra violationem ullius juris denegare potest, nisi quatenus aliquid est dandum respectui, quod ipsius legati apud alium simili modo tractati fuerint.

§. 27. In universum autem circa leges notandum, quasdam esse *affirmativas*, quasdam *negativas*: Illæ cum requirant occasionem, quæ non semper & ubiq; adest, intelliguntur obligare ad exercendam actionem, quando ea fieri potest, i.e. quando objectum & cætera agendi requisita adsunt. Inde reprehensionem haudquaquam meretur, qui ex defectu occasionis actionem alias legibus præceptam intermittit; nec obsequium illius culpari debet, quem extremis connixum viribus moles negotii oppressit, aut eventus citra propriam culpam destituit. At præceptorum negativorum obligatio semper est velut uniformis, quippe quæ postulat intermissiones actionum voluntariarum malarum, i.e. non entia, quæ non indigent objecto, loco & tempore. Ex eodem fonte derivari quoq; (ut id obiter addamus,) potest trium illud: Factam negantis naturaliter nullam esse probationem, scilicet directam. Cujus ratio est, quia qui factum aliquod negat, dicit, factum, quod actor intendit, esse non ens, quod nullam habet causam nec circumstantias. Omnis autem probatio ex causis, circumstantiis, & signis instituitur. Quod si tamen factum negetur certo loco & tempore, potest id per indirectum probari, nempe si ostendatur, illum qui arguitur facti, isto tempore, quo quid factum esse dicitur, alio in loco fuisse.

DEFINITIO XIV.

Potestas est potentia moralis activa, qua persona aliqua legitime & cum effectu morali directo potest edere actionem.

I. *Potentia naturalis, moralis.*
II. *Potestas agendi circa quæ homini competat.*
III. *Quomodo, cujus potestas agendi ab altero dependet, voluntatem ipsius præsumere debeat?*
IV. *Regulæ de potestate.*

§. 1. Duplex est potentia agendi in homine: una *naturalis*, qua is per vires suas naturales potest edere actionem aliquam aut eandem intermittere, non considerato, recte ea fiat, an secus. Sic de facto homines possunt facere legibus interdicta, & intermittere iisdem præcepta: Potentia autem *moralis* in homine est, qua actionem voluntariam legitime possit edere, & cum effectu morali, i.e. ut actio illa congruat, aut saltem non repugnet legibus, & in aliis effectus morales possit producere. Judicatur autem homo habere potestatem ad agendum omne id, quod per potentiam naturalem ab eo agi potest, quidquid legibus non est interdictum, sive iisdem quoqs præcipiatur, sive indifferens relinquatur. Quin & sæpe amplior est potestas, quam pro viribus naturalibus. At vero ad illa agenda potestas est adempta, quæ ipsi legitime fuerunt interdicta sive à legislatore aliquo universali, sive ab alio, cui peculiariter in actiones ipsius imperium competit.

§. 2. Enimvero communiter, quando quis edit actionem legibus præceptam, non solet quæri, an ejus suscipiendæ habuerit potestatem; quippe cum omnibus, queis

quelis lex aliqua, ſuperiori lege non irrita fertur, poteſtas ſecundum eam legem agendi ex negotii natura ſimul collata intelligatur. Et de cætero, quando de eo, quod quis agit, conſtiterit, legibus id non repugnare, nemo amplius dubitat, quin legitime id agere queat. Aſt vero quam maxime inquiritur in poteſtate agentis, circa illas actiones, quibus effectus aliquis moralis apud alios eſt producendus, i.e. quibus alteri obligatio aut facultas ad aliquid agendum debet conferri. Irritus enim & nullus habetur actus, ubi poteſtas agendi defecit. Ubi tamen obſervandum, quod jam ſupra monuimus, quemadmodum leges imperfectæ ob commiſſum contra ipſas actum pœnam quidem expoſcunt, actum autem non reſcindunt: Sic, quæ legibus perfectis negativis poteſtas agendi prorſus tollitur, legibus iſtis imperfectis non tam extingui, quam cum onere pœnæ aut multæ concedi videtur. Porro non illa tantum licere dicuntur, quæ neq; divinæ neq; humanæ lege ſunt interdicta; ſed & quæ legi quidem divinæ naturali aut poſitivæ adverſantis, jus civile permittit, i.e. in foro humano neq; prohibet, neq; punit. Illis quæ reſpondet poteſtas *interna*, quæ his *externa* vocatur, ejus effectus eſt impunitas in foro humano, & cætera, quæ actus licitos conſequuntur, etſi in foro divino ea poteſtas nequidquam allegari queat.

§. 3. Cæterum illi, cui poteſtas agendi aliquid ex alterius voluntate eſt petenda, ubi expreſſa voluntatis ſignificatio deficit, videndum, ut dextre eandem conjiciat & præſumat. Quod fieri poteſt, ſi ſequentes obſervet regulas. 1. Qui poteſtatem agendi ex alterius voluntate accipit, ubi per expreſſam voluntatem contrarium non eſt ſignificatum, recte poteſt agere, quod iſti ita eſt utile, ut majus inde incommodum ſequi non videatur. In defectu enim ſignorum expreſſorum aliud oſtendentium præſumitur, quemque velle commodum ſuum promoveri, quia id maxime eſt ſecundum natu-

ram, quam præsumptiones communiter sequi solent. 2. Non recte contrarium ejus agitur, quod expresse fuit significatum. Idcirco enim expresse voluntas ostenditur, ne quis ex præsumpta voluntate diversum sequatur, quam quod ipsi fuit præscriptum. Nisi per generalem clausulam præsentis rei utilitatem aut necessitatem pro sua dexteritate sequi jussus fuerit. Hinc miles aut dux inferior, cui expresse est interdictum, ne ullo modo cum hoste manus conferat, non recte in pugnam descendit inscio supremo duce, etsi rem bene videatur gerere posse. 3. Qui agit sciente altero & facultatem habente nullo negotio dissensum significandi, ex silentio recte ipsius voluntatem præsumit. Inde est quod vota uxoris, filiæ sub patris potestate constitutæ, & servi ex lege divina valida erant, si maritus, pater aut dominus iis auditis siluisset. 4. Qui alteri quid agendum commisit, censetur consensisse in ea, quæ ille extrema coactus necessitate agit, nisi vel leges istud interdixerint, vel expresse isto modo effugere necessitatem prohibitus fuerit, aut id, quod necessitas allatura erat, minus malum sit, quam quod eidem evitandæ suscipitur.

§. 4. Deniq; circa potestatem duæ istæ observandæ regulæ; una, *Cui potestas est majus aliquid exercendi, est etiam minus exercendi*, scilicet sub majori illo contentum; seu qui potest majus, potest etiam minus. Qua ex regula Justinianus emendavit caput illud legis Æliæ Sentiæ, qua prohibebatur dominus minor viginti annis manumittere servum, nisi vindicta apud consilium de causa legitima; cum tamen isti eo tempore testamenti condendi, i. e. de omnibus suis bonis disponendi potestas esset; cur igitur testamento non possit servo libertatem dare? Etsi contingere possit, ut, quando potestas à sola concedentis voluntate pendet, alicui concedatur facultas majus agendi, negato

gato minore, quod alias ordinarie sub majore comprehendi videbatur. Altera est; *Qui dat potestatem ad finem, conferre etiam, quantum in se est, potestatem ad omnia ea dedisse, sine quibus finis non potest obtineri.* Alias enim idem vellet, ut aliquid eodem tempore fieret vel non fieret, quod est absurdum. Cum hac coincidit fere tritum illud: *Necessitas finis jus seu potestatem facit in moralibus.*

Definitio XV.

Affectiones actionis voluntariæ sunt modi, quibus illa certa ratione denominatur aut determinatur.

I. *Affectiones actionum quænam?* | II. *Quid actio necessaria, quid licita?*

§. 1. Affectiones immediate in ipsis actionibus spectantur, quemadmodum effectus immediate vel in objectis, vel in ipso agente. Sunt autem affectiones istæ vel *denominativæ*, vel *determinativæ* seu *æstimativæ*. *Illæ* sunt qualitates, quibus actiones dicuntur *Necessariæ* vel *non necessariæ*, *licitæ* vel *illicitæ*, *bonæ* vel *malæ*, *justæ* vel *injustæ*. Quas uno vocabulo *competentia* possis exprimere, quæ spectatur, vel ratione subjecti, à

quo actio procedit, unde eadem necessaria, licita, bona; vel ratione objecti, in quo terminatur, unde justa. *Hæ sunt quantitates & actionum æstimationes*, quæ proprio vocabulo carent. De necessario & licito heic paucis subjiciemus, de cæteris seorsim agemus.

§. 2. Actio *necessaria* est, quam ex lege aut jussu superioris omnino facere tenetur is, cui ea lex aut jussum est datum. Huic opponitur non tantum actio *vetita*, quæ legibus fieri prohibetur, sed etiam *licita*, quam leges neque præcipiunt, neque interdicunt, sed quam suscipere aut omittere, in solo agentis arbitrio est relictum. Ubi observandum, quod jam supra monuimus, quasdam actiones dici posse *perfecte licitas*, quæ neque divina neque civili lege sunt prohibitæ; quasdam *imperfecte licitas*, quas legibus divinis prohibitas jus civile hactenus permittit, ut nullam illis in foro humano pœnam imponat. Ex his quid actio sit illicita facile colligitur.

DEFINITIO XVI.

Actio bona est, quæ cum lege congruit; Mala, quæ ab eadem discrepat.

I. *Formale bonitatis & malitiæ.*
II. *Actio bona est, quæ omnia habet requisita; mala, in qua etiam unum deficit.*
III. *An actio indifferens?*
IV. *Malitiæ causa nequaquam in Deo quærenda.*

§. 1. FOrmalis ratio bonitatis & malitiæ consistit in habitudine seu relatione determinativa ad normam directivam, quam dicimus legem; (eam semper hic intelligimus necessitantem, non permittentem, &, si humana sit, juri divino non repugnantem.) Quatenus enim ex præscripto normæ proficiscitur, & juxta eandem instituitur actio proxretica, ita ut ad eandem exacte congruat, bona dicitur; quatenus contra præscriptum normæ suscipitur, aut ab ipsa discrepat, mala, & uno vocabulo, peccatum nuncupatur. Porro uti quævis norma directiva, v. g. pyxis nautica, causa dicitur rectitudinis itinerariæ & perventionis ad portum, non tam quatenus navis eum secat cursum, qui cum directione ejus coincidit, quam prout ex præscripto ejusdem nauclerus cursum dirigit: ita lex dicitur causa rectitudinis in actione, non tam quia actio quæcunque de causa suscepta ad illam quadrat, sed potissimum, quia ex legis dictamine & ex dependentia à lege, i. e. cum intentione obedientiæ eidem præstandæ proficiscitur. Unde si quis casu, aut alia inductus ratione,

tione, quam ut legi sese morigerum præbeat, id agit, quod in lege præcipitur, recte quidem (sensu magis negante, quam aiente, i. e. non male) egisse dici potest, non tamen moraliter bene. Non secus ac is, qui fortuita sclopeti displosione avem dejecit, perite & artificiose jaculatus dici nequit.

§. 2. Cæterum cum lex determinet vel qualitatem seu dispositionem agentis, vel objectum, vel finem, vel denique certas circumstantias actionis; inde actio aliqua est moraliter bona aut mala, vel quia agens ita est dispositus, uti lex requirit, aut secus; vel quia actio dirigitur in objectum, eo fine iisque circumstantiis, quibus lege est dispositum, & contra. Ubi tamen notandum, ut actio aliqua sit bona, necessum esse tum ut secundum omnia requisita quasi materialia congruat ad legem, tum ut quantum ad formale non ex ignorantia aut alia de causa, sed ad præstandam obedientiam legi debitam fit exercita. Unde actio alias velut materialiter bona, ob intentionem malam agentis ipsi pro mala imputatur. Sic præmii nihil meretur, qui dum nocere intendit, prodest. Sic qui potestate sua legitima malo fine utitur, (v. g. judex potestate sumendi pœnas à noxiis ad satiandam privatam libidinem,) peccat. Etsi actio alias velut materialiter mala ob bonam intentionem agentis haudquaquam fiat bona. Inde est, quod nemo peccatis propriis possit uti velut mediis ad finem bonum adsequendum, ac non sint facienda mala, ut eveniant bona. Ut enim actio reddatur mala sufficit, ut vel in unico requisito materiali aut formali ad legem non congruat. Inde est, quod statim actio fiat mala si vel agentis qualitas, vel objectum, vel finis, vel aliqua circumstantiarum, vel intentio à lege discrepet. Ac non solum perfectum facinus,

cinus, & quod finem suum obtinuit, sed etiam cogitatum duntaxat & inchoatum pro scelere reputatur, quod etiam interdum leges civiles eadem pœna aut non multo leviore, quam consummatum plectunt, prout expedire judicant, etiam intra primos conatus scelus aliquod reprimi.

§. 3. Ex dictis quoque colligitur, an actio aliqua moralis in individuo seu hoc & nunc spectata, sit indifferens? ubi proprie non est quæstio de actionibus licitis, seu quæ neque præceptæ legibus, neque interdictæ sunt, quas indifferentes esse, seu neque bonas neque malas in genere morum extra dubium est: sed de illis, quas leges præcipiunt aut vetant. Has in individuo indifferentes esse non magis fieri potest, quam ut inter congruere ad legem & non congruere medium detur. Ac vanum est, quod quidam dicunt, actionem quoad substantiam operis bonam esse posse, etiamsi finis legitimus ab agente non intendatur. Nam ad essentiam actionis quam maxime etiam pertinet finis, quippe cohærens cum intentione, quæ est principium maxime specificans qualitatem actionis. Inde non modo peccatum est, referre actiones ad malum finem, sed id quoque, referre easdem ad diversum finem, quam qui legibus est præscriptus.

§. 4. Isthæc porro actionis bonitas & malitia uti formaliter in ea, quam dixi, convenientia & disconvenientia ad normam moralem consistit; ita efficienter unice ab illo dependet, cui ista actio lege præscripta aut interdicta exercetur. Huius quippe determinatio actionem ita constituit in genere entium moralium, ut ipsi soli & non alii ea queat imputari. Inde inanis sane illos torsit metus, qui ne Deum omnium rerum creatorem peccati quoque autorem facere viderentur, peccati formalem rationem in privatione congruentiæ cum lege collocarunt,

runt. Enimvero etsi positio cujuscunque formæ privationem aut absentiam contrariæ formæ necessario inferat; tamen oppido quam falsus est opinionis, qui essentiam rei in ista privatione quæsiverit. Nec multum profecerit, qui norit, rectitudinem esse privationem curvitatis, & curvitatem rectitudinis. Vanus vero fuit metus, qui eos in talia adegit. Deum enim omnium entium physicorum creatorem esse indubium est; at moralium quoque & notionalium omnium qui creatorem eundem facere velit, oppido quam absurdus foret. Illos vero profana admodum ingenii prurigo agitat, qui egregium subtilitatis specimen autumant, Deum quoquo modo inter peccati causas immiscuisse. Nam cui aliquis entium moralium intellectus, nihil absurdius judicabit, quam in uirere, an is sit causa actionis, qui eam lege prohibet, ac contra interdictum suum commissam punit. Quod vero Deus ad id concurrit, quod in ista actione physicum est, non magis ideo peccati causa dici potest, quam v. g deformitatis in veste à sartore imperite confecta, qui pannum ad istam suppeditavit. Vocabulum autem causæ in impropriam, & à communi sensu alienam heic trahere significationem, est id agere, ne parum irreverens erga divinum Numen videaris.

DEFINITIO XVII.

Actio justa est, quæ ex proæresi recte adplicatur ad personam, cui illa debetur.

I. *Justitia universalis, particularis.*
II. *Distributiva.*
III. *Commutativa.*
IV. *Vindicativa.*
V. *Injustitia.*
VI. *Injuria quid proprie?*
VII. *Injuria fit ex proæresi, ubi de Culpa.*
VIII. *Volenti non fit injuria.*

§. 1. JUstitia duplici modo considerari potest, vel ut denominat personam vel ut actionem. Ab illa non meretur titulum justi, nisi qui constantem & perpetuam voluntatem habuerit cuiq; tribuendi, quod ipsi debetur; ab hac etiam unica & solitaria actio, recte ad objectum adplicata, justa vocatur. De qua posteriori significatione nos heic magis, quam de priori erimus soliciti. Quando igitur alteri ex proæresi tribuimus, quod ipsi debetur, sed quando recte adplicamus actionem ad personam cui illa debetur, ea actio justa dicitur. Debetur autem aliquid alicui vel ex jure imperfecto, quod supra aptitudinem quoq; vocari diximus, vel ex jure perfecto. Recta adplicatio actionum tam purarum, quam conjunctarum cum translatione alicujus rei ad personas, ad quam habendam his imperfectum duntaxat jus erat; ut & adplicatio actionum sub commercium non venientium ad personas, quibus ad istas habendas jus est, nobis vocabitur *Justitia Universalis*. Ut, quando quis consilio, opera aut re agenti subvenit, & officia debita pietatis, reverentiæ, gratitudinis exhibet, adversum quos ista exhibere tenetur. Hæc justitia id tantum spectat, ut quod alteri quacunq; ratione debe-

debetur, præſtetur, non attendendo, num id, quod præſtatur ſit æquale cauſæ illi, ob quam quid debetur, an minus. Sic gratitudinis officio ſatisfit, ſi quantum per facultates licet, reponatur, etiamſi beneficium fors longe ſupra fuerit. Sed recta adplicatio actionum, quæ in commercium veniunt, aut quibus res aliqua in alium transfertur, ad quam iſte jus habebat, *Juſtitia Particularis* dicetur.

§. 2. Jus porro hoc oritur vel ſingulis ex pacto (tacito aut expreſſo) cum ſocietate aliqua inito hoc fine, ut ipſius membra fiant; vel ſocietati ex pacto eodem cum ſingulis, ut eos ſibi membra adjungeret; vel denique circa res aut actiones alias in commercium venientes. Recta adplicatio eorum, quæ ex pacto ſocietatis cum membro, aut membri cum ſocietate, fine jam dicto, debentur, vocatur *Juſtitia diſtributiva*. Quandocunq; enim quis in ſocietatem recipitur, tale pactum expreſſe aut tacite initur inter ſocietatem & membrum recipiendum, quod ſocietas quidem velit huic ratam partem tribuere de bonis, quæ ſocietati, qua tali, competunt; membrum vero pro rata parte ferre onera, quæ ad ſocietatem qua talem ſervandam faciunt. Determinatio autem ratæ partis de bonis ſocio adſignandis ſit ſecundum æſtimationem operæ aut ſumptuum impenſorum ad ſocietatem qua talem ſervandam, ſpectatorum in proportione ad aliorum ejus ſocietatis membrorum operam aut ſumptus impenſos. Uti contra determinatio ratæ partis de oneribus membro imponendis ſit ſecundum æſtimationem commodorum, qui illud ex ſocietate percipit, ſpectatorum in proportione ad commoda ab aliis membris è ſocietate percepta. Inde cum ut plurimum unum membrum plus conferat ad ſocietatem conſervandam quam alterum, & unum quoq; præ altero plus commodi ex eadem hauriat, facile patet ratio, cur in juſtitia diſtributiva ſit obſervanda æqualitas comparata. Quæ in hoc conſiſtit, ut quomodo ſe habet dignitas ſeu meritum

meritum unius ad dignitatem alterius; ſic ſe etiam habeat præmium unius ad præmium alterius. Sic v. g. ſi diſtribuenda ſint VI. inter Cajum, Sejum & Titium, poſito Titii merita ſuperare merita Caji triplo, duplo Seji, Cajo dandum erit I. Sejo II. Titio III. Nec ad hanc æqualitatem requiritur, ut præmium ſimpliciter exæquet meritum perſonæ; ſed ſufficit, ut quam proportionem habet dignitas unius ad dignitatem alterius, eam etiam habeat portio de re illa communi ad portionem alterius. Idem etiam in oneribus imponendis obſervatur. At vero quod quidam æqualitati reſpectivæ, quæ in hac juſtitiæ ſpecie obſervatur, evertendæ adferunt: de meo diſtribuere me poſſe plus merenti minus, minúſq; merenti plus dare, modo id dedero, quod pactus ſum, allato pronunciato Salvatoris ex Evangelio; id ſane ad rem nihil facit. Nam in allegato exemplo oſtenditur, non peccare in juſtitiam commutativam, (quæ contractum iſtum locationis conductionis regit,) qui ex liberalitate quibuſdam largiorem merito tribuit mercedem, modo cæteris juſtam, quam pacti fuere, non deneget. Sed quid hoc ad noſtram juſtitiam diſtributivam, in qua de re, ad quam plures jus habent velut ratione quantitatis inæquale, rata portio adſignanda? Vox autem diſtribuendi in iſthoc exemplo occurrens, haudquaquam innuit, ad juſtitiam diſtributivam id pertinere, ſed plures fuiſſe mercenarios, quibus ſua cuique merces fuerit danda.

§. 3. At vero recta adplicatio eorum, quæ debentur ex pacto circa res & actiones in commercium venientes, vocatur *Juſtitia Commutativa*. Ea pacta cum hoc ſpectent ut pro re mea aut actione in commercium veniente ab altero accipiam rem aut actionem æquipollentem facile adparet ratio, cur hæc juſtitia poſtulet æqualitatem ſimplicem, qua rei aut actionis in commercium venientis pretio alterius rei aut actionis pretium exacte, prout moralis æſtimatio fert, reſpondere debeat.

§. 4.

§. 4. Enimvero, quæ in imponendis pœnis versatur, *Justitia Vindicativa* dicta, cum neutra specie justitiæ particularis exacte quadrat. Sunt autem in delicto accurate distinguenda ipsa actionis malitia in se, & damnum alteri per eam datum, quorum illi proprie respondet pœna, huic damni restitutio. In pensando damno ita proceditur, ut quod quis per alterius delictum minus habet, sive id adhuc penes delinquentem sit, sive perierit, id aut tantundem delinquenti adimatur, & addatur damnum passo; ita ut simpliciter sarciatur ex bonis delinquentis, quod alter ipsius culpa minus habet. Circa pœnam autem imponendam id quidem certum est, eam non posse infligi, nisi intuitu alicujus delicti; quando autem, & quanta qualisve sit infligenda, non tam ex ipsa delicti natura, quam ex utilitate inde vel in ipsum peccantem, vel in societatem redundante est dijudicandum. Nam rationi repugnat, hominem homini quacunq; de causa mali quid imponere, in quo nihil nisi dolorem patientis spectet. Igitur quemadmodum ob servandam inter homines societatem præcipuis naturæ legibus in cunctis fere civitatibus vis legum civilium fuit danda, ut etiam metu violentiæ humanæ ad eas servandas adigi possent, quibus alias reverentia Numinis parum efficax stimulus faciendo officio erat futurus: ita omnis quoque pœna in foro humano ad eundem scopum collineare debet. Adeóq; cum natura neq; quantitatem, neq; qualitatem pœnæ definiat, nec omnino pœnam homini de homine, nisi dicto respectu, sumere concedat; recte justitiam administrabit vindicativam, qui pœnas ad istum finem probe attempesaverit. Debetur itaq; proprie pœna non delinquenti, tanquam aliquid, quod non recte ipsi possit denegari (nisi fors quatenus ipse inde emendandus est,) sed societati; ac si eo casu, quo sumi debebat, intermittatur, non delinquenti injuria fit, sed societati, quæ ista hac impunitate aut maligna pœnæ dispensatione turbatur. In quantitate autem

tem pœnæ, quam utilitas publica mensurat, (quemadmodum castigationes seu correctiones peccantis ingenium,) delinquenti non fit injuria, si tantam pœnam, quanto delicto constitutam norat, subeat, (siquidem ad delinquendum ab ipso pœnæ exactore non fuerit impulsus:) etiamsi forte pœna absolute spectata delicto gravior videatur. Nam ejus periculi, quod quis, cum evitare id commode posset, sponte sibi arcessivit, ut ab alio ratio habeatur, nullo jure postulare valet. Inde haudquaquam violari Justitiam Vindicativam arbitramur à duce, qui etiam ob gallinæ raptum capitis pœnam antea denunciatam & promulgatam exigit, siquidem tam acri pœna securitati inermium consuli è bono publico judicaverit. Ubi vero iste, quem memoravi, finis non spectatur, aut alia ratione commodius obtineri potest, non modo pœnam recte posse, sed etiam debere omitti judicamus.

§. 5. Ex dictis facile perspicitur, quid actio sit injusta, scilicet quæ ex proæresi prave ad personam adplicatur, cui diversa debebatur, aut quando denegatur alicui, quod ipsi debebatur. Injuste enim agimus, quando inferimus alteri quid mali, quod nobis inferendi potestas non erat; (bona autem ejus sunt naturæ, ut cuivis etiam citra causam tribui possint, si id fiat citra fraudem tertii,) aut denegamus vel eripimus ei aliquod boni, quod ipsi debebatur; (nam mala, quæ quis meritus est, citra injuriam ipsi non inferre possumus, si id aliis damno non sit.) Adeóq; injusta actio vel infert, quod inferre non debebat, vel aufert, quod auferre non debebat, vel denegat, quod tribuere debebat. (Nam & moraliter pro actione censetur actionis debitæ negatio sive intermissio.)

§. 6. Solet autem injusta actio, siquidem alteri inferatur ex proæresi cum læsione juris, quod alteri competit, uno vocabulo dici *Injuria*. De qua ut accurate percipiatur, sciendum, aliquem lædi posse triplici modo,

vel

vel ut denegetur, quod ipse debebat habere, vel ut ipsi suum, quod jam habet, auferatur, vel ut mali quid inferatur, cujus inferendi alteri potestas non erat. Circa priorem modum observandum, deberi aliquid alicui vel ex mero jure naturæ, ita tamen, ut ad ea persectum jus non habeat, uti sunt officia humanitatis, beneficentiæ, gratitudinis; vel ex pacto, eoque vel peculiari, vel contento in obligatione nostra ad leges civiles, qua nos adstringimus ad præstanda ea, quæ leges civiles alteri exhibere jubent. Hæc si denegentur alicui, proprie injuria dicitur; non autem si ista, etiamsi in jus naturæ peccetur. Nec per ipsum jus naturæ vi ad ista præstanda alterum adigere licet, saltem ubi imperium in istum non competit, nisi fors necessitas urgeat; quippe cum istorum genius officiorum requirat, ut sponte & citra merum pœnæ præstentur. Quo sensu verum est, injuriam non fieri nisi ei, cum quo pactum interceserit. At vero quando alicui invito dedita opera malum infertur, sive erepto bono quopiam, quod jam possidebat, sive inflicto positive malo quopiam, semper injuria sit, sive pactum interceserit, sive non. Id enim cuilibet homini natura juris tribuit, ne ab altero homini ipsi citra antegressum suum meritum mali quid inferatur; nec homini potestas est, ut ipse alterum non lacessitus lædat, nisi quantum necessitas imperii exercendi postulaverit.

§. 7. Ad injuriam quoq; proprie dictam requiritur, ut ex proæresi ea processerit. Inde non solent injuriæ venire nomine ejusmodi læsiones, quæ vel casu fortuito fiunt ab ignaro & invito; puta, si miles, dum jaculis se exercet in loco solito, transeuntem trajecerit, aut si putator in medio fundo ligna cædens, extraneum, cui nullum in eo loco versandi jus, improviso vulneravit: (Talia enim inter illa numerantur mala, quæ forte fortuna immittuntur, ubi de nullo homine querela instituci, aut restitutio damni postulari potest:) vel ex negligentia, quæ evitari potuisset ab inferente, siquidem justam diligen-

ligentiam adhibuisset, v. g. si quis propter viam publicam opus faciens prætereuntem læserit, nullo edito signo, ut sibi cavere posset. Item si quis opus aliquod susceperit, supra vires positum, quo male confecto alteri damnum detur; cum nemo affectare debeat, in quo intelligit, aut intelligere potest, imbecillitatem aut imperitiam suam aliis periculosam fore. Ejusmodi læsio JCtis communiter *Culpa* dicitur, quæ est vel *levissima*, ubi in circumspecte & indeliberate deviatur ab illa diligentia, quam supra communem modum diligentes homines solent adhibere: vel *levis*, cum non præstatur diligentium in eo genere hominum solertia: vel *lata*, quando non adhibetur communis industria. Culpa lata & levis in eo cum injuria conveniunt, quod obligationem faciunt resarciendi damnum per eam datum, quam levissima culpa non adfert, nisi quis expresse exactissimam & peculiarem diligentiam pactus fuerit. Sed & illæ læsiones communiter ab injuriarum classe excipiuntur, ubi intentio duntaxat est semiplena, puta, quando quis ad lædendum alterum impellitur vel ex adfectu necessario, ut fame, siti, &c. vel ex adfectu naturali, ut amore, dolore, metu, &c. Etsi proprie ista intentionis remissio non omnem injuriæ rationem tollat, sed duntaxat reatum temperet.

§. 8. Sed & invito debet fieri, quæ dicenda est injuria. Nam volenti non fieri injuriam etiam communi sermone tritum est. Cujus ratio est, quia bonum quod alteri volenti eripio, aut debitum, quod volenti non præsto, condonatum mihi ab eo censetur. At quis injuriam me fecisse dicet, si quod donatur acceperim? Nec pro malo reputari potest, quod quis sibi ipsi inferri vult, quippe cum malum abhorrentiam voluntatis necessario involvat. Ex quo etiam concludit nonnemo, antiquos quosdam barbaros, queis senio confectos occidere, & ad dapis usum convertere solemne fuit, non fecisse injuriam, quod ex consuetudine, in quam communiter con-

ſenſerant, adeóq; volentibus mors inferretur. Etſi in hoc iſtos legem naturæ violaſſe nemo inficias ibit, quod ſolo tædio moleſtiarum ſenectutis fata anticipare voluerunt. Ut nihil dicam, quam prorſus à communi ſenſu iſtius moris atrocitas abhorreat.

DEFINITIO XVIII.

Quantitas actionum moralium eſt modus æſtimativus, quo illæ dicuntur quantæ.

I. *Æſtimatio abſoluta actionum moralium qualis?*
II. *Determinatio Sphæræ moralis.*
III. *Defectus actionum quoad executionem.*
IV. *Objecta actionum diviſibilia vel indiviſibilia.*
V. *Defectus actionum quoad intentionem.*
VI. *Gradus intentionis.*
VII. *Actio perfecte bona quænam?*
VIII. *Peccatum maximum quodnam?*
IX. *Peccata graduũ remiſſorum.*
X. *Computatio quantitatis peccati.*
XI. *Qualis cognitio hominibus ſit circa quantitatem peccatorum?*
XII. *Relativa actionum æſtimatio ex eorundem objecto.*
XIII. *Ex ſtatu agentium.*
XIV. *Ex conditione actionis.*
XV. *Ex effectu & circumſtantiis.*
XVI. *Repetitio an intendat actionem?*
XVII. *Quænam officia alteri cedant, ubi utraq; obiri ſimul nequeunt?*

§. 1. Æſtimantur actiones morales vel *abſolute* & in ſe, vel *relate* & ad ſe mutuo. Æſtimatione abſoluta moralis actionis & quidem bonæ præciſe loquendo & quaſi geometrice nulla eſt quantitas; ſed ipſa bonitas velut in puncto conſiſtit, & eſt quædam quaſi coincidentia cum lege & congruentia, cujus nulla eſt menſura. Unde etiam formaliter & præciſe ſpectata actio

ctio bona non est altera melior, quippe cum recto non possit dari rectius, etsi materialiter & ratione objecti una sit præstantior & nobilior altera. Mala vero actio quoniam à lege declinat, distantiam aliquam omnino habet à lege, majorem, minorem, unde peccatum majoritatis & minoritatis rationem sortitur; quemadmodum una curvitas à rectitudine magis discedit quam altera. Est autem hæc à lege distantia neq; longitudini, neq; latitudini, neq; profunditati similis, quæ rectitudine mensurari possit; sed habet instar anguli rectilinei, cujus magnitudo arcu circuli ex puncto crurum communi tanquam centro descripti, cruribus dictis intercepto, mensuratur. Etenim uti regula legis, quæ præcise quid agendum sit, instar lineæ rectæ ductu suo monstrat, cruris primi rationem obtinet; ita voluntatis nostræ determinatio, quæ legis regulæ per conscientiam in angulari quasi puncto semper copulatur, alterum crus est, quod, si actio declinet à lege, certam distantiam velut angularem habet à crure primo, unde malarum actionum quantitas æstimatur. Sed ut circa punctum spatii quodcunq; in quo duæ pluréfve lineæ copulantur, infinitæ plagæ sphærica ratione circumjectæ concipiuntur, ad quas dictæ lineæ à se variis modis divergendo excurrere possunt; ita infinitæ viæ sunt, per quas à legis regula declinantes institui poterunt actionum malarum excursus. Unde non incongrue moralium actionum tractum instar sphæræ nobis imaginabimur, in cujus centro crurum anguli moralis tanquam radiorum concursus; in superficie vero puncta plagarum, ad quas radiorum est directio, notentur. Cæterum ut sphæra tribus distinguitur circuliis quasi cardinalibus, quorum & circumferentiæ, & plana, & diametri communes ad se mutuo perpendiculariter incidunt, quales in sphæra mundana sunt Horizon, Meridianus & Verticalis primarius; quorum ille tractum sphæræ longitudo-latitudinarium, iste crassitudinarium amplectitur; hic utrumq; priorem in duas par-

tes, & totam ſphæram in Hemiſphærium polare & antipolare dividit: ita ſimiliter in ſphæra morali tres notantur circuli quaſi cardinales, quorum primus inſtar Horizontis terminos & objectum, circa quod verſatur actio moralis, ipſúmq; exercitium repræſentat: ſecundus inſtar Meridiani mentis velut elevationem & intentionem agentis innuit: tertius inſtar Verticalis primarii utrumq; priorem in duas diſpeſcit partes, totámque adeo ſphæram moralem in hemiſphærium polare & antipolare diſterminat.



§. 2.

§. 2. Quod ut melius intelligatur, ſit in adjecto ſchemate, quod ſphæram repræſentat rectam, circulus B H E I Horizon rectus; circulus B K E L Meridianus, heic oblique viſus, & in ellipticam lineam degenerans; ſicut & circulus H S I Q Verticalis primarius, in ſphæra recta cum Æquatore coincidens. Sit communis Horizontis & Meridiani concurſus B punctum polare arcticum, quod plagam polarem adpellabimus; ſitq; alterum eorundem circulorum commune, ſed oppoſitum huic punctum E polare antarcticum, quod nobis heic dicetur plaga antipolaris. Concipiatur Deus ſcrutator cordium & oculatiſſimus actionum humanarum arbiter in centro ſphæræ moralis A, tanquam in corde noſtro, ex quo excurrat, & quidem à parte Dei radius legis A B velut Dei digitus, plagam polarem B tanquam Cynoſuram actionum noſtrarum præciſe monſtrans, poſitivo quidem dictamine, ut hoc fiat; alteram vero, & huic oppoſitam plagam antipolarem E velut oppoſita ſua facie poſt ſe relinquens, & negativo dictamine, h. e. prohibitione, ne hoc fiat, ſerio monens. Porro ex eodem cordis meditullio tanquam ſphæræ moralis centro concipiantur à parte hominis excurrere actionum moralium radii, & 1. quidem fundamenti loco radius conſcientiæ, tanquam radius legis ectypus; qui ſi rectus eſt, cum radio legis archetypo perpetuo coincidit &, uti quædam imaginis divinæ ſcintillula, ejuſdem directionem ad plagam polarem participat. Quod ſi minus fuerit rectus, puta vel propter duritiem & opacitatem cordis reflexus, (quæ eſt conſcientia erronea,) vel propter circumfuſam ſibi atmoſphæram refractus, (quæ eſt conſcientia probabilis,) vel ſcintillatione fluctuans, (quæ eſt conſcientia dubia & ſcrupuloſa,) illic ad oppoſitas plagas, iſthic verſus plagam quidem polarem, ſed velut per ambages quaſdam & non ita directe tendit; heic circa plagam polarem hic inde vacillat. 2. Radii actionum moralium formales,

males, qui physicè quidem, id est, quoad principium naturale, in puncto centrali A cum radio legis sunt contermini, hoc est, à DEO tanquam universali causa naturaliter movente simul dependentes; moraliter autem, i. e. quoad mobilitatis & tractus determinationem hominibus relicti, adeóque ex corde tanquam angulari puncto versus omnes plagas sphæræ moralis libere circumducibiles, adeo ut si homo velit, radius actionis moralis cum recto legis radio coincidere, vel ad latus alterutrum magis ac minus declinare, vel prorsus ad oppositum è diametro se convertere possit. Cæterum licet infiniti esse possint actionum radii; duo tamen sunt quasi cardinales, à quorum situ moralis quantitas petissimum dependet: unus eorum est velut Horizontalis, qui dici potest *radius exsecutionis*; alter velut in Meridiano decurrens, *radius intentionis*. Cæteri qui extra utrumque circulum cadunt, sunt quasi collaterales, & licitorum potius quam necessariorum rationem habent.

§. 3. Quibus sic determinatis, quod ad primum attinet, si ad ipsam plagam polarem in Horizonte incidat radius exsecutionis, nullam habebit à regula legis declinationem Horizontalem, & eatenus non erit peccatum. Quod si ab ea plaga declinet ratione exsecutionis peccatum erit, & quidem si actionis radius ad oppositum punctum E se convertat, hoc est, si homo non tantum quod lex jubet omittit, sed & simul ejus contrarium, quod lex opposita facie prohibere intelligitur, patrat, maximam dicemus actionis à lege declinationem Horizontalem. Sin radius humanæ actionis ad punctum H vel I excurrat, ubi perpendicularis est ad lineam Syzygiarum conjunctionis & oppositionis cum lege BE, nec magis in positivam B, quam negativam partem E propender, i. e. si, quod lex jubet ut fiat, tantum omittit, mediam à lege declinationem Horizontalem dicemus & peccatum omissionis. Quod si radius actionis

inter

inter B & H, vel inter B & I consistat, v.g. in puncto C vel G, ubi propius ad B quam ad E accedit, fieri quidem dicemus, quod lex jubet, sed imperfecte, dum non omne, quod in illa lege jubetur, actio exprimit, sed aliquantum, plus, minus, omittit. Quod peccatum crimine omissionis tanto minus judicandum, quanto minus actio omittit. Sin radius actionis inter H & E constituatur, v.g. in puncto D vel F, ubi propius ad E, quam ad B accedit, i. e. ubi non tantum omittitur, quod lex jubet, sed aliquantum etiam eorum, quæ lex infimul prohibet, non tamen prorsus è diametro oppositum, actione exprimitur, commissionis jam peccatum est, & tanto quidem majus, quanto radius actionis ad oppositum propius accedit.

§. 4. Heic autem notandum, quod objecta legum, quæ velut in Horizonte locantur, sint in duplici potissimum differentia. Quædam enim sunt *indivisibilia*, quædam *divisibilia*; i. e. quædam ita sunt comparata, ut necesse sit, ea aut tota exprimi per actionem, aut prorsus omitti, aut penitus contrarium fieri; in quibusdam autem etiam aliqua duntaxat pars potest exprimi, reliqua omitti, aut aliquid duntaxat oppositi fieri. Et in his iterum aliquid discriminis occurrit. Quædam enim objecta legum divisibilia comprehendunt ea, in quæ dividi possunt, *velut species*. Sic affirmativa lex quinti præcepti est, succurre necessitatibus corporis proximi tui. Hæc comprehendit sub se velut species conservationem vitæ, membrorum, sanitatis, averfionem dolorum, suppeditationem alimentorum tempore famis, &c. Opposita vero lex, quæ prohibet lædere corpus proximi, comprehendit sub se homicidium, mutilationem, vulnerationem, verberationem, &c. Sic sexti præcepti lex affirmativa, quæ castimoniam jubet, sub se continet puritatem cogitationum, verecundiam sermonis ac gestuum, puritatem corporis, &c. lex opposita impudicitiam prohibens complectitur adulteria, scortationem,

gestus ac motus impudicos, verba obscœna, &c. Heic verbi gratia, verba impudica non habent ad adulterium instar gradus, nec puritas animi ad puritatem corporum, proprie loquendo. Sed quia legislatores compendii gratia sub uno actu generali multos actus speciales voluerunt comprehendere, inde radius exsecutionis æque incidet in punctum B, si quis puritatem verborum conservet, quam si puritatem corporis; & contra idem radius æque incidet in punctum E si quis proximo præter fas colaphum inflixerit, quam si eundem occiderit. Adeóque harum actionum, ut & earum, quæ objectum habent indivisibile, declinatio horizontalis non potest esse, nisi per quadrantem aut semicirculum, id est, ubi non fit, quod lege præcipitur aut omittendum id est, aut contrarium faciendum. Ast vero quædam objecta legum ita sunt divisibilia, ut ea, in quæ dividi possunt, contineant *ad modum partium integralium*. Ubi non statim radius exsecutionis per integros quadrantes declinat, sed in gradus intermedios potest incidere, quorum tot possunt constitui, in quot partes notabiliores objectum dividere quis velit. Sic v.g. quando operario pro labore debeo XXIV. si prorsus mercedem illi denego, radius exsecutionis cadet in verticalem primarium: si partem duntaxat tribuam, reliquo subtracto, radius eo propius ad polare punctum verget, quanto minus de debiti summa detraho. Verum tales gradus tantum in hemisphærio polari exsistere posse videntur. Quando enim radius exsecutionis in alterum hemisphærium inciderit, i.e. si operario præter denegationem mercedis aliquid præter fas subtraham, prorsus alterius speciei fit actio, quæ priorem haud contingit, sed peculiari lege prohibetur.

§. 5. Quod alterum concernit, si radius Intentionis in ipsum punctum polare inciderit, nullam habebit actio declinationem à Lege meridianam, id est, nullam poli elevationem aut depressionem, nullámq; adeo obliqui-

liquitatem intentionis. Quod si radius Intentionis in Meridiani quidem semicirculo polari maneat, & ita ad polum quidem vergat, linea æstimativa per verticale punctum & per intentionis plagam ducta, (uti illi solent æstimare, qui extra sphæram sunt, & ad Horizontem tanquam visionis terminum omnia referunt;) nec tamen prorsus in ipsum punctum polare B incideri, intentio quidem ferri dicetur in id quod lex jubet, sed cum remissione, tanto quidem majore, quanto radius intentionis propius ad Verticalem primarium accesserit. In eo enim constituetur radius A K, A L, cum perpendicularis sit ad lineam Syzygiarum B E, nec magis in B quam in E propendeat, neque intentionem ejus quod lex jubet, neque oppositi habebit homo. Atq; ita quando fit, circa quod lege est dispositum ex Ignorantia, aut Coacte factum esse intelligetur Quod si fuerit actionis radius intra puncta Meridiani K B, vel L B, intentio quidem feretur in id, quod Lex præscribit, sed cum remissione majore vel minore, prout ab ejusdem negatione ad summam intentionem magis vel minus, secundum diversos gradus, radius accesserit.

§. 6. Gradus porro intentionis notabiliores in utroq; hemisphærio non inconcinne constitui possunt duodecim, quos in schemate limbus Meridiani repræsentat. Etsi ei, qui plures aut pauciores velit constituere, dicam haudquaquam simus scripturi. Quando itaque à puncto L versus B se movere incipit radius humanæ intentionis, in aliquem horum graduum incidat necessum est, qui hoc se ordine videntur excipere. 1. Species actionis bonæ in animum admissa. 2. Simplex adprobatio ejus tanquam honestæ. 3. Deliberatio an heic & nunc sit facienda. 4. Inclinatio in actionem per extrinsecam violentiam excitata. 5. Inclinatio in actionem ob metum damni. 6. Inclinatio in actionem improviso ex commoditate occasionis blandientis excitata. 7. Inclinatio in actionem qua utilem, i. e. ob

præ-

præmium. 8. Intentio ſemiplena languida & facile mobilis ſine legitimo, i.e. ad obedientiam legi præſtandam. 9. Intentio ſemiplena cum impetu conjuncta 10. Intentio plena facile mobilis, h.e. quæ diverſo objecto propoſito facile poſſit mutari. 11. Intentio plena difficulter mobilis. 12. Intentio plena firmiſſima, quæ præciſe in punctum B incidit. Quando autem à puncto L verſus punctum E diſceditur, totidem quoque occurrere videntur gradus. 1. Species peccati in animum admiſſa. 2 Simplex adprobatio peccati tanquam utilis aut jucundi 3. Deliberatio an ſit faciendum. 4. Inclinatio in peccatum per extrinſecam violentiam excitata. 5. Inclinatio in peccatum ob metum damni. 6. Inclinatio in peccatum per ſeductionem aliorum ex inconſiderantia. 7. Inclinatio in peccatum ob utilitatem adparentem. 8. Intentio ſemiplena, languida & facile mobilis ex inobedientia. 9. Intentio ſemiplena cum impetu ſeu adfectu conjuncta. 10. Intentio plena facile mobilis. 11. Intentio plena difficulter mobilis. 12. Intentio plena firmiſſima, quæ in ipſum punctum E incidit. Fatemur tamen priores tres gradus utrinq; eſſe potius actus quoſdam velut præliminares ad eliciendam inclinationem ſeu intentionem, quam gradus intentionis proprie dictos. Igitur ſi jam in eodem Meridiano progrediens radius intentionis incidat in antipolarem ejus ſemicirculum K E L, qui oppoſitum ejus, quod lex præſcribit, puncto E complectitur, intentio in oppoſitum ferri intelligitur; & quidem ſi radius punctum E præciſe monſtret, ſumma intentione totum oppoſitum perpetrabitur. Quod ſi in eodem Meridiani ſemicirculo radius actionis incidat in puncta intermedia, quorum inſignes differentiæ gradibus ſunt notatæ, minore vel majore intentionis remiſſione fieri dicetur actio, prout gradus, in quem radius inciderit, propius vel longius à puncto E abfuerit.

§. 7.

§. 7. Ex hactenus dictis adparet; I. Ut actio sit perfecte bona, requiritur, ut uterque radius tam Exsecutionis, quam Intentionis præcisè incidat in punctum B, i.e. ut non tantum omnia fiant, quæ lex præscribit, sed etiam, ea intentione atque animo, prout lex requirit. Equidem qui in Rep. hominum homines leges ferunt civiles, utplurimum adquiescunt, si actus legibus præscripti fiant, quæcunq; demum agentium sit intentio; quippe cum legibus suis respiciant utilitatem Reip. quæ plerunq; ex actus exteriore exercitio sufficienter resultat, licet agens eam fors directe non intendat. Etsi contra circa actiones legibus contrarias quam maxime de intentione agentis solicita sint fora humana, adeo ut raro pœnam imponant, ubi dolus malus abfuisse probatur. Ast Deus, qui lege sua animos hominum in sui obsequium maxime voluit devincire, non tam actum exteriorem æstimat, quam intentionem agentis, qua sese ad obsequium legis determinat. Inde est, quod in illo legis divinæ compendio jubeamur DEUM diligere ex toto corde, ex tota anima, totisq; viribus, & proximum sicut nos ipsos.

§. 8. II. Si uterq; radius tam Exsecutionis quam Intentionis præcisè feratur in oppositum punctum E, maximum est peccatum in isto genere, nempe quando non solum directe oppositum ejus, quod lege jubetur, sed etiam cum ea intentionis firmitate fit, quam lex alias ad obeundam actionem bonam requirebat.

§. 9. III. Quod si alteruter aut uterq; horum radiorum à puncto B declinaverit, ita tamen ut adhuc uterq; in hemisphærio polari maneat, in se quidem actio erit non bona, inter homines tamen uncunq; pro bona censebitur. Qui etiam actionem in qua uterque radius propius à puncto B abfuerit, dicere solent meliorem actione ejusdem speciei, in quo radii à dicto puncto longius abfuerint: etsi proprie ista minus mala sit dicenda quam hæc. At quando uterq; radius in hemisphærium anti-

antipolare inciderit, ne in humano quidem foro quidquam bonitatis tali actioni ineſſe judicabitur. Contingit vero etiam, ut radius Exſecutionis incidat in hemiſphærium polare, radius Intentionis in antipolare; & contra. Illud fit, quando actio ratione objecti bona ſuſcipitur ſine malo; ut ſi quis cum intentione alterum vulnerandi gladio diſſecuerit vomicam alias incurabilem, qua ſecta iſte ſanitati reſtituatur. Hoc evenit, quando ex conſcientia erronea cum intentione bona actio ſuſcipitur, quam agens bonam putabat, licet in ſe mala ſit.

§. 10. Cæterum determinatur quantitas actionis malæ ex quantitate anguli, quem uterq; radius exſecutionis & intentionis facit cum radio legis; qui quo major eſt, eo majus etiam ſit peccatum, & contra. Adeóq; attendendum eſt non ſolum, quantum quis actionis præceptæ omiſerit, aut vetitæ præſtiterit, ſed etiam qua intentione idem fecerit. Et quidem conjungenda eſt quantitas utriuſq; anguli. Sic ponamus ſemicirculum Horizontis complecti gradus 24. Meridiani quadrantem 12. Hoc modo ſi uterq; radius inciderit in punctum E, peccatum intelligetur eſſe graduum 36. Si radius Exſecutionis inciderit v.g. in gradum 15, Intentionis in 9, peccatum erit graduum 24, & ſic deinceps. Sed cum peccati abſolute ſpectati quantitas potiſſimum ex intentione creſcat vel minuatur, ideo iſthæc quoque in illa determinanda cumprimis erit reſpicienda.

§. 11. Ex dictis iſta quoque fluunt conſectaria. 1. DEUM in centro ſphæræ conſtitutum minutiſſimam etiam aberrationem accuratiſſime notare, nec vergentia tantum eſſe contentum, ſed requirere omnimodam actionis cum regula legis coincidentiam, tam quoad radium Exſecutionis, quam Intentionis. Quo rite expenſo nemo erit, qui coram DEO probitatem ſuam jactare ſuſtinebit. 2. Judices humanos, cum poſiti ſint extra

extra centrum sphæræ, i. e. cum agentis cor penetrare nequeant, non adeo accurate judicare posse de actionum quantitate. Præprimis quia intentionem agentis, quæ tamen maxime huc facit, non possunt cognoscere, nisi ex signis in sensus incurrentibus, quæ nunquam absolute infallibilem gignunt scientiam de iis, quæ intus fuere voluta. Hinc isti actionum qualitatem æstimant duntaxat sensualiter, i.e. prout sagacitatis humanæ conditio permittit. Non secus ac in Astronomicis quæ ultra decades minutorum secundorum excurrit parallaxis pro insensibili judicatur, & visus locus cum vero coincidere supponitur, licet indefiniti adhuc arcus minores inter utrumque intercedant; scil. quod oculus noster non consistat in puncto, sed crassis humoribus & pluribus lentibus, in quibus radiorum fit refractio, sit circumdatus, ut tantam subtilitatem percipere haud valeat. Sic in foro humano, quæ acumen judicii nostri fugit intentionis, quin & exsecutionis declinatio non attenditur, juxta tritum illud: minuta non curat Prætor. Quin illic circa actiones malas vix in plures dividi gradus intentionem audias, quam duos, plenam scil. & semiplenam. 3. Actionis bonæ formaliter & in se nullum omnino esse meritum; malæ vero tanto majus esse demeritum, quanto radius uterq; à puncto B longius recesserit. Et is defectus formalis actionis, nisi condonetur, satisfactione æquivalente erit compensandus. Atq; isthæc quæ hactenus diximus, ad singulas actiones morales adplicari possunt & debent.

§. 12. Relatæ & ad se comparatæ actiones æstimantur, prout hæc præstantior aut deterior vel nocentior altera dicitur, & quantum ad bonas, prout una alteri cedere debet, quando utraq; simul expediri nequit. Determinatur autem hæc quantitas relativa actionum I. *Ex earundem objecto.* Prout enim hoc est nobile & pretiosum, ita præstans quoq; & nobilis censetur actio præ altera, cujus objectum minus est tale; & contra eo gravior

vior ac deterior habetur actio, quo præstantius bonum fuerit violatum. Inter ista autem objecta uti nobilitate immensum excellit Deus O. M ; ita merito pra cæteris maxime detestanda habetur actio, quæ directe in ipsius contumeliam tendit. Ejusdem autem cultus in animo potissimum consistens uti universæ vitæ actum temperare debet ; ita ipso volente actiones illæ, queis externus in ipsum cultus expromitur, cedunt his, quæ insignem aliquam hominibus utilitatem adferunt. Proximum ab his gradum obtinent, quæ universam hominum societatem, post, quæ publicam civitatis tangunt. Inde singuli succedunt. Circa hos Christianam fidem professi maximum censemus bonum salutem animæ æternam, maximum malum ejusdem perditionem. Hanc excipit vita, quæ fundamentum bonorum omnium temporalium. Pari fere passu cum vita ambulant pudicitia, honestas civilis seu fama, & quæcunq; ita ad vitam sunt necessaria, ut sine iliis aut prorsus non servari, aut non nisi miserrima trahi queat. Quo pertinent membra non vitalia, quæ nobilitate usus sui æstimantur. Inter cætera bona, quæ vitam duntaxat reddunt ornatiorem & jucundiorem, & queis, ea utcunq; carere possit, animi bonis cedunt bona corporis, & his bona fortunæ. Enimvero pleraq; bona aut mala varias admittunt intensiones & remissiones pro subjectorum, quibus exhibentur & inferuntur, disparitate quoad statum, felicitatem vel infelicitatem, ætatem, tempora seu necessitates, peculiarem adfectum, quo inclinantur in particulare aliquod bonum, vel à certa mali specie abhorrent, &c. quæ omnia accurate observantur in determinatione meriti actionum indebitarum, nec non ex parte circa pœnas imponendas.

§. 13. II. *Ex statu & conditione agentis.* Quo facit trium illud : Omne animi vitium tanto conspectius in se crimen habet, quanto qui peccat major habetur. Sic idem specie peccatum notorium à sacerdote commissum

ſum gravius cenſetur eo, quod ab alio. Sic ab hoſte exhibitum beneficium majus judicatur eo, quod ab amico; & contra ab amico profecta injuria gravius afficit, quam ab hoſte illata. Et à ſordido aliquo homine illudi gravius, quam ab æquali aut majore; à liberis & ſervis propriis, quam ab alienis. Nec parum intereſt, mulier an fœmina, vir an adoleſcens & puer, ſenex an juvenis, magiſtratus an privatus, vir præclarus an obſcurus, barbarus an culta ex gente aliquid faciat. Naturalis enim animi firmitas actionis malitiam aggravat; uti ejuſdem imbecillitas ipſarum bonitatem illuſtrat. Et ſtatus ſplendor malefactis turpitudinem, ejuſdem obſcuritas præclare factis admirationem fœneratur.

§. 14 III. *Ex conditione actionis*, prout facile aut difficulter potuit exerceri. Bona actio, cæteris paribus, quo difficilior, eo pulchrior; mala contra quo facilior vitatu, eo deterior cenſetur alia actione ejuſdem ſpeciei, cui iſta conditio non adfuit. Huc quoque facit, an animus agentis affectu vacuus fuerit, an iiſdem agitatus. Nam hi ubi in objectum actionis tendunt, eandem facilem, ſi in contrarium, difficilem reddunt. Quos inter, qui mali ſpecie excitantur, acriores plerunq; ſubdunt ſtimulos, certe plus favoris aut miſerationis habent, quam quos boni ſpecies irritat. Inde multum differt, quantum ad turpitudinem, perjurium ex metu mortis commiſſum, quam quo lucri cauſa depoſitum abnegatur. Et fur famis aut egeſtatis cauſa aliena furripiens minus turpis habetur, quam qui per inſatiabilem auri cupidinem alios expilat. Nec parum refert, recentine adfectu, an diu concocto quid feceris; quippe cum recentes impetus violentius ruant, eoque; difficilius iiſdem non abripi; quos mora temporis imperio rationis magis reddunt obnoxios. Sic etiam qui primus in aliqua civitate peccatum quoddam committit & velut docet, gravius peccat, quam cui peccantium circumſtans frequentia pudorem eripuit.

§. 15.

§. 15. IV. *Ex effectu & consequentibus actionis* bonis aut malis quorum illa, quo præstantiora & majora, eo præstantior actio; hæc, quo plura & graviora, eo deterior censetur alia ejusdem speciei, quam ista non consequuntur. V. *Ex circumstantiis loci ac tempo is*, quæ facta non parum gravant aut elevant. Sic idem peccatum in loco publico & coram arbitris commissum gravius est, quam quod occultari studetur; tum quod quæ teguntur saltem exemplo minus noceant, tum quod valde intensa judicetur fuisse malitia ejus, qui peccatum suum ostentat, & ex eo gloriam aucupatur. Sic cum rebus ad cultum divinum spectantibus reverentia aliqua debeatur, fœdius est in templo stuprum committere, quam in caupona. Sic in consessu judicum pulsari gravius est, quam intra privatos parietes. Sic qui profesta die inebriatur, cæteris paribus, minus peccatum admittit, quam qui die precibus aut pœnitentiæ peculiariter destinutio helluatur, &c.

§. 16. Repetitio autem rarior aut frequentior ejusdem speciei actionis in se non reddit actionem meliorem aut deteriorem, nisi quatenus indicium est, eam ex habitu proficisci. Qui cum circa actiones morales maxime attendatur, (quippe cum ex habitu susceptæ actiones cum plena plerunq; intentione fieri intelligantur,) satis claret; cur communiter præstantior censeatur actio bona, quam quis sæpe ante ediderant, illa, quæ nunc prima aut altera vice exercetur; scilicet quod hæc non tam plena cum intentione, uti illa susceptæ judicetur: item cur mala sæpius repetita gravior judicetur, quam quæ semel aut bis tantum ab eodem fuit commissa. Non obstante, quod habitus bonus actionem bonam facilitet, malus contra difficultatem à mala actione abstinendi pariat. Nam labor in comparando habitu bono facit, ne minoris sit actio facile & cum voluptate à bona exercita; & eo majus est odium mali, quod male agendo

agendo effecerit, ut vix aliter quam male possit agere. Id quod etiam in irrogatione pœnarum ab hominibus facta observatur. Facilius enim venia donatur, aut levius plectitur, qui prima vice deliquit, (nisi forte enorme sit flagitium,) quam qui sæpius ad eundem impingit lapidem, idq; ob intensionem propositos, ex qua tale delictum adparet susceptum. Quandoq; etiam priorum venia delictorum à futura emendatione tanquam conditione suspenditur, quæ ubi deficit, cum repetiti illius peccati vindicta antegressorum quoq; omnium pœna simul exigitur. Unde adparet, quo sensu verum sit illud vulgare: Nunquam crescit ex postfacto præteriti delicti æstimatio.

§. 17. Quantum autem peculiariter comparationem actionum bonarum & officiorum concernit, de iis, quodnam alteri cedere debeat, ubi simul utrumq; expediri nequit facile poterit ferri judicium, si sequentia observentur. 1. Semper affirmativum præceptum cedit negativo, i. e. nemo potest recte aliquid agere à lege naturæ præceptum, ut simul necessario agat aliquid ab eadem interdictum. Cujus ratio est petenda ex natura præceptorum affirmativorum & negativorum, quod horum obligatio sit perpetuo uniformis & æquabiliter efficax, illorum autem occasionem supponat, quæ adesse non intelligitur, ubi quid citra legis violationem fieri nequit. Unde talia moraliter impossibilia judicantur. Hinc nemo potest alterum injuria afficere, fidémve fallere, ut vel suum suorúmve commodum promoveat, aut gratitudinis & beneficiorum materiam nanciscatur. 2. Obligationi perfectæ mutuæ hominis utriq; respicienti cedit obligatio imperfecte mutua. Sic quæ ex contractu debentur potius solvenda sunt, quam quæ ex promisso gratuito aut lege gratitudinis, si utraq; simul expleri nequeant. 3. Lex beneficentiæ cedit legi gratitudinis, cæteris paribus. Quia prius velut jus aliquod & favorabilius est gratitudini in istud objectum, quam beneficen-

tiæ; quippe cum illa requirat ut reddas, hæc ut prior des; adeoque tali casu ob concurrentem gratitudinis necessitatem beneficentiæ objectum deesse intelligitur. Quod eousq; valet, ut beneficentia etiam propinquis nostris exhibenda post gratitudinem esse debeat, nisi ista forte cum arctiore aliquo debito sit conjuncta. 4. Inter illos, queis ex affirmativo præcepto aliquid debemus, vim duntaxat legis naturalis, non civilis habente, propinquitas personarum prævalet, quæ communiter ista habetur, ut post propriæ curam personæ sequantur liberi, parentes, propinqui, & deniq; quilibet homines, ac inter hos prout vel indigentia laborant, vel prout aliis deinceps utiles videntur futuri, si ipsi à nobis adjuventur. Ubi à prioribus semper subsequentes excludi intelliguntur in pari indigentiæ aut auxilii genere. Etsi major beneficii necessitas in posterioribus priores etiam cedere faciat, præsertim ubi his alia vice commodius satisfieri potest.

APPENDIX

Ad Def. XVIII. in qua explicatur Sphæra moralis.

UBerioris doctrinæ & illustrationis gratia in schemate præter intensionis & executionis gradus etiam actionum moralium objecta in classes certas distincta per orbes exteriores repræsentari possunt. Idque omnium, ut videtur, commodissime, si decem velut orbes humanarum actionum constituantur secundum Decalogi ductum, singulsq; in duo hemisphæria, polare scilicet, quod complectatur præceptas actiones, & antipolare, in quo locentur oppositæ præceptis actiones, dispescantur. Et quidem ad analogiam systematis Copernicæi

pernicieſi Sol in ipſo mundi centro poni poteſt, utpote qui nobis repræſentabit ipſum Deum O. M., cujus alias naturam vix commodiore quia ſimili illuſtrabit, quam quod à centro & peripheria circuli eſt petitum. Præterquam enim quod uti ex centro peripheria, ita à Deo reliqua cuncta producantur, etiam in hoc eſt maxima convenientia, quòd uti reſpectu centri in peripheria nihil adſcendit, nihil deſcendit, nihil accedit, nihil præterlabitur, nihil propius adeſt, nihil remotius diſtat, nihil dextram partem obtinet, nihil ſiniſtram, nihil ſupra, nihil infra ſitum eſt, ſed omnia ſunt ipſi centro eodem modo præſentia, quamvis continuo motu circumcirca moveatur circulus, ita reſpectu Dei nihil præteritum, nihil futurum, nihil propinquum magis, nihil remotum, licet continua durationis ſucceſſione circumcirca quaſi moveantur res creatæ, adſcendant, deſcendant, oriantur, occidant: *vid. Erhardi Weigelii diſput. de* Durazione *Lipſiæ* Anno CIↃ IↃC LII. habitâ theſi XL. Quo inter alia reſpexere fine dubio Pythagorici longe ſapientiores, quam à quibuſdam vulgo putantur, dum Deum definierunt per ſphæram, cujus centrum eſt ubique, peripheria autem nuſquam. Peculiariter autem centrum actionum moralium, uti ſupra quoque dictum fuit, dici poteſt, dum in corde hominis velut centro conſtituunt, non ſolum ad eſſe phyſicum actionum influit, & digito ſuo polum, i.e. actionis rectitudinem deſignat, ſed etiam dum ad eum omnes actiones humanæ, velut ex peripheria in centrum recurrunt. Deprehendimus autem digitum Dei omnium primo ſeipſum oſtendere, adeóque primarium objectum actionum moralium conſtituere Deum ipſum. Quemadmodum autem in Sole tria potiſſimum ſpectamus, ſubſtantiam, calorem & lucem; Ita in tres potiſſimum claſſes eſſe noſtræ erga Deum actiones diſpeſcunt. 1. ut eum agnoſcamus prout eſt Ens ſummum, unum, optimum, maximum, quod ob Majeſtatem ſuam à nobis ſit venerandum, colen-

dũ & honorandum ſuper omnia. 2. Prout ens eſt benevolum, cujus calore velut foveamur & animemur, quo reſpectu ipſius nomen unice à nobis invocandum & reverenter habendum. 3. Prout eſt ens gloriofiſſimum, quod laudis & gloriæ ſuæ ſplendorem ab hominibus vult videri & celebrari. Quæ tribus prioribus Decalogi præceptis continentur & tres priores orbes noſtri ſyſtematis occupant. Solem ſequitur Terra mater, quâ notamus perſonas hominum, à quibus dependemus, puta ſuperiores noſtros, qua tales, qui ex eadem nobiſcum terra conſtant, & quorum Majeſtas intra terræ limites coercetur ut ſunt Parẽtes, & qui Parẽtũ ſunt inſtar Tutores, Magiſtratus, Præceptores, Domini, quibus honoré competentem exhibere & juſſa eorum legitima capeſſere tenemur, quæ in quarto præcepto ſanciuntur. Quinto loco ſuccedit Sphæra Martis, quæ notat actiones hominis & vitam corpúſq; concernentes, quod Mavortiis actionibus violatur ac perditur. Iſta quinto præcepto continentur. Excipit Martem Venus, quibus innuimus actiones ab illa denominationem ſortientes, ita dirigendas eſſe, ut impolutum ab omni libidine illicita corpus animúmq; ſervemus, ac thori alieni ſepta ne ſolicitemus. De his ſexto præcepto cavetur. Septimam Sphæram obtinet Mercurius, apud Aſtrologos eorum ſignificator tum qui per commercia rem faciunt, tum queis non amiſſæ res inveniuntur. Diſponitur itaq; hic de illis actionibus, quæ à Juſtitia commutativa oriantur, ac cuivis interdicitur, ne dum piceatas Autolyci manus æmulatur, ſtirpem ſuam à Mercurio arceſſere velle videatur. Hæc ſeptimi præcepti eſt ſumma. Octavo orbe notatur Jupiter, qui ex decreto Genethliacorum bene diſpoſitus bonam famam promittit; læſus aut debilitatus arguit hominem virulentæ linguæ, detrectatorem, fronte ſerena, ſed poſtquam coram blanditiis credulos demulſit, abſentibus poſticam aſpergere infamiam gaudens. Linguæ igitur heic frena injiciuntur, ne illa aliorum

liorum famam præter fas involare aut mendaciis graſſari audeat, ſed ut honeſtis potius excuſationibus eorum nævos tegat, & cuivis debitam laudem tribuat. Iſta octavo promulgantur præcepto. Nonum orbem aſſignamus Saturno, decimum Lunæ, quorum iſte ex mente Aſtrologorum index eſt domicilii, hæc vero conjugii & liberorum. De priori nono præcepto, de poſterioribus decimo diſponitur, ne ad ea animum adjiciamus cum intentione verum Dominum iiſdem defraudandi. Sed ſi ex ſententia multorum Theologorum nono præcepto actualem concupiſcentiam, decimo originalem prohiberi ſtatuimus, alio titulo orbes ſuos tenebunt dicti Planetæ. Non abſurde enim frigidus ille & tardus ac triſtis Saturnus denotare poteſt motus illos appetitus in homine, qui eum ad omne bonum agendum frigidum reddunt ac languidum, ac apud probos triſtitiam excitant, dolentes hiſce ſe ſordibus prorſus heic liberari non poſſe. Luna autem fœcunditatis ac humorum Domina ſignificat ferale illud venenum naturæ noſtræ penitus infuſum & innumera ſemper peccatorum ſobole fœcundum. Quod etiam facit ut ratio noſtra non niſi in caligine rerum terrenarum aliquid ſplendoris habeat & perſpicaciæ, in luce autem ſpirituali prorſus cœcutiat; non ſecus ac Luna, noctu quidem pallidos ſuos jactare audet vultus, per diem verò in obſcuræ nubeculæ faciem evaneſcit. Sed hæc ὡς ἐν παρέργῳ ſaltem doctrinæ gratia, & ut rerum moralium quantitas eò clarior reddatur.

DEFINITIO XIX.

Effectus actionis moralis dicitur id, quod ab ea producitur.

I. *Effectus actionum formalis.* II. *Effectus materialis.*

§. 1. NOs hoc potissimum attendimus effectum actionum bonarum & malarum qua talium, qui est vel *formalis* vel *materialis*; ille iterum est vel *internus* vel *externus*. Internus effectus actionis bonæ est adprobatio conscientiæ consequentis in illius actus recordatione se suaviter delectantis. Internus effectus actionis malæ est condemnatio conscientiæ consequentis, & perturbatio animi cum anxietate in facinoris contemplatione hærentis, & conscios cum pudore aversantis. Effectus actionis bonæ externus est adprobatio istius facta ab hominibus probis, ac potissimum ab eo qui actionem illam præcepit, item bona existimatio & honor. Effectus externus actionis malæ est improbatio istius facta ab eo, qui illam vetuit, aliisq; viris bonis; item mala existimatio & ignominia.

§. 2. Effectus materialis actionis bonæ proficuæ & quidem indebitæ est *Merium*; malæ *Demeritum*; quorum illud pensatur per *mercedem* & *præmium*, hoc consequitur *Pœna*.

DEFINITIO XX.

Meritum est qualitas moralis æstimativa in hominem ex actione indebita resultans, secundum quam illi debetur bonum æquipollens ab eo, in cujus gratiam ista actio fuit suscepta.

I. *Ex actione debita nullum est meritum.*
II. *Sed ex indebita duntaxat.*
III. *Quid merces, quid præmium?*

S. 1. FUndamentum & velut scaturigo meriti est præstatio operis indebiti, seu ad quod à nobis habendum alteri, in cujus gratiam id præstatur, jus non erat. Si enim alteri ea duntaxat exhibeo, ad quæ exhibenda perfecte obligor, ita ut iste potestatem habeat à me eadem exigendi, utiq; patet, eo ipso dum illud præsto, me tantum explere debitum atq; obligationem meam, ac in ipsa actione nihil velut redundans esse, ex quo meritum mihi queat enasci. Unde constat, mortali nullum omnino meritum adversus Deum esse posse, etiamsi demus, ipsum perfecte legem divinam posse implere, adeóq; Deum nullo modo fieri posse hominum debitorem, nisi ex gratuitæ promissionis veracitate, quæ ipsa tamen nullum homini jus confert. Sic & cæteræ actiones, quæ ab hominibus nobis pro imperio injunguntur, non possunt nobis immediate gignere meritum adversus eum, qui injunxit. Etsi tam Deus quam homines, qui aliquem perfecte possunt obligare, sæpe certa quædam bona soleant constituere & conferre iis, qui jussa sua impleverint, ad excitandam obsequii promptitudinem; ad quæ exhibenda non ex merito agentis, aut tanquam ex contractu, sed vi promissionis liberalis tenentur.

nentur. Unde ea non mercedis aut præmii debiti, ſed doni aut præmii gratuiti nomine veniunt.

§. 2. Superſunt igitur ad adquirendum adverſus homines meritum illæ actiones, quæ ipſis non debebantur, ſive nulla prorſus obligatio ad eas præſtandas adſtringebat, ſive natura quidem eaſdem ſuſcipi jubebat aut ſuadebat, adplicatione tamen ad individua in noſtro relicta arbitrio, ſive jure ſaltem civili non præcipiebantur. Ratio horum eſt, quia quæ alteri perfecte debeo, ad ea ipſe jam habet jus, adeo ut ſi illa præſtem, proprie nihil mihi decedat de eo, in quod ipſe pro præſenti tempore jus habeo; quippe cum, ubi eadem retinuero aut negavero, injuriam alteri faciam. Quod ſatis oſtendit, ea iſtius jam eſſe, ac nequaquam amplius mea, adeóque illis exhibendis nullum merito relinqui locum. At vero quando extra obligationem perfectam aliquid alteri præſto, illud utiq; cum mihi decedat, alteríq; adcreſcat, relinquit apud me jus perfectum aut imperfectum ad habendum ab altero, in quem iſtud fuit collatum, quod pretio ejuſdem æquipolleat. Et hoc ipſum meritum eſt.

§. 3. Meriti expletionem quando expreſſe ſtipulamur, *Merces* proprie dicitur. Sed quando expletio illius, quantum ad modum, tempus & quantitatem in arbitrio & æquitate alterius relinquitur, *Præmium* vocatur. Quod eſt vel res corporalis, ut pecunia, ager, domus, &c. & incorporalis, ut conceſſio immunitatum, privilegiorum, certorúmq; jurium; vel moralis, ut honor, laus, &c. vel notionalis, ut ſtatuæ, inſcriptiones, coronæ & ſimilia.

ab

DEFINITIO XXI.

Demeritum est qualitas moralis æstimativa, ex actione mala in hominem resultans, qua tenetur pensare damnum alteri ista datum.

I. *Qui læsit alterum, tenetur ad restitutionem damni & cautionem.*
II. *Qualis cautio requiratur de jure naturæ?*
III. *In civitatibus cautio præstatur per Pœnam.*
IV. *Fines pœnarum.*
V. *Pœnæ quotuplices?*
VI. *Ad pœnam nemo tenetur.*
VII. *Pro alio nemo potest puniri.*
VIII. *Ad quam mensuram pœnæ imponendæ?*
IX. *Lex divina an mensura pœnarum inter homines?*
X. *Quid de talione judicandum?*
XI. *Quæ æqualitas in pœna observanda?*
XII. *Quænam obligatio Magistratui ad pœnam sumendam?*

§. 1. IN quibuslibet peccatis, saltem quæ ad alium terminantur, duo inveniuntur; ipse defectus seu distantia à norma legis secundum exsecutionem vel intentionem, & damnum alteri per id directe aut indirecte datum. Quid circa utrumq; in foro humano observari soleat & debeat, nobis heic dispicere labor est, nam Tribunalis Divini edicta uti excutere non est nostrum, ita isthæc eo trahi nolumus. Certum igitur est, quemlibet hominem ex lege illa naturæ de non inferendo alteri per quod pax & societas humana turbetur, teneri ad pensandum alteri damnum sua culpa quoquo modo datum, &. si ex malitia id processerit, cautionem de non offendendo in posterum dare.

§. 2. Inter eos porro, qui nulla civili lege nexi, solo naturæ jure inter se utuntur, ad nullam aliam videtur cautionem præstandam idem jus naturæ obligare, siquidem

dem quis pœnitentia ductus, sponte & non vi adactus, ad damnum pensandum sese obtulerit, quam ut simplici adseveratione, vel etiam juramento fidem suam obstringat de omittendis in posterum offensis. Idq; quia ista hæc pœnitentia sufficienti est indicio de mutatione animi ac firmo proposito ab injuriis sese deinceps abstinendi. Adeóq; si qui damnum acceperat, ista hac contentus esse nolit, sed ex iniqua diffidentia aut asperitate quadam animi per vim ampliorem velit cautionem extorquere, cum per legem naturæ alter ad eam non teneatur, culpa violatæ pacis penes ipsum hærebit, ac recte vi alter resistere potest illi, qui ex vindictæ cupidine, aut nimio metu æqua satisfactione contentus esse non vult. Quo casu fit, ut, qui injuriam intulit, justum, qui accepit, injustum bellum gerat. Verum ubi per vim quis ad satisfaciendum est adigendus, cum idipsum satis obstinationem ejus in malitia ostendat, nec satisfactio obtineri possit, nisi offensus viribus lædentem superaverit, penes victorem est, quali cautione securitati suæ quam rectissime judicet prospectum. Ubi non tantum ad ereptionem armorum, demolitionem aut occupationem locorum munitorum, ad obsides, perpetua vincula & similia potest procedi, sed etiam ad ipsam mortem, siquidem satis constiterit libertati restitutum exitium nobis intenturum, nec commodius remedium sit eidem evitando. Cæterum ad hujusmodi cautionem præstandam aliquem teneri proprie dici non potest; quia ista in eo, à quo extorquetur, supponit & involvit vitium aliquod animi, & peccatum in legem naturæ, scilicet denegationem spontaneæ satisfactionis, ac violentam peccati sui defensionem.

§. 3. Enimvero civitates uti sunt institutæ societati inter homines firmioribus adstringendæ vinculis; ita quas ipsæ ferunt leges eo tendunt, ut non tantum civibus præscribatur, quid cuiq; sit tribuendum, & quomodo cuiq; damnum alterius culpa aut malitia datum pensandum

sandum; sed etiam quibuslibet, quantum fieri potest, in antecessum velut caveatur de injuriis & damnis non accipiendis, *Pœnis* scilicet in delinquentes constitutis. Præprimis cum rarissime inveniantur, qui ad injuriæ suæ pensationem citra vim aut metum descendant, nec sine turbis dentur damna & injuriæ, si vel maxime post sponte eadem sarciantur. Maxima igitur & commodissima cautio de securitate, quam quidem societatis humanæ conditio fert, est ista, ut per pœnam damnosius sit alteri nocuisse, quam non nocuisse. Ad istum finem omnes pœnæ, quas homines de hominibus sumunt, tendere debent. Nam ut homines nihil præter dolorem in eo qui punitur, spectent, tum humanæ mansuetudini naturæ repugnat, tum prorsus est inutile: ac non nisi puerorum ac mulierc ularum est, ex malo lædentis solatium dolori suo arcessere. Unde parum cum ratione congruere videtur, quod apud nonnullas civitates v. g. in homicidio penes occisi cognatos est, homicidæ pœnam condonare aut relinquere, quasi non ob exemplum, sed malcendo ipsorum luctui hominem jugulari par sit.

§. 4. *In* civitate igitur, præterquam quod per summam potestatem, qui deliquit, adigitur, ut alteri damnum datum resarciat, quantum natura admittit, de futura securitate omnibus cavetur, per inflictionem pœnæ, cujus asperitate omnes à peccatis absterreantur. In quibus imponendis respicitur utilitas tum ejus, cujus interest non esse peccatum, tum cæterorum promiscue omnium, nempe ne in posterum iste aut hi tale quid patiantur ab eodem aut ab aliis. Quorum prius effici potest, si vel tollatur qui deliquit, vel si vires nocendi auferantur, vel si malo suo dedoceatur delinquere. Ne ab aliis lædatur, pœna facit aperta & conspicua, quæ per exemplum aliis terrorem incutit. Quæ autem inflictiones dolorum præter emendationem ejus, qui peccavit, nihil aliud spectant, pœnarum nomine vix recte venire

nire possunt; etsi pleræque pœnæ, quæ intra supplicium capitis subsistunt, istum quoq; effectum simul producant.

§. 5. Possunt autem pœnæ tripliciter dividi, nempe in *reales*, quæ luuntur corpore vel ære. quo pertinent quoque remotiones ab officio lucroso qua tali; *morales*, uti sunt objurgatio, relegatio, ignominia, infamia, diminutio capitis, &c. & *nationales*, uti sunt nominis & effigiei in patibulum suffixio, demolitio statuarum, eratio nominis ex tabulis alicujus societatis aut operibus ab ipso statutis, adjecta eidem nota ignominiosa, & similia. Quæ omnia ideo adplicantur, ut illi, cui infliguntur passionem aliquam adferant. Hinc etsi quibusdam pro pœna imponi soleant opera laboriosa; spectantur tamen eadem, quatenus agenti molesta sunt, adeóq; pro passionibus heic reputantur.

§. 6. Ex quibus colligitur, quare haud recte dici possit, ad pœnam aliquem teneri, seu pœnam ab aliquo deberi; quia pœna significat aliquid, quod invito est imponendum, & involvit abhorrentiam voluntatis ab illa; (alias enim non esset apta ad finem suum, nempe intuitu sui homines à maleficiis absterrere.) At vero ad quæ proprie tenemur, talia esse intelliguntur, ut ad ea præstanda sponte ac lubentes moveri debeamus. Unde adparet ratio, quare v. g. quando in eodem vallo extruendo idem opus faciunt rusticus aliquis imperio domini, & maleficus ad id condemnatus, huic opus illud pœna sit, illi non item; quia ille ex obligatione, adeóque sponte id facere intelligitur, alteri vero tanquam aliquid ab ipsius voluntate abhorrens istud imponitur. Sic nec ille pœnam patitur, qui dum pro altero fidejussor sit, solvere multam cogitur. Nam occasione quidem peccati alterius damnum sustinet, sed ita, ut alterius peccatum non sit causa proxima, cur damnum sentiat, sed propria voluntas, qua sese per fidejussionem obligavit. Ex quibus itidem conficitur, quemadmodum quis,

ubi

ubi damnum à se datum sarcivit, quod quidem sarciri potuit, haudquaquam seipsum deferre tenetur, quo pœna legibus statuta in ipsum decernatur; ita ob eandem rationem occultatione aut per fugam eandem recte declinare potest. Deniq; cum illud, quod mihi ipse infero, invito accidere nequeat, patet quoq; neminem à seipso pœnam posse exigere: ac cum invitus ad pœnam ferendam cogi nisi à superiori nequeat, neq; illum pœnæ humanæ posse subjici, qui in civitate aliqua superiorem non habet.

§. 7. Cæterum quemadmodum omnis pœna supponit delictum seu demeritum, ita ut contra naturam sit aliquem ob factum quoddam puniri, quod ipsi non potest imputari: Sic pœna vocari nequit dolor ille aut damnum, quæ ex alterius pœna consequenter in illos redundant, qui nihil deliquerunt. Nam uti per pœnam alii à peccando deterrendi sunt, ita directe quoq; intuitu delicti imponi debet pœna; & qui in altero pœnæ rationem habiturus est dolor aut damnum, delictum proprium tanquam causam respicere debet. Unde pœna non est dolor ille, quem quis ex pœna propinqui aut amici sui capit, nisi ipse fors ad istius delictum concurrerit. Sic proprie non puniuntur liberi, quando pater ob suum delictum pecunia aut amissione feudi multatur; præsertim cum isthac ratione liberis non directe damnum detur, ablato eo ad quod jus proprium habebant, sed duntaxat per consequentiam damnum illud veniat, nempe dum non habent, quod habituri alioquin fuissent, cessante nimirum conditione, sine qua jus non habebant; quæ erat, ut ea bona à parentibus ad mortem usq; essent conservata. Sic quando parentibus ob delictum in servitutem redactis, liberi ex illis post nati servi quoq; fiunt. in his nequaquam pœnæ rationem habet servitus, sed infortunii duntaxat; præsertim cum nemo, antequam sit, jus habere possit, ut tali & non alia conditione nasceretur. Quemadmodum nec infans in

utero

utero matris existens, siquidem dum mater plectitur; ipse quoq; vitam aut libertatem amittat, proprie punitus dici potest. Etsi merito leges multarum civitatum velent prægnantem fœminam capitali supplicio affici, fœtu nondum in lucem edito. Et Romanæ leges constituunt, si libera conceperit, dein ancilla facta ob delictum pariat, eum, qui nascitur liberum esse. Illæ autem locutiones impropriæ sunt, quibus v.g. extreme pauper aut morbidus à parentibus in pœnam natus dicitur.

§. 8. Porro uti naturæ quam maxime conveniens est, quemlibet decisionem controversiarum suarum cum altero cuipiam tertio incorrupto committere: ita qua ratione cuiq; de sua securitate sit cavendum, seu qui modus esse pœnæ debeat, commodissime à tertio determinatur; quod amoris proprii teneritas læsione irritata communiter in lædentem asperius nos animadvertere subigat, quam per rationis judicium alias nobis sufficere poterat. Quorum utrumq; cum in civitatibus sit penes eos, qui summo in iis imperio gaudent, in eorundem quoq; arbitrio est positum, quibus peccatis quas & quantas pœnas injungere velint. In determinatione autem quantitatis pœnarum, etsi omnino defectus formalis actionis, præprimis quoad intentionem sit respiciendus, ita ut diverso modo tractentur, ex imbecillitate aut per malitiam delinquens; per adfectus, quos statim pœnitentia sequebatur, abreptus, aut deliberato ex consilio ad facinus accedens: tamen ut eadem semper inter pœnas sit proportio, quæ est inter objecta per delictum violata non est necesse. Quippe cum ratio peccatum aliquod omittendi proprie non resultet ex nobilitate vel ignobilitate objecti, sed ex potestate & decreto legislatoris, cujus voluntati æque contrariatur, qui circa minus objectum, quam qui circa majus peccat. Etsi heic non ita merum suum arbitrium sequuntur legislatores, aut sequi debent, sed pœnas intendunt aut remittunt,

mittunt, prout Reip. aut præsentium temporum multum aut parum interest, peccatum aliquod non committi. Sic extrema pœna potest affici, qui etiam in minimo gradu illius sceleris deprehenditur, quo maxima damna inferri queunt. Inde quoq; adparet ratio istius: Crescentibus seu increbrescentibus delictis exasperandæ sunt pœnæ. Sicut contra ubi vitium aliquod in mores abiit, ut propter delinquentium multitudinem pœnæ exigendæ locus non restet, nisi per supplicia civitatem prorsus exhaurire velis, aut evertere, Reip. necessitas pœnas remitti jubet. Quod fieri non posset, si talem singamus justitiam vindicativam inter homines, quæ competentem in se delicto pœnam semper quibusvis promiscue infligi jubeat, & non potius, quæ temporibus atq; usui se Reip. accommodet; præsertim cum nullo alio respectu necesse sit hominem ab homine pœnam ob quodvis delictum sumere, nisi ut societas humana servetur. Sic ingruente bello, si alii idonei desint, quis dubitet, duci strenuo exilium aut capitis supplicium merito pœnam esse remittendam, ideo quod opera ipsius isto tempore Respubl. commode carere nequeat?

§. 9. Ut autem semper in omnibus Rebuspubl. illa delictis pœna imponatur, quæ lege divina exprimitur, necessarium non arbitramur. Idq; quia ista civilis erat lex Judæorum, in qua quæ adjectæ erant pœnæ, ex genio istius populi ac Reip. per positivam Dei dispositionem determinabantur. Sed cum diversorum populorum diversa sit conditio, ad hanc quoq; pœnas attemperari convenit. An vero istiusmodi ad capitalem quoq; homicidii pœnam in divinis literis expressam adplicari debeant merito dubitari potest, cum ea non uni Judæorum populo, sed universo hominum generi lata videatur. Cujus sane pœnæ ratio claret, quod cujus tanta est malitia, ut sanguinem humanum effundere ex deliberato consilio non vereatur, ab illo cæteris hominibus non

possit

possit satis caveri, nisi idem vita exturbetur. Inde uti merito mitius puniri possunt, qui ex intentione duntaxat semiplena cædem commisere, quam mox pœnitentia sequebatur; ita malitioso homicidæ, tanquam qui fundamentum humanæ societatis subversum it, parcendum non est, nisi maxima fors Reip. necessitas id exegerit. Quo ipso tamen legem illam divinam haudquaquam violari putamus, tum quod omnis pœnæ determinata quantitas sit juris positivi, quod ad necessitates Reip. attemperari par est; (qui casus etiam in ista lege divina merito exceptus præsumitur;) tum quod, si vel maxime interdum ejusmodi homicida hominum effugerit pœnam, divina tamen plerunq; vindicta ita eum soleat persequi, ut casu aliquo violento vel alterius hominis ferro quacunq; via, vel ex alio crimine plexus cruenta morte pereat. Et sane videtur ea homicidii pœna non tam constitutio per modum legis civilis hominibus data, quam declaratio vindictæ ab ipso Deo per homines aut alios casus tragicos in homicidas exercendæ, si vel maxime severitatem fori humani effugerint.

§. 10. Nec illud necessarium putandum, ut idem quis patiatur, quod alteri intulit, seu ut per talionem delicta semper vindicentur. Nam plurima sunt, in quæ ejusmodi genus pœnæ omnino non quadrat. Qua ratione enim per talionem commode punias adulterium, stuprum, fœdos concubitus, crimina læsæ majestatis, & similia? In plerisq; autem criminibus ista pœna esset justo levior, nec satis attingeret finem pœnarum, qui est cautio de securitate singulorum. Isthac enim ratione audaciæ conditio longe esset melior, quam innocentiæ, siquidem illi nihil plus metus à legibus, quam huic à facinorosorum malitia foret, superante insuper spe fallendo, aut per fugam, vel alia ratione pœnam declinandi.

§. 11. In hoc tamen, quantum fieri potest, æqualitas in pœnis observanda, ut æqualiter peccantes æqualia patiantur, nec quod in uno plectitur delictum, alteri ci-

tra

tra gravissimam causam condonetur; quippe cum ejusmodi inæqualitas periculosis Rerump. turbis materiem soleat præbere; & effectu suo cæter pœna, quæ non publico, sed privatæ libidini data videtur. Cæterum æqualitas isthæc intelligenda est de eodem delicto, non de diversis. Nam sæpenumero delicto, quod in se levius videtur, in foro humano gravior est pœna constituta, & contra, ex necessitate Reip. aut arbitrio legislatorum; quam inæqualitatem reus, tanquam inique secum agatur, haudquidquam potest allegare; quippe quam præscivit, & dum se Magistratui subjecit, ipse adprobasse censetur. Sic v.g. etsi furti crimen in se longe levius sit homicidio; nullam tamen fur querendi causam habet, si ipse, qui cum homicida æqualia non commisit, æqualia tamen cum eodem, nempe capitale supplicium, patiatur. Cujus ratio est, quia pœna velut seorsim singulis delictis imponitur ea quantitate, quam usus Reip. postulare videtur, nec ad aliorum peccatorum diversi generis pœnam necessario debet attemperari, ita ut quam rationem unius delicti gravitas ad gravitatem alterius delicti habet, eandem etiam eorundem pœnæ inter se habeant. Scilicet quia mensura pœnarum in foro humano non est sola peccatorum gravitas in se, sed eadem conjuncta cum respectu ad usum Reipublicæ. Sic multa quoq; sunt delicta, quorum unum etsi altero gravius, æque tamen morte vindicatur, quia morte gravius supplicium inveniri nequit, nisi quod interdum, ubi atrocius fuit peccatum, morti cruciatus præmittantur. Cæterum ut idem peccatum peccantibus æqualis pœna recte imponatur, omnino ad conditionem personarum est respiciendum, quæ pœnam vel maxime intendit aut minuit. Sic quæ ignominia vili alicui homini exiguum est malum, virum insignem vehementissime afficit; & quæ multa copioso alicui levis erit, tenuem omnibus fortunis evertet. Quæ accurate illi observanda, cui istiusmodi pœnas rite attemperare cordi est.

§. 12. Ex quibus omnibus facile intelligitur, quousq; Magistratui incumbat obligatio ad sumendam pœnam; scilicet ut tam in ipso pœnæ exercitio, quam in ejus determinatione secundum quantitatem bonum civitatis promoveatur; quod ubi contrarium suadet, non est credendum, ad pœnam sumendam omnino eundem teneri. Adeóq; si quis injuria adfectus Magistratum super ea imploraverit, quidem restitutionem damni obtinuerit, Magistratui autem ob tempora Reip. pœnam insuper lædenti infligere consultum non videatur, haudquidquam ejus delicti reatum iste in se derivat; nec habet læsus, quare ob denegatam sibi justitiam queratur, quod dolori aut vindictæ suæ litare non potuerit. Sic quando quis in una civitate peccans in alteram confugerit, Magistratus hujus civitatis tenetur quidem curare, ut iste de damno dato satisfaciat; ad supplicium autem ut eum dedat, aut ut ipse eum plectat, necessum non est, nisi certæ id rationes in utilitatem Reip. vergentes persuaserint; præsertim cum priori civitati adhuc facultas sit moralibus & notionalibus in ipsum pœnis grassandi. Hæc de actionibus humanis in *genere*. *Specialem* earundem considerationem angusti operis limites excludunt.

SAMU-

SAMUELIS PUFENDORF

ELEMENTORUM JURISPRUDENTIÆ UNIVERSALIS

Liber Secundus.

AXIOMA I.

Quælibet actio ad normam moralem dirigibilis, quam penes aliquem est fieri vel non fieri, potest ipsi imputari. *Et contra*: Id quod neque in se neque in sua causa penes aliquem fuit, non potest ipsi imputari, *(scilicet ex debito, bene tamen ex gratia imputantis, si fuerit bonum aliquod.)*

I. *Ordo hujus libri.*
II. *Imputatio ex gratia, ex debito.*
III. *Imputatio nuda, efficax.*
IV. *Efficaciter quinam imputare possint?*
V. *Diversimode imputantur bona & mala actiones.*
VI. *Quænam non possint imputari?*
VII. *Quænam possint imputari?*
VIII. *Actiones aliorum quomodo nobis imputentur?*
IX. *De communicatione actionū.*
X. *Imputatio an tendat retro?*
XI. *Quandō intermissiones actionum imputari possint?*

§. 1. POstquam Definitiones rerum Jurisprudentia Universali contentarum pro ratione instituti nostri libro superiore illustravimus, consequens est, ut hoc libro discipiamus de *Principiis*, ad quæ ultimo in demonstrationibus juridicis adscenditur. Præter communia igitur axiomata, quæ ex prima philosophia petita hinc inde per istthoc opus occurrunt, duplicia deprehenduntur hujus disciplinæ Principia propria, *rationalia* scilicet & *experimentalia*. Illorum veritas, certitudo atq; necessitas ex ipsa ratione fluit absq; singularium perceptione aut instituto discursu, nudo duntaxat mentis intuitu. Horum vero certitudo ex singulorum constanter sibi respondentium collatione ac perceptione intelligitur. Quæ *Observationes* nobis dicentur, uti illa, *Axiomata*. Cæterum cum homo in hoc mundo sit magis agendi quam contemplandi causa, adeóq; magis necessarium ipsi sit recte agere quam subtiliter contemplari res, quas mentis duntaxat obtutu obire licet; inde non citra peculiarem Creatoris providentiam factum est, ut theoreticarum veritatum certitudo operose ut plurimum, & velut per prolixam consequentiarum seriem ex principiis primis foret eruenda: practicarum autem rerum certitudo pauciſſimis, iisq; maxime perspicuis facillime staret fundamentis, ex queis pleraq; facili negotio deduci queant. Scilicet ne quis, etiam cui exigua ingenii vis, peccatis suis istthanc posset obtendere excusationem, quasi per obscuritatem rerum, quid agendum foret intelligere non licuerit. Inde non videntur nobis plura hujus disciplinæ statuenda principia rationalia, quam duo, nempe quod *de illis actionibus homini sit reddenda ratio, quæ penes ipsum est fieri vel non fieri*, & *quod agendi obligatio per potestatem alterius nobis injungi queat*. Quibus si quis addat quæ per communem sensum & experientiam sunt manifestissima, nempe homini, cui à natura datum *res intelligere*, & *ex intrinseco voluntatis motu ad agendum se movere posse*, à DEO, *cujus imperio*

imperio abſolute ſubeſt, injunctum eſſe *ſocialem agere vitam*, & *quæ ad eandem tuendam ex dictamine rectæ rationis faciunt obſervare*; In proclivi erit cuilibet cognoſcere, quid ſibi agendum aut omittendum, præſertim poſtquam per imperia civilia, *quas conſtituit ſocialis neceſſitas vitæ exigebat*, civilibus quoq; legibus pleraque iſta fuerint ſancita.

§. 2. Imputatio igitur eſt, quando actionis ab aliquo immediate vel mediate proficiſcentis, vel in ipſum ab altero exercitæ effectus morales in ipſo actualiter hærere, & vim ſuam exſerere declarantur ab eo, quem actio illa ſpectat. Faciunt autem communiter imputationem duplicem, *ex gratia* & *ex debito*. Illa eſt, quando quis in alterum effectus actionis cujuſdam tertii quos alias iſte ſibi jure adſerere non poterat, ex benevolentia derivat. Qualis imputatio circa favorabilia duntaxat locum habet, circa odioſa non item. Quemadmodum enim ea bonorum eſt natura, ut etiam gratis recte alicui, & citra cauſam exhiberi queant, mala autem citra præcedens demeritum inferri non poſſunt: ita ſi quis alteri bonum aliquod ſub nomine beneficii puri conferre nolit, licebit id ſub titulo imputatæ actionis alicujus, quam alias iſte ſibi vindicare non poterat, facere. At malum aliquod alteri imputare haudquidquam licet, niſi ipſe facto ſe ſuo reatus participem fecerit. Sic v. g. recte Princeps filio nullis meritis conſpicuo benefacta paterna poteſt imputare, eorumq; intuitu ipſi honores alias non debitos conferre. Aſt haud ita innocens filius paterna delicta luere debet. Nam pœnæ rationem proprie non habet, quando occaſione feloniæ à parentibus admiſſæ feudis carere coguntur liberi. Ad ea enim jus non habent, niſi poſtquam à parentibus illæſa ipſis fuerint tradita. Nobis autem de poſteriori imputationis genere potiſſimum heic ſermo eſt, ubi cauſa imputationis in eo, cui quid imputatur, hæret.

§. 3. Imputatio quoq; dividi poteſt in *nudam* ſeu

simplicis adprobationis & improbationis, & *efficacem*, Illa est, qua nude tantum actionem aliquam adprobamus aut reprobamus, ita ut nullas inde in agentem effectus redundet. Quæ imputatio fieri potest à quibuslibet, sive eorum interfit, sive non. Hæc est, per quam effectus actionis in agente vim suam exserunt, de qua hoc loc nobis agendum.

§. 4. Longe autem diversa sunt, *actualis imputatio*, & *imputabilitas*, ut ita dicam, seu actu imputari, & recte posse imputari. Non enim omnes actiones, quæ imputari possunt, etiam semper actu agenti imputantur, aut necessario imputandæ sunt; sed ut fiat actualis imputatio, eaq; efficax penes illum est, cujus interfuit actionem fieri vel non fieri. Qui ubi actionem aliquam imputabilem vel ab initio non imputavit, vel post imputare desiit, omnes effectus morales in agentem ex illa actione alias redundaturi expirant. Ubi tamen notandum, quando plurium interest, actionem aliquam fieri vel non fieri, si unus eorum actionem illam non imputaverit agenti, cæterorum juri, quod quidem post illam imputationis velut condonationem remanet, nihil inde decedere. Sic illi qui injuriam mihi intulit, possum quod meum interest, condonare; nequaquam tamen ea ratione tollitur jus Magistratus, neque jus Dei, quod ex ista actione adversus delinquentem ortum ipsis fuit. Sic etiamsi Deus alicui veniam imputationis per remissionem fecerit, jus tamen hominum ea ratione nequidquam tollitur. Nam v.g. homicidam cui Deus jam delictum remisit & accusator judicio persequi, & Magistratus capite potest plectere. At quod omnes, quorum interest, non imputant, quoad effectus morales pro non facto censetur, quippe qui non sequuntur, nisi ex arbitrio eorum quorum interest. Interest autem actionem aliquam fieri vel non fieri eorum, qui vel sunt objectum actionis, vel directores, i. e. adversum quos actio aliqua suscipitur, aut quibus bono vel malo

ea est, & quibus comperit potestas actionem dirigendi. Sic si injuriam à me alteri factam & is, cui facta est, & Magistratus mihi condonaverit, non habet ullus præterea hominum, quod mihi ea de causa negotium facessat.

§. 5. Discrimen tamen observandum est circa imputationem bonarum & malarum actionum. Malæ actiones agenti semper ab iis, quorum interest, quando ipsi volunt, imputari possunt; eo quod & illas prohibenti jus est, ne eas fieri impune pati cogatur, & cuilibet alteri, ne easdem citra præcedens aliquod factum suum admittere teneatur. Actiones autem bonæ sunt vel debitæ, vel indebitæ. Illas imputatio duntaxat, quam nudam jam dicebamus, ab iis, quorum interest sequitur. Qui enim non nisi quod debuit præstitit, bene quidem egit, præterea autem nihil meretur. Indebitæ autem antehac actiones efficaciter possunt imputari. Quippe quæ aptæ sunt gignere effectus morales tam in agente, quam in eo, in cujus gratiam & usum exercentur. In illo, ut accipiat jus pensationem operæ exigendi; in hoc, ut obligationem contrahat alteri operam pensandi. Ut tamen ea obligatio actu enascatur, necesse est non tantum in agente adsit intentio alteri boni quid faciendi, sed etiam ut ex voluntate expressa vel præsumpta alterius, in cujus usum tendit actio, sit suscepta. Alias quæ invito obtruditur, operæ imputationem recte velut repellere possum. Quod si eorum, quorum interest, consensu determinetur, quanti aliquid sit imputandum, pactum fit, in quo terminum suum attingit imputatio, nec quo ulterius ista in re tendat, habet. Adeó; ubi quis actionis suæ æstimationem pacto expressam acceperit, nihil præterea illi, quod imputari possit, ibi relinquitur.

§. 6. Porro fundamentum imputabilitatis, seu ut actio agenti possit imputari, est, quod illa penes agentem, ut fieret vel non fieret fuit. Postquam enim homini

mini ita non erat vivendum, ut quidquid libitum foret, facere ipsi liceret, nullo cujusquam respectu habito; proximum erat, ut de his actionibus ratio posset ab ipso reposci, quas faciendi vel omittendi facultatem ipse habebat. Unde patet, non posse alicui imputari, 1. Ea quæ contingunt ex necessitate physica, nec ea, quæ ex causis naturalibus, nisi quatenus forte quis effectui illi producendo activa passivis adplicuerit, aut causam ista dirigentem aliqua ratione moverit ad effectum istum determinandum; ut si quis v.g. precibus à DEO impetret, ut in siccitate pluvia cadat. 2. Actiones facultatum vegetantium in se: nisi hactenus, quod quis objectum ipsis suggesserit. Sic ex eo quod quis à natura præditus est corpore robusto, vegeto, procero, &c. nemo ut sibi quid immediate imputetur, postulare potest. Et contra, nemini corpus imbecillum, fragile, pusillum recte vitio dari potest, siquidem nulla ipsius culpa hoc intervenit. Quo pertinent & cætera, quæ à natura citra nostram operam adiunt, puta, quod quis natura gaudet ingenio vegetiori aut tardiori, sensibus acrioribus aut hebetioribus, &c. 3. Actiones coactas, i.e. quibus quis membra sua commodare cogitur aut adplicare per inevitabilem vim robustioris, quæ ut sibi adferri posset, ipse in culpa non fuit. Quemadmodum enim nemo jussu aut imperio suo vel alia ratione alterum potest obligare, ut sponte agat aliquid legibus contrarium; ita si per vim membra istius adplicuerit ad actum aliquem alias illicitum, efficere non potest, ut id ipsi recte imputetur. Inde nemo ab altero ad peccandum cogi potest, modo ipse peccare nolit. Sic v.g. etiamsi virgo cogatur per vim commodare membra sua libidini actionis validioris, cujus violentiam à se amoliri nequit; ipsi tamen ea de causa nihil potest imputari, nisi fors propria culpa in eum se conjecerit locum, ubi vim sibi allatum iri probabiliter præviderat. 4. Quæ per vires nostras neq; prohiberi, neq; promoveri aut effici possunt,

possunt, siquidem illa impotentia per culpam nostram non fuerit contracta. Inde illud vulgare: Impossibilium nulla datur obligatio, seu ad impossibile nemo tenetur. Et quemadmodum quod quis non præstitit ea, quæ ipsi impossibilia fuerunt, (siquidem ipse in culpa non fuit, quod talia forent,) aut quod non adprehendit ea, quæ ingenio suo sunt superiora, ipsi nihil potest imputari, & consequenter idcirco pœna in ipso locum non invenit: (unde & illud efficitur, materiam legum possibilem esse debere illis, quibus ex feruntur:) ita nemo sanus impossibilia alicui præcepisse censetur. Unde in legibus humanis, in testamentis & in contractibus à proprietate literæ receditur, si ea quid impossibile involvat. Sic mera quoq; infortunia non imputantur, nisi si quis ad ea præstanda peculiariter sese obligaverit. 5. Actiones eorum, qui continuo rationis usu non gaudent nisi sua culpa eam corruperint; ut sunt furiosi, quorum actus moraliter habentur pro nullis; item infantes, priusquam ratio dilucidius exserere sese incipiat. 6. Quæ ex ignorantia concomitante aut efficaci invincibili in se & in sua causa fuere commissa.

§. 7. Contra autem imputari possunt non tantum facta, quæ ex prævia scientia & plena ac deliberata intentione fiunt; sed etiam quæ ex semiplena, pura quando vehementiori affectu animus fuit concussus. Illum enim in ordinem redigere per rectum rationis usum homo poterat; nec invitam iste actionem proprie reddit, nisi fors objectum, quo idem excitatur, terrorem inferat humana constantia superiorem. Inde ridicula foret excusatio furis, rem ita sibi vehementer arrisisse, ut ea abstinere non potuerit. Quemadmodum nec ea ab imputatione sunt exclusa, quæ ex habitu proficiscuntur, qui ita firmiter animum in unam partem disposuit ut fere non possit quis non aliter agere, ac sæpe ignoret, quando vitiose agit. Nam penes ipsum erat, ne talem habitum contraheret. Possunt quoq; imputari non ea tantum

tum quæ pro præsenti tempore ut fiant vel non fiant in nostra sunt potestate, sed etiam, quorum perficiendorum facultas nobis antea adfuit, nostra autem culpa est amissa; seu quæ pro præsenti quidem statu sunt impossibilia alicui, ut tamen ipse in culpa fuerit, quo minus ea jam præstare possit. Sic illi, qui se eo conjecit sua culpa, puta per petulantiam aut inutilem curiositatem, ubi adhibita diligentia debita providere poterat fore ut vis sibi adferretur, possunt imputari actiones istæ malæ, ad quas in eo statu fuit adactus. Qui enim sponte admisit actum aliquem, censetur etiam consensisse in ea omnia, quæ ex actu illo consecutura providere poterat; adeóq; qui tenetur de actu, tenetur etiam de his, quæ vi actus sunt consecuta; etiamsi, ubi semel actus iste fuerit commissus, effectus exinde pendentes ab ipso non amplius possint inhiberi aut sisti. Immo licet quis efficaciter ignoret, ex actu suo illicito, quem sciens committit, emersura, quæ deinceps emergunt, non tamen ab omni imputatione istorum consequentium liber erit. Quamvis hæc imputari nequeant, quæ extraordinarie & præter communem rerum cursum actum aliquem sunt secuta, ac quæ futura omnino erant, etsi actus ille nunquam præcessisset. Ex isto fonte fluunt ista vulgata: censetur quis sibi inferri voluisse, quod sciens non avertit, cum commode posset; nec morali judicio illud æstimandum periculum videtur, in quod se quis ipsum conjecit, aut unde sese eximere potest. Item: Semper qui dolo fecit, quo minus haberet, pro eo tractandus est, ac si haberet; & qui per luxuriam aut ambitionem opes suas dissipavit, nullo cum effectu allegat impossibilitatem solvendi adversus creditores. Deniq; & illa possunt imputari, quæ ex ignorantia voluntaria seu consequente, sponte aut per supinam negligentiam contracta, vel quæ ex ignorantia juris seu universalium commissa fuerunt; præprimis illa, quæ procedunt ex ignorantia communium præceptorum juris naturæ, utpo-

te

te quæ ab homine, rationis usu gaudente, non possunt invincibiliter ignorari; etsi ubi per inadvertentiam ignorantia obrepsit, ob absentiam doli mali à tanto quis excusetur.

§. 8. Non autem illæ duntaxat actiones nobis sunt imputabiles, quæ immediatè a nobis proficiscuntur, sed & quæ ab aliis suscipiuntur, ut nos quoque ad easdem concurramus. Alias enim effectus morales actionum malarum non transeunt de persona in personam citra alterius factum aut omissionem culpabilem. Sic igitur imputari nobis possunt, quæ jubemus, quibus consilium adhibemus, consensum requisitum præbemus, ubi receptum facinori præstamus, scientes adjuvamus, veniam concedimus, absq; qua alter agere non poterat, non impedimus cum possemus & deberemus, exemplo nostro alterum ad factum accendimus, quod alias omissurus erat, &c. Idq; in solidum, si istud alias omnino futurum non erat, siquidem citra nos aut alium, qui similem præstitisset operam, fuisset; vel in tantum, pro modo influxus in istam actionem. Inde trita illa: Quod quis per alium facit, ejus ipse autor censetur: Nostra facimus, quibus autoritatem nostram impartimur: Quod jussu nostro cum aliis circa res nos spectantes ab altero gestum est, nos ipsos obligat. Item; Quælibet actio ab altero exsecutioni data, quam citra nos omnino non suscepisset, nec suscipere potuisset, quoad effectus morales pro nostra censetur.

§. 9. Observandum autem est quod aliorum facta tum demum aliis possint imputari, si communio quædam circa eadem ipsis invicem intercedat. Id quod fit duplici modo; vel si peculiariter circa certum aliquod factum producendum concurrant, licet modo agendi diverso, v.g. ut alter concurrat physice, alter moraliter, quod in plerisq; jam enumeratis contingit; vel si corpus aliquod constituant, pacto ita inter se colligatum, ut quicquid totum corpus, qua tale, vult, omnes & singuli quoque

quoque de illo corpore velle intelligantur, eo quod singuli voluntatem suam circa ea, quæ totum corpus spectant à corporis voluntate, aut eorum, qui id regunt, prorsus suspenderint. Nam, uti alibi latius ostenditur, qui in societatem aliquam coeunt, unius personæ moralis instar habentem, omnes & singuli sese obligant, quod rata habere velint, quæcunq; ista persona aut concilium, in quod potestas pro arbitrio publica societatis negotia expediendi fuit collata, circa res societatis egerit, adeóq; quod istius actus pro suis sint agnituri. Quæ non magis meræ sunt fictiones Juris, quam quod omnes societate comprehensi unius jussis possunt obligari. Inde est, quod singuli socii ob debitum nomine societatis contractum tenentur. Ita Syndicus quod egerit nomine populi, toti populo, à quo ille fuit constituitus, imputatur. Sic ubi Princeps aut Resp. alteri bellum fecerit, singuli sub ista Rep. viventes pro hostibus habentur. Sic ubi Magistratus jus non reddendo privatorum debita sua fecerit, pignorationes & repressaliæ in quemvis de illa civitate possunt adhiberi. Sic in exemplo Davidis, ob cujus factum populus pestilentia plectebatur, non necesse est ad jus Dei absolutum confugere, qui cum semper causam mortis in homine inveniat, eam ipsi, quando libitum fuerit, possit imponere; sed quia iste actus, nempe explorare vires populi, ad actus Principis qua talis spectet, ex constitutione civitatum populus quoque in istum actum consensisse intelligitur. Zedechiæ autem perjurium ob eandem rationem universo populo fuit imputatum, ob quam, Rege bellum alicui faciente, universus populus pro hoste habetur. Circa factum autem Alexandri Branchidarum gentem excidio dantis, quorum majores Miletum prodiderant, non illud sufficit dixisse, quod illi reatus, qui ex singularibus personis in civitatem derivantur, iisdem extinctis expirent; quia iidem continuari possunt, quamdiu factum istud à civitate defenditur, aut alteri satisfactionem po-

stulanti

ſtulanti ea non præſtatur: ſed illud potius diſpiciendum, an cum iſto populo hactenus Græcis aliquid commercii interceſſerit, ex quo adparere queat, delicti hos ac debiti inde orti veniam iſtis feciſſe. Quorum enim imputatio ſemel remittitur, ea poſtmodum repeti nequit. Quod ſi ex tempore delicti inter ipſos nunquam commercia pacis fuere exercita, etiam dudum extinctis facinoris autoribus, ſatisfactio de dato damno poſci potuit; quam ſi iſti negarent, qui in eorum jura atq; bona in eodem corpore morali ſucceſſerant, jure belli in ipſos eadem ſtatui potuerunt exempla, quæ autores facinoris erant meriti.

§. 10. Id quoq; heic notandum, futuri alicujus facti imputationem non poſſe retro velut tendere, niſi forte futurum illud factum à præſenti aliquo aut præterito noſtro actu, tanquam effectus à cauſa neceſſaria dependeat, ita ut cui cauſa imputari poteſt, eidem quoq; neceſſarius effectus imputetur. Equidem iſtud haud abſurdum, per imputationem ex gratia futurum aliquod factum ipſius vel alterius effectus in aliquo velut in anteceſſum exſerere; eo quod, cum cuilibet beneficium gratis dare liceat, penes benefactorem ſit ſub aliquo titulo id ipſi impertiri. At cum malæ actiones non niſi ex debito queant imputari, inconveniens prorſus eſt, retro eas imputari aliis, queis nulla futuri iſtius facti notitia, nulla obligatio id intermittendi, nulla denique cum eo, qui factum illud commiſit, actionum communio fuit.

§. 11. Exeo autem, quod non entis nullæ ſunt affectiones poſitivæ, facile patet, non poſſe efficaciter imputari nudas intermiſſiones actionum moralium malarum & legibus interdictarum. Unde nemini quidquam debeo, quod me injuria non afficerit. Imputari tamen poſſunt intermiſſiones actionum legibus civilibus licitarum, etſi mero jure naturæ fuerint prohibitæ, ſiquidem illæ in alicujus gratiam peculiariter intermittantur.

tur. Nam omnino mihi debet, in cujus gratiam ipſe poteſtate mea etiam imperfecta non utor. Nihil autem notius, quam imputari intermiſſiones actionum debitarum & legibus præceptarum, etſi præterea quis nihil mali fecerit. Ratio horum eſt, quia intermiſſiones iſtæ quas memoravimus, excepta prima, pro entibus moralibus poſitivis cenſentur, adeóq; poſitivos quoq; effectus producere aptæ ſunt.

AXIOMA II.

Quilibet poteſt ſibi ſubjecto efficaciter, ſeu cum obligatione præſtandi injungere ea, ad quæ ſua in ipſum poteſtas ſeſe extendit.

I. *Actiones hominis neceſſarias facit poteſtas alterius.*
II. *Unde poteſtatis efficacia?*
III. *Unde poteſtas ſiat legitima*
IV. *Poteſtas, in quam nunquam ſuis conſenſum expreſſe aut præſumpte nulla eſt.*

§. 1. Quod homo poſſit ad certam normam actiones ſuas componere, inde eſt, quia talem à natura ſortitus fuit animum, qui non neceſſario uno ſemper modo ageret, ſed in utramque contradictionis partem flexilis foret. Aſt ut idem quoque debeat, ex eo eſt, quia, præter dominium Dei generale, naturæ humanæ conditio hominum quoque in ſe invicem imperia conſtitui jubebat, quæ illis, quos complectuntur, neceſſitatem adferre queant actiones ſu-

as certo modo determinandi. Fit autem actio aliqua homini necessaria ex potestate superioris, qui ubi declaravit, quid ab altero fieri vel non fieri velit, eas habet vires, ut ipsum ab iis faciendis fors abhorrentem, formidine mali alicujus adigere queat, aut certe jussa violantem malo afficere. Alias enim nulla obligatio hominem eo potest disponere, ut omnino rem aliquam non velit aut possit facere, i.e. ut non amplius gaudeat naturali libertate contrarietatis aut contradictionis; sed hæc saltem libertas illi semper relinquitur, ut vel obsequium eligere vel periculum pœnæ subeundæ queat.

§. 2. Cæterum revera non nisi in vim seu facultatem pœnam infligendi ultimo efficaciam suam resolvit potestas, à qua obligationes generari aptæ sunt. Reliqua omnia imbecilliori vinculo voluntatem stringunt, quam ut ipsam in stabilem actionum suarum harmoniam temperare queant. Propria decreta neminem diutius tenent, quam ipsi collibitum fuerit. Spes futurorum bonorum plerosq; languidius movet, quam ut præsentes suscipere labores, aut præsentia negligere commoda velint. Et paucos admodum invenias, qui ubi facientem nil nisi obsequii laus, negligentem præter famam inobedientiæ nihil mali sequatur, perpetuo uniformiter agere velint, & quidem plerunq; contra libidinem voluntatis, tantum ideo, ut alteri constanter pariisse dicantur. Deniq; precaria est omnis imperiorum vis, nisi imperans ejusmodi polleat viribus, ut alteri gravius conciliare malum queat non parenti, quam molestia suscipiendorum necessario jussorum ipsius judicatur.

§. 3. Enimvero ne quis, dum ad alterius hominis sese arbitrium componere adigitur, de injuria sibi facta queri possit, necesse est, ut ista potestas quoque sit legitima, i.e. ex voluntate expressa aut probabiliter præsumpta ejus, cui imperatur, quæsi-

ta

ta & constituta. Nam ob naturalem hominum inter se æqualitatem, de qua deinceps plura dicemus, non potest uni in alterum potestas oriri, nisi ex alterius consensu, qui vel expresse significatur in pacto, ut in subjectione civili, vel ex pacto velut tacito præsumitur, uti fit in servitute statum belli subsecuta, & subjectione filiali. At vero ubi semel alterius potestas consensu nostro fuit constituta, etsi postea eadem displicere incipiat, detrectari amplius nequit, eo quod alteri jam jus fuit quæsitum, quod ipsi invito auferri lex naturæ haudquidquam admiserit.

§. 4. De cætero autem nemo alteri potest quid efficaciter injungere per modum præcepti, in quem nihil potestatis legitimæ habet. Utcunq; enim quis ipsum per solam vim extra omnem ipsius consensum aliquantisper constrictum teneat; quandocunq; tamen occasio arriserit, recte jugum excutere, & in libertatem sese vindicare poterit; id quod illis haudquaquam licet, qui in subjectionem sui consenserunt. Cæterum ex dicto axiomate ista hæc fluunt consectaria, quæ sese per universam juris materiam diffundunt: *Quicquid lex jubet est faciendum. Quidquid lex prohibet est omittendum. Quilibet tenetur præstare jussa ejus, qui potestatem in ipsum obtinet, quousq; illa sese extendit.*

Observatio I.

Homo de rebus adprehensis vi intellectus recte judicare potest.

I. *Intellectus facultas repræsentativa non est libera.*
II. *Quatenus religionem alicui injungere possint imperia civilia?*
III. *Intellectus judicium.*
IV. *Quæ regulæ sequendæ in deliberatione circa res utiles qua tales?*
V. *Conscientia quotuplex?*
VI. *Conscientia Recta, Probabilis.*
VII. *Erronea.*
VIII. *Dubia.*
IX. *Ignorantia quotuplex?*

§. 1. Intellectus in homine duæ sunt velut facultates, quas circa actiones voluntarias exserit, *repræsentativa* & *judicativa*. Per illam velut in speculo objectum voluntati sistitur, & quæ in ipso ratio sit bonitatis ostenditur. Hæc facultas cum in earum classe censeatur, quas communiter naturales vocant, contradistinctas liberis, adeóq; penes hominem non sit aliter res adprehendere, atq; earum imagines intellectui sese offerunt; facile patet, nec circa eam legibus disponendi locum relictum, nec id quod quis rem aliquam vel omnino non adprehendere, vel non aliter valet, imputari posse. Unde longe iniquissimum est, pœna proposita aliquem velle adigere, ut rem aliquam secus credat, quam eam se habere novit; quippe cum adsensus seu fides non possit non respondere speciei ab intellectu adprehensæ. Quod tamen ita est restringendum, nisi supina alicujus negligentia in causa fuerit, dum rei oscitanter attendit, alias debitum adhibendo studium veram rei imaginem adprehensurus. Adeóq; circa hoc, ut quis rem aliquam recte animo concipiat, hactenus duntaxat legibus & obligationi locus esse po-

test ut informationem circa eandem admittat, & meditationi sedulo operam det. Sed & illud fieri potest ac sæpe solet, ut licet impune sit, peculiarem circa rem quampiam animo opinionem fovere, pœna tamen in eum constituatur, qui istam palam protulerit, aut in vulgus spargere laboraverit.

§. 2. Ex hisce dijudicandum, quousque Magistratui circa religionem hominibus injungendam vim adhibere conveniat. Scilicet cum persuasio circa res divinas formetur ex adprehensione intellectus, cujus modus hominis arbitrio nequaquam subjacet, facile patet non posse aliquem cogi, ut rei alicui adsensum præbeat, aliter quam ea se intellectui ipsius offert. Huic igitur fini non nisi placida suasionum locum habent; frustra sunt tormenta atq; vis, queis fortasse simulata confessio extorquebitur, verus adsensus haudquidquam poterit. Quanquam ad id pœnis compelli quis potest, ut informationem admittat, & media usurpet, quæ alias adsensus istarum rerum plerunq; sequi solet. Ubi autem ista nihil proficiunt, frustra imperium civile heic adhibetur: præsertim cum ad id, ut quis religioni Christianæ adsensum præbeat, gratia peculiaris divinitus concessa requiratur. Enimvero quia Reip. haud parum interest, quibus formulis religio publice proponatur, ac tranquillitati civitatis maxime proficuum, si omnes cives eundem sensum circa religionem, cujus magna vis in concitandis aut molliendis animis est, palam profiteantur; recte potest Magistratus, etiam sub comminatione pœnæ in foro civili sumendæ omnibus ipsorum jurisdictioni subjectis interdicere, ne in publica aut privata doctrina quidquam proponant formulæ illi adversum, quam Magistratus tanquam principio fidei congruam civibus sequendam promulgavit. Cui fini etiam in nonnullis receptum regionibus, ad munera publica admovendos in certam de religione confessionem sacramento adigi, quo obligantur, quamdiu istius Reipubl. membra manent,

nent, nihil publice docere aut præ se ferre, quod eidem confessioni adversetur.

§. 3. Per facultatem judicativam intellectus discernit ac dictitat, quid, quando & quomodo sit agendum, ac de mediis ad finem maxime accommodis consultat. Vocatur alias ista facultas ratio practica & judicium practicum; (nam quæ in nuda rerum contemplatione intellectui vis sit, nostrum jam non est disquirere.) Hæc facultas cum sit velut fax actionum humanarum, quæ ubi rite non præluxerit, labi hominem necesse est; & vero eadem diligenti cultura & meditatione in rectitudinem possit fingi, ne ex ipsa delinquendi oriatur causa: magnopere certe homini elaborandum, quo ita judicium istud formet, ut examussim respondeat sensui atque intentioni illius, cui actiones suas adprobare tenetur.

§. 4. Cæterum etsi nobis heic maxime de bono ac malo, justóq; & injusto agere propositum sit, disquisitione de utili & inutili ad aliam disciplinam rejecta; tamen non abs re erit paucis quoq; attingere, quæ regulas in deliberatione circa utile judicium intellectus respicere debeat. Quippe cum sæpe alicui injungatur obligatio eo modo agendi, prout maxime expedire ipse judicaverit; ubi sane male egit, qui per imprudentiam, quod minus utile erat, suscepit. In deliberationibus igitur, quæ circa talia instituí solent, ad quæ necessitate aut obligatione determinata non adstringimur, (necessitas quippe deliberationem excludit, & obligatio determinata solam exsecutionem agenti relinquit:) id velut pro fundamento supponitur, ne quid suspiciatur, ex quo morali æstimatione tantundem mali ac boni, aut etiam plus mali quam boni videtur oriturum. Cujus ratio in propatulo est. Tantum enim de cujusq; rei bonitate decedit, quantum illa mali habet adjunctum, adeóq; exuit rationem boni, si æquale fuerit malum. Atqui suscipiuntur ejusmodi res, de quibus jam loquimur

ideo, ut emolumenti quid inde nobis adquiramus. Inde porro sequentia fluunt consectaria. 1. Si res, de qua deliberatur, æqualem morali æstimatione efficaciam habere videatur ad bonum & ad malum, ita demum est eligenda, si bonum aliquanto plus habeat boni, quam malum mali. 2. Si videatur æquale esse bonum & malum, quod à re, de qua quæritur, possit procedere, ita demum erit eligenda res, si efficacia ad bonum, quam ad malum major sit. 3. Si videatur & bonum & malum esse inæquale, nec minus inæqualis rerum efficacia, res ita demum est eligenda, si efficacia ad bonum major sit collata efficaciæ ad malum, quam ipsum malum est collatum bono, aut si bonum sit majus comparatione mali, quam efficacia ad malum comparata ad bonum. 4. Si utriusq; rei tam bonum quam malum, ut & efficacia ad utramq; sit inevidens, utraq; erit abstinendum, si fieri possit. 5. Etiam quæ propositio nostro per accidens accedere posse videntur, attendenda sunt, nisi multo majus sit bonum, quo nostra actio tendit, quam malum id quod metuitur: aut in pari bono & malo multo major sit spes boni, quam mali metus.

§. 5. Peculiariter autem judicium intellectus circa actiones moraliter necessarias, quatenus iste cognitione legum est imbutus, *Conscientia* vocatur. Etsi hoc quoque nomine insigniatur judicium velut reflexum intellectus de actis, adprobans bene, damnans male facta, cui comes sequitur tranquillitas aut inquies animi, prout cuiq; ista testimonium fert. Differentiæ causa eam vocare possumus *conscientiam consequentem*, eo quod facta hominum sequatur, & sub examen eadem revocet; alteram vero *conscientiam antecedentem*, quæ antecedit facta, dictitans, quid bonum, quid malum, & ideo agendum vel omittendum sit.

§. 6. Habet autem sese Conscientia vel recte vel minus recte. Ea quæ recte sese habet, vel certo scit se taliter habere, vel opinatur duntaxat. Illa vocatur *conscien-*

ſcientia recta, hæc *probabilis*. Recta eſt, quæ faciendum aut omittendum dictat, quod faciendum omnino eſt, ſeu quæ cum jure divino & humano certo & indubitato ſeſe conſentire novit. Probabilis nititur opinione extructa ex rationibus, quæ non evidenter infallibiles, ſed probabiles tantum putantur, ita ut non impoſſibile ſtatuatur, oppoſitam partem veram eſſe poſſe, quamvis ex præſentibus rationibus id non adpareat. De conſcientia recta ſciendum, quod omnis actio ſpontanea, quæ ſit contra eandem, & omnis omiſſio actionis, quam eadem neceſſariam dictitat, ſit peccatum. Quippe cum conſcientia recta & ſenſus legis à legiſlatore intentus ſibi invicem reſpondeant, adeóq; quæ contra illam fiant, ab hac quoq; diſcrepent. Idem judicandum de conſcientia probabili, quæ quoad rectitudinem cum conſcientia recta coincidit, differt autem duntaxat quoad evidentem & immotam cognitionem ſuæ rectitudinis. Pro informanda hac conſcientia ſequentia notare convenit. 1. In conſcientia probabili, circa res per obſcuriorem conſequentiam ex legibus potiſſimum naturæ deducendas, duabus ſententiis propoſitis, quarum cum neutra legi adverſetur, una tamen firmioribus rationibus nititur, altera tutior videtur, utralibet ſuſcipi poteſt. 2. Duabus ſententiis propoſitis, quarum altera infirmioribus rationibus nititur, altera tutior videtur, recte tutior illi præfertur. 3. In conſcientia probabili vir doctus eam ſententiam ſequi poteſt, quæ ſibi probabiliſſima videtur, etſi aliis fors talis non videatur. 4. Indoctus tutiſſime ſequitur ſententiam prudentiorum. 5. Alterius imperio obſtrictus recte poteſt illud juſſu ſuperiorum agere, quod illicitum certo non novit, etiamſi non ita probabile ſibi videatur. 6. In rebus parvi momenti, ſi utrinque ſint probabilia argumenta, utrumlibet poteſt eligi. 7. In rebus magni momenti, ſi utrinque ſe oſtendant

argumenta probabilia, præferenda est pars tutior. Inde probatione criminis illiquida præstat absolvere quam condemnare, si non sufficiat, id non liquet.

§. 7. Quæ minus recte se habet, vocatur *Conscientia Erronea*, dissentiens scilicet à jure divino aut humano per errorem ex bonitatis adparenti umbra conceptum; seu quæ id faciendum aut omittendum judicat, quod faciendum vel omittendum non erat. Est autem error, in quo conscientia versatur vel *invincibilis*, quem quis omni diligentia moraliter possibili discutere non valuit: vel *vincibilis*, quem adhibita diligentia moraliter possibili discutere debuit ac potuit. Circa hanc conscientiam notandum. 1. Si conscientia versatur in errore vincibili circa rem malam, peccat, qui secundum eandem agit. Ratio est, quia actio revera discrepat à lege, & iste verum legis sensum cognoscere tenebatur. 2. Si conscientia versatur in errore vincibili circa rem malam, peccat, qui sponte contra eandem agit. Etsi enim heic velut materialiter fiat, quod in se est faciendum; tamen quia intentio agentis repugnat legi, cui suam congruere conscientiam arbitratur, ista actio pro peccato ipsi imputabitur; quippe cum intentio mala agentis faciat actionem, quæ materialiter velut non est contra leges, malam videri adversus agentem. Unde quoque adparet, ex judicio intellectus erroneo non posse actiones rectas procedere; & ei, cui falso persuasum est, aliquid esse injustum, id tantisper pro illicito haberi, quamdiu persuasionem istam non correxit. Sic peccat, qui violat religionem falsam, quam ipse pro vera habet. Sic quantum in se fuit, adulterium commisit maritus, cui pro aliena, cum qua rem habere decreverat, propria uxor se subjecit, & vice versa. Sic parum

ad

ad furis nomen illi deest, qui clam, dum alterius res furripere aggreditur, in propria res imprudens aberravit. 3. Cujus conscientia tenetur errore invincibili circa rem in se indifferentem, i.e. si persuadet sibi, rem aliquam esse veitam, quæ tamen est licita, peccat, si contra eam conscientiam faciat, non si secundum eandem; seu, peccat si eam rem suscipiat, non si intermittat.

§. 8. Quod si vero judicium intellectus anceps hæreat, & discernere nequeat, utri parti contradictionis adsensum adplicare debeat, vocatur conscientia *Dubia*. De hac scias, quod neque secundum neque contra eam sit faciendum, quod utrinque peccatum committatur. Neutrò enim modo ipsius intentio cum sensu legis congruit, id quod tamen ad actionem bonam requiritur. Agere enim constituit, etiamsi id, quod agit, sit contra leges, adeóque quantum in se leges violat. Cum hac cognationem habet, quam vocant, conscientia *scrupulosa*, quando anxia formido judicium intellectus comitatur, ne forte id ipsum malum sit quod bonum aliquis existimaverit, & contra. Ejusmodi porro scrupulus ubi probabilibus rationibus nititur, actio erit suspendenda, donec eximatur; qui autem ex molli quadam superstitione oritur, negligendus atque animo ejiciendus est.

§. 9. Absentia cognitionis in intellectu vocatur *Ignorantia*, quæ, quantum ad institutum nostrum, dividitur vel *ratione influxus in actionem*, vel *ratione originis*. Priori respectu est duplex; alia est causa ejus, quod ignoranter fit, alia non. Illam possis vocare *efficacem*, hanc *concomitantem*. Illa negat in intellectu eam cognitionem, qua præsente actio fuisset impedita: ut si Abimelech duxisset Saram, quam nunquam voluisset ducere si maritatam eam nosset. Hæc negat cognitionem, quæ factum non impediisset, ita ut aliquis

nihilominus illud facturus fuisset, etiamsi cognovisset, quod ignoravit: Ut si quis inopinato hostem suum occiderit, quem nihilominus voluisset occidere, etiamsi sciviſſet, in eo istum loco esse, quo ipse telum fortuito contorquet. Tale factum proprie dicitur committi *ab ignorante*, uti id, quod ex ignorantia efficaci proficiscitur, simpliciter *ex ignorantia*. Aſt ratione originis ignorantia dividitur in *Voluntariam* & *Involuntariam*: illa quibusdam etiam vocatur Consequens & Vincibilis, hæc Antecedens & Invincibilis. Illa, (sive sit directe volita & affectata, sive per oscitantiam contracta) est, cum quis ignorat, quod scire potuit ac debuit: Hæc, cum quis ea ignorat, quæ nec scire poterat in hac vel illa re, nec scire tenebatur. Aliis illa vocatur ignorantia Juris seu universalium, uti hæc Facti seu particularium. Ignorantia porro invincibilis est talis vel *in se, sed non in sua causa*; vel *in se & sua causa simul*. Illa est, quando quis in ipsa quidem actione ignorantiam, ex qua actio illa procedit, vincere nequit; in culpa tamen est, quare in talem ignorantiam incideret. Sic sæpe, qui per ebrietatem peccat, plane nescit quid agat; est tamen in culpa, quare istud nesciat. Hæc est, quando quis non tantum ea ignorat, quæ scire ante actionem non potuit, sed etiam in culpa non fuit, cur in ista hæreret ignorantia, aut in eandem incideret.

Observatio II.

Homo ex principio interno potest se movere ad actionem aliquam suscipiendam vel omittendam.

I. *Voluntatis actus.*
II. *Actio spontanea.*
III. *Actio permissa.*
IV. *Coactio.*
V. *Liberum arbitrium.*
VI. *Voluntas imperat hominis facultatibus.*
VII. *Voluntas cogi nescia.*
VIII. *Voluntas potest se conformare ad normam.*
IX. *Unde obligationis est capax.*
X. *Voluntas, qua obligatio defecit, est libera.*

§. 1. HOmo cum à Creatore formandus esset animal per leges gubernandum, voluntatem habere debebat, actionum suarum internam moderatricem; scilicet ut objectis propositis & cognitis ex principio intrinseco citra necessitatem aliquam physicam ad ea sese moveret, & eligere posset, quod sibi maxime congruum videretur. Ea sese per duas velut facultates exserere concipitur, per quarum unam agat *sponte*, per alteram *libere*. Spontaneitati communiter attribuuntur certi actus aut motus, quorum quidam interiores, qui *Eliciti*, quidam exteriores, qui *Imperati* vocantur. Actus eliciti sunt, qui à voluntate immediate producuntur, & in eadem recipiuntur. Eorum alii occupantur circa finem, ut Volitio, Intentio, Fruitio; cæteri circa media, ut Consensus, Electio, & Usus. *Volitio* dicitur actus voluntatis quo ipsa simpliciter fertur in finem, non habito respectu, an iste sit præsens an absens: seu quo simpliciter ipsi probatur finis. *Intentio* seu proæresis est desiderium efficax finem obtinendi: seu est actus voluntatis, quo efficaciter fertur in finem absentem, eúmq; consequi nititur. Hujus etsi plures dentur

dentur gradus, vulgo tamen ea dividitur duntaxat in plenam & semiplenam. Plenam intentionem vocant, qua voluntas re sufficienter expensa nec per affectuum vehementiam abrepta in aliquid fertur. Hanc, ubi sufficiens deliberatio non adfuit, aut adfectuum turbine ratio concussa. *Fruitio* est quies seu delectatio voluntatis in fine jam obtento & præsente. *Consensus* autem dicitur simplex adprobatio mediorum, quatenus utilia judicantur ad finem; quæ *Electio*, ubi in potestate nostra sunt sita, ad finem obtinendum destinat, & *Usus* adplicat. Actus imperatos vocant, qui ab aliis animæ facultatibus exsecutioni mandantur.

§. 2. Ad actiones autem *spontaneas*, quæ scilicet suscipiuntur ex interno motu voluntatis cum prævia cognitione, referendæ quoq; sunt, quas mixtas vulgo vocant, quando minus malum non-morale, inutile vel injucundum, suscipitur ad evitandum majus malum, quod aliter declinari nequit. In lucro enim est ponendum, quodcunq; de graviori malo alias inevitabili detrahi potest; adeóq; hoc casu minus malum revera redditur adpetibile, & in quod voluntas pro præsenti statu sponte feratur; utpote cui declinatio mali totius, aut partis duntaxat boni instar sit. Inde tritum illud est: Ex duobus malis (non-moralibus) minus est eligendum, si alterutrum subire necesse sit. Sic etsi v. g. projectio mercium in mare in se non sit aliquid adpetibile; accedentibus tamen certis circumstantiis revera adpetitur, puta, si vitam aliter, oborta tempestate, servare nequeo. Præstat enim mercium jacturam facere, quam una cum illis, vitam perdere. Judicandum est autem de actionibus non tantum ex objecto nude spectato, sed etiam ex fine & circumstantiis, quæ hoc & nunc adsunt; quippe quarum multæ ipsam actionis essentiam ingrediuntur, & quarum unica sæpe totam ejusdem naturam determinat.

§. 3. Cæterum dependent actiones spontaneæ à voluntate

luntate vel *directe*, quæ proprie dicuntur *volitæ*, quas positivo influxu producit voluntas; vel *indirecte*, quæ *permissæ* dicuntur, scilicet, quæ cum ab aliis suscipiantur nobis non directe volentibus aut jubentibus, nostræ tamen censentur, quatenus eas, cum possemus, impedire negleximus eo modo, quo debebamus. Cæteræ autem quæ permissiones audiunt, nihil moralitatis involvunt; quippe cum sint puræ negationes actionum moralium. Ut quando Deus dicitur peccata permittere, ad quæ prohibenda non tenetur eo modo, quo omnino fieri non possent. Aut quando per jocum dicimur permittere, quæ ex necessitate absoluta aut physica fiunt. Sic nihili quoq; est permissio actionis ab altero susceptæ, quam prohibere supra vires est; (siquidem prohibendi impotentia per culpam nostram non fuerit contracta:) ut & permissio actionis susceptæ nobis ignorantibus: aut permissio actionis bonæ, quam de facto prohibere quidem poteram, sed non debebam. Enimvero quando permitto seu concedo v. g. famelico uti meo cibo ea est actio directe volita. De permissione autem legislatorum libro superiore dictum

§. 4. Porro quemadmodum spontaneum duo involvit, intrinsecum voluntatis motum, & præviam cognitionem: ita quod ipsi opponitur *Invitum* notat, tam quod ab extrinseco principio per vim locomotivæ nostræ cum reluctantia voluntatis imperatur, quam quod ex defectu cognitionis procedit. De hoc jam superius dictum, illud autem peculiariter solet vocari *Coactum* Sub quo nomine nobis proprie non habentur illæ actiones, quæ evitando majori malo, suscipiuntur, etsi non nisi præsens necessitas easdem adpetibiles faciat; sed istæ duntaxat, ad quas ab extrinseco principio validiore adigitur quis membra sua adplicare, ita ut aversationem ac dissensum suum signis aut præcipue reluctantia actuali ostendat. Qualis in foro civili adfuisse præsumitur, circa quaslibet actiones aut passiones, quæ communiter

sponte

ſponte admitti non cenſentur, ubi omnia ſigna actualis conſenſus deficiunt; quæ non nullis dicitur *reluctatio interpretativa*. Ut quando in lege divina invita vim paſſa judicatur virgo, cum qua in agro remotis arbitris quis concumbit. Eſt autem coactum aliquid vel *in ſe, ſed non in ſua cauſa*, quando quis in tali ſtatu verſatur in præſens, ut vim allatam repellere nequeat, in culpa tamen fuit, ut in iſtum ſtatum perveniret; vel *in ſe & in ſua cauſa ſimul*, quando quis etiam in culpa non fuit, ut in talem perveniret ſtatum, quo per vim ad aliquid cogi poſſet.

§. 5. *Libertas* eſt facultas voluntatis, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis ex pluribus objectis propoſitis unum vel aliqua poteſt eligere, reliqua rejicere; aut uno propoſito id admittere vel non admittere, agere vel non agere. Peculiariter autem facultatem ex pluribus objectis unum vel aliqua eligendi, libertatem ſpecificationis ſeu contrarietatis; facultatem autem circa unius duntaxat objecti electionem aut rejectionem verſantem, libertatem contradictionis ſeu exercitii vocant. Superaddit igitur ſpontaneitati libertas tum indifferentiam ſuorum actuum quoad exercitium, ita ut voluntas alterum actuum ſuorum, nempe τὸ velle & nolle non neceſſario eliciat; ſed circa objectum propoſitum particulare utrumlibet elicere poſſit, etſi fors ad hunc magis quam ad illum propendeat: tum liberam determinationem, ita ut voluntas ex intrinſeco impulſu alterutrum actuum ſuorum, velle aut nolle heic & nunc eliciat.

§. 6. Conſtat autem voluntatem velut imperium gerere inter facultates hominis, quæ quidem illius directionis ſunt capaces. Sunt enim, quæ omnino iſtud liberum voluntatis regimen reſpuunt; uti vires animæ vegetantis, naturalem agendi modum ſervantes, quem homini immutare, aut actionis earundem exercitium, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, ſuſpendere non conce-

conceditur. Objecti tantummodo adplicatio ipſi relicta, quæ cum mediante locomotiva contingat, penes voluntatem eſt, hanc in ipſarum miniſteria citius aut tardius deſtinare; ita tamen, ut tempora, quando natura objectum adplicari deſiderat, non ex voluntatis arbitrio dependeant. Sic fames & ſitis urgent, non quando homini placet, ſed quando craſſius aut liquidius alimentum abſumptum. Sed & objectum congruum aut minus tale ipſis præbere poteſt homo, ex quo iſtæ incrementi aut decrementi materiam capiant; ita tamen, ut adplicato ſemel objecto, voluntatis regimini locus non amplius ſuperſit. Sic in arbitrio hominis ſitum, boni vel deterioris ſucci cibum ſtomacho ſuppeditare; aſt hic ingeſtum ſemel alimentum modo naturaliter ſibi inſito, non ad arbitrium hominis digerit. Senſus interni & externi, organo recte diſpoſito, non poſſunt non objectum admotum percipere, ac de eo, prout ipſis adparet, judicare; etſi interveniente locomotiva voluntas iiſdem objecta admovere vel ſubtrahere poteſt. Quæ eadem ad intellectum adplicare licebit. Enimvero in locomotivam voluntas abſolutum exercet imperium, non ſolum quando iſta ſibi relicta eſt, ſed & ubi ab adpetitu ſenſitivo impellitur. Nam & in hunc voluntatis eſt imperium, etſi non ita quietum, quin identidem tumultibus in eo adfectus inſurgant, queis reprimendis magno niſu opus eſt. Nunquam tamen victoria ipſi deſperanda, ubi vires ſuas recte adhibuerit, etiam ubi per moram temporis aut conſuetudine invaluerint. Aſt in illis, queis per morbum mens eſt mota, nec rationi amplius locus datur, nec actiones talium pro humanis cenſentur.

§. 7. Sed & illud in propatulo eſt, voluntatem neque à principio extrinſeco neque intrinſeco ita poſſe cogi ad aliquod ſibi conveniens averſandum, aut diſconveniens adpetendum, ut nulla prorſus libertas, ſaltem exercitii, ipſi relinquatur. Vis enim externa non id proprie efficit,

cit, ut in id feramur, à quo voluntas noſtra abhorret; ſed vel propoſito majori malo minus malum adpetibile, adeóque voluntati conveniens reddit; quemadmodum lucrolum parte duntaxat ſoluta toto debito liberari: vel illud perſuadet, ut rei alicujus adpetitionem & averſationem ſignis exterioribus mentiamur. Cætera omnia quæ blandis illecebris voluntatem delinire, aut per aſpera terrere aggrediuntur, nullam obſequii neceſſitatem adferre poſſunt. Equidem bonum in genere ſemper voluntas adpetit, malum averſatur. At nullum particulare bonum eſt, etiam judicio intellectus commendatum, quin illud adhuc poſſit negligere. Quemadmodum & id, quod ratio malum morale judicavit, adpetere poteſt; prævalente boni ſpecie per judicium ſenſuum commendata, quæ iſti malo eſt adjuncta. Sic quacunque animus induatur obligatione, id tantum efficit, ut ſecundum eam tibi agendum ratio judicet, non ut in contrarium omnino tendere de facto nequeas.

§. 8. Ex quibus facile quoque adparet, homini datum eſſe ad normam notionalem dirigere actiones à voluntate immediate dependentes, vel ejuſdem imperio ſubjectas. Cum enim voluntas ſit libera facultas, cujus actus neq; quoad ſpecificationem, neq; quoad exercitium naturali neceſſitate adſtringantur; nec quæ ad unum agendi modum ſibi ſemper ſimilem determinetur, ſed intrinſeco velut impulſu ad agendum ſeſe moveat, ac ipſa actionis ſuæ modum deſignet: manifeſtum ſane eſt, ſi regula aliqua certum agendi modum monſtrans innoteſcat, (ſemper enim præcedens cognitio intellectus requiritur, & fieri non poteſt, ut actiones quis ſuas conformet ad normam, quam ignorat;) poſſe ipſam actus ſuos elicere, & cæteras facultates ſibi obnoxias ad præſcriptum iſtius regulæ dirigere, ſi libitum fuerit. Circa quam tamen regulam præſupponitur, ut non pugnet cum univerſali voluntatis inclinatione, id eſt, ut non præcipiat voluntati aliquid adpetere, quod naturæ

ipſius

ipsius adversatur, aut aversari, in quod naturaliter fertur; seu ne jubeat aversari bonum qua tale, aut adpetere malum qua tale. Istud enim ut fiat impetrari ab ipsa nullo modo potest, etiamsi actus exteriores id, quod inclinationi voluntatis contrarium est, simulare queant.

§. 9. Cui consequens est, ut hominis voluntas sit apta recipere obligationem à principio extrinseco, ut ex præscripto istius actuum suorum specificationem & exercitium, agendi q; modum determinet. Sane enim obligatio præsupponit naturalem facultatem agendi & non agendi, quam si quis per necessitatem aliquam physicam ita determinet, ut ad modum causarum naturalium in diversa prorsus niti nequeat, omnem actionum ipsius moralitatem extingueret; quemadmodum & qui non nisi vinculis physicis homines coërceret, ad brutorum ipsos conditionem redigeret. Ast ubi moralia voluntati vincula injiciuntur, i. e. ubi indicatur quid agendum sit, ni periculo alicujus mali subeundi sese exponere velit, ab eo, cui malum istud imponendi potestas est; tunc utique, licet naturalis facultas in contraria tendendi superfit, morali tamen necessitate libertas ipsius includitur, ut ex judicio rectæ rationis semper id potius, quod præscriptum fuit, quam contrarium ejus agendum videatur.

§. 10. Ast vero qua obligatio deficit, voluntas libera esse intelligitur, & habere potestatem agendi omnia ea, quæ per vires naturales ab eadem effici possunt. Quin & ubi sese ad aliquid semel determinavit, ni lex aliqua obstiterit, proprium decretum eam vim haudquidquam habet, ut recte id, quandocunq; libitum sit, mutare aut tollere nequeat. Quæ mutatio contigisse censetur non solum, quando quis eam expresse significavit, sed etiam cum quid fecit, quod cum prioris voluntatis decreto stare non potest. Sic si certa pugna sit inter instrumenta conventionum de eadem re, quod posterius inter contrahentes

trahentes placuit, prioribus derogabit; quia uno tempore nemo contraria voluisse potest; & ea est natura actuum, qui à voluntate pendent, ut novo actu voluntatis inde discedi possit, sive conjunctim, ut in contractibus & pactis, quæ utriusq; partis consensu dissolvi possunt, nisi per legem superioris irrevocabilia sint facta; sive *μονομερῶς* seu ex una parte, ut in testamentis, & legibus humanis positivis. Ubi tamen observandum, decretum, quod non nisi certo aliquo statu aut conditione præsente condi potest, post illa sublata non posse rescindi à condente, ubi semel rite conditum fuit. Sic quam legem Princeps tulit, ubi imperio abiit, tollere nequit. Nec obstat, si præcedente decreto dictum sit, deinceps condendum fore irritum. Recte enim ille: Absurdum est, per statutum præcedens statutum aliquod futurum velle frustrari. Absoluta enim potestas seipsam constringere nequit, neque, quod natura revocabile, figi potest. Non magis, quam si quis testamento suo declaraverit, quod si novum testamentum conderet, id irritum esset. Etsi enim ejusmodi clausula præsumptionem possit fors gignere, in posteriori testamento veram voluntatem non fuisse expressam; tamen si huic ea clausula revocetur, omnino prius vanum erit. Sic quod Principibus non infrequens est, constitutionibus quibusdam expresse addere, etiamsi peculiari rescripto quid istis adversum jusserint, ei tamen à Magistratibus aut Judicibus non esse parendum; id non eum habet effectum quasi ista abrogare iterum nequeant; sed potius significant, posteriora rescripta non esse seria, aut sibi per imprudentiam excidisse; ac subtili hac arte procacium imprudentiam petitorum amoliuntur, quos aperte negare non sustinebant. Bene tamen observandum, ita demum decretum voluntatis propriæ posse revocari, nisi per id collatum sit alteri cuidam jus aliquod, quod invito eripi non debeat. Inde adparet, cur v. g. in renunciationibus, quando quis jure suo in alterius

gratiam

gratiam cedit, hæc soleant verba adhiberi: Contra hoc instrumentum à me aut meis hæredibus nihil tentari debet, & si fors fiat, irritum & nullum habendum. Per hunc enim actum jure me meo abdico, & id in alium confero. Unde sane, si quid contrarium isti renunciationi in posterum decernatur, id nullum erit; scilicet, quia nihil mihi amplius in illam rem juris; & sine effectu de re aliena disponere aggredior.

Observatio III.

Homo per naturam destinatus est ad agendam vitam socialem cum hominibus.

I. *Quilibet homo sese maxime amat.*
II. *Eidem natura necessitatem & desiderium societatis colendæ implantavit.*
III. IV. V. *Respondetur ad argumenta eorum, qui hominem naturâ animal sociale negant.*
VI. *Vita non-socialis est vita bestiarum.*

§. 1. Habet hoc commune homo cum omnibus animantibus, queis, ut esse se sentiant, datum fuit, ut se maxime amet, seipsum studeat omni ratione conservare quæ bona sibi videntur adquirere nitatur, mala repellere. Et communiter quidem iste cujuslibet erga seipsum amor tantus est, ut quævis inclinatio erga quemvis alium hominem ipsi cedat. Videntur equidem interdum aliqui teneriore adfectu alios amplecti, quam seipsos, ac magis gaudere ipsorum bonis,

quam propriis: magisq; eorundem malis dolere, quam suis. Sic sæpe parentes, quem liberos suos sentire dolorem vident, in seipsos mallent transfusum. Sic multos æquo animo mortem oppetiisse constat, ut alios peculiari sibi vinculo nexos servarent. Enimvero id factum, vel quia ob arctam necessitudinem aliorum bona aut mala pro suis duxerunt, vel quia ista adfectus aut fidei jactantia peculiare aliquod bonum sibi comparatum ivere. Sic parentes quidam effusius lætantur liberorum suorum bonis quam propriis; quia duplicari bonum judicant, quod ipsos pariter atq; ex se natos adficit. Sic proprio sæpe dolore nobis adamati vellemus dolorem redimere, quod gravius velut sauciet telum per tam amicum corpus nos petens. Et qui pro alio perire non recusat, vel tantum gloriæ ex isto facto sperat, quod vita bene emi judicet; vel eo extincto id in se malum timet redundaturum, ut vita sibi non amplius sit exoptanda.

§. 2. Enimvero parum homo absuturus fuisset à belluis, nec multo cultiorem aut commodiorem quam ipsæ vitam degeret, ni altera quoq; per naturam insita ei foret inclinatio, ut in societate sui similium versari gauderet. Quod manifestius est, quam ut pluribus ostendi debeat. Perpetua solitudine homini nihil tristius. Soli inter animantia datum articulato sono animi sensa aliis posse exponere, quo nullum aptius instrumentum societati contrahendæ aut servandæ. In nullo animantium genere unius commoda ab aliis tantum possunt promoveri, quantum hominum à se invicem. Vitæ humanæ ea indigentia, ut, non conspirantibus in mutuam operam pluribus, maligne admodum servari possit. Imbecillitas hominum recens natorum major est, quam ullius alterius animantis; & cum cæteris pauci dies aut menses sufficiant ad id, ut sibi ipsis de victu prospicere queant, illis vix anni aliquot sufficiunt. Adde quod bestiis victum ubivis obvium terra exposuit, sed quæ homini

homini congruunt, induſtriam plerunq; & cultum deſiderant. Et tamen minima iſthæc eſt pars, ut quis nominis humani dignationem mereatur, victum poſſe ventri ſuggerere. Quid? quod non ſolum beſtiis præda eſſemus futuri, ſed & belluarum more in nos ipſoſ invicem graſſaturi ni in pacificam ſocietatem omnino coire nos natura juſſiſſet.

§. 3. Aſt ne quem forte moveant rationes eorum qui iſthæc tam clara negare ſuſtinent, ſciendum. 1. Duas haſce inclinationes, quibus homo ſeipſum amat, & ſocietatem adpetit, ex intentione naturæ ita temperari debere, ne per illam huic aliquid decedat. Scilicet homini ita ſui amorem natura commendavit, ut ne tamen propter eundem aliquid committat, quod inclinationi ad ſocietatem repugnet vel ipſam ſocietatis naturam lædat. Quod ubi per affectuum exorbitantiam negligit, & ſuum quærit commodum cum iniqua aliorum læſione, enaſcitur quidquid eſt turbarum, queis homines inter ſe colliduntur. 2. Ut certa individua in certam coëant ſocietatis ſpeciem, id fieri vel ob peculiarem ingeniorum, aut aliarum qualitatum congruentiam, vel quod finem aliquem peculiarem magis apud hos, quam illos obtinere ſe poſſe putent. Nequaquam autem neceſſe eſt, ut omnes homines in unam coaleſcant ſocietatem, in qua omnes inter ſe ſint æquales; ſed ſufficit, ſi iſdem in plures ac diſtinctos ſeſe congregent cœtus, qui tamen inter ſe haudquaquam inſociabiles omnino ſint, ſed læſionibus injuſtis invicem abſtineant, & quantum per arctiores poſſunt obligationes, commoda & bona invicem communicent.

§. 4. His poſitis non difficulter reſponderi poteſt ad id, quod quidam diſſerunt: Verum quidem eſſe homini per naturam, ſeu quatenus eſt homo, id eſt, ſtatim atque natus eſt, ſolitudinem perpetuam accidere moleſtam; infantes ad vivendum, adultos ad bene vivendum aliorum indigere ope; hominéſq; mutuos con-

greſſus natura cogente adpetere. Enimvero ſocietates civiles non meros congreſſus, ſed fœdera eſſe, quibus ineundis fides & pacta neceſſaria ſint. Horum ab infantibus quidem & indoctis vim, ab iis, qui damnorum à ſocietatis defectu ortorum inexperti ſunt, utilitatem ignorari. Unde fieri, ut illi, quia quid ſit ſocietas non intelligunt, eam inire non poſſint, hi autem, quia neſciunt, quid proſit, non curent Ergo omnes homines, cum ſint nati infantes, ad ſocietatem ineptos natos eſſe, plurimos per omnem vitam tales manere: diſciplina autem, non natura, hominem aptum fieri ad ſocietatem. Sed facile patet objectionis colorem fere oriri ex cavillatione vocabuli græci πέφυκε, quod Latinis interpretibus ſolemne eſt vertere *aptus natus eſt*, quo proprie ſignificatur naturalis inclinatio ad aliquid, cum naturali potentia recipiendi actualem aptitudinem illi rei exercendæ; etiamſi iſta actualis aptitudo non ſtatim per nativitatem inſit, ſed per induſtriam demum ſit introducenda. Senſus itaq; triti iſtius, homo natura eſt animal ſociale, hic eſt: hominem à natura deſtinari ad ſocietatem ſui ſimilium, eámq; ipſi quam maxime congruam eſſe atq; utilem; eundémq; tali prædítum ingenio, ut per culturam poſſit recipere aptitudinem recte verſandi in iſta ſocietate; immo hunc ex ſocietatibus vel præcipuum enaſci fructum, ut recens nati, queis per naturam actualis iſtarum rerum intellectus non eſt inſitus, in iſtis in idonea earundem membra efformentur. Nec intra connubia aut familias iſta aptitudo conſiſtit, ſed etiam ad civitates conſtituendas ſeſe extendit; ubi plures familiæ ſecuritatis & copioſioris vitæ cauſa coeunt, communiq; conſilio ſocietatis negotia adminiſtrant, ſub certis imperandi & parendi legibus. Quales ſocietates natura omnino inter homines eſſe voluit; etſi hoc in arbitrio hominum fuerit relictum, adeóque per pacta determinandum, quæ individua cui ſocietati ſint adjungenda, aut quis iiſdem gubernandis præficiendus.

dus. Nec ideo civitas in ſe naturæ congrua eſſe deſinit; quod multi per vim injuſtam & ſcelera ad ejus gubernacula nitantur. Verum uti civitatum complures dantur formæ particulares; ita diverſa hominum ingenia diverſis formis magis congruunt. Quod ſi vero alicujus ingenium conditiones æquas, ſine quibus ſocietas coaleſcere aut ſtare non poteſt, accipere per ſuperbiam dedignatur, haudquaquam id indicio eſt, hominem non eſſe animal ſociale; ſed iſtum vel minus aptum eſſe ad vivendum in peculiari aliqua ſocietatis ſpecie, puta, in qua omnes æquo fruuntur jure; vel vitioſe proprio amori plus juſto indulgere, quem tamen cum inclinatione ad ſocietatem placide conſpirare natura jubebat. Id vero nullius momenti, quod adfertur, commoda vitæ magis dominio poſſe juvari, quam mutua opera. Nam nec ſtabile dominium ullum ſine ſocietate eſt; nec ut omnes homines in alios homines dominium habeant omnino fieri poteſt.

§. 5. Quod autem ulterius objicitur; Si homo amaret hominem naturaliter, id eſt, ut hominem, nulla ratio reddi poſſet, quare unuſquiſq; unumquemq; non æque amaret, ut æque hominem; aut cur eos frequentaret potius, in quorum ſocietate ſibi præ aliis honor defertur & utilitas; ad id ſciendum; Omnes quidem homines naturæ inter ſe ſimilitudinem conciliaſſe, adeo ut revera generalis illa amicitia ex communi natura reſultans, communis quoque omnibus eſſe debeat, niſi ſi quis forte ſceleribus ea ſeſe indignum reddiderit. Enimvero ad communem iſtam naturam complura accedunt, quæ in cauſa ſunt, cur hic magis amet hunc quam illum; puta quod ingeniorum major ſit inter ipſos circa peculiares inclinationes congruentia, vel quod propius eorum origines diſtent. Tunc autem nulla ratio poſſet reddi, ſi velut fungi è terra omnes homines ſimul eſſent enati, nulla invicem cognatione; aut ſi omnimodam inter ſe ſimilitudinem ingeniorum haberent. Qualis

hominum ſtatus uti nunquam extitit; ita ex illius ſuppoſitione contra id, quod res ipſa oſtendit, nihil concludi poteſt. Cæterum ideo eos libentius frequentat homo, in quorum ſocietate ipſi potius quam alteri defertur honor & utilitas, quod quiſq; commoda ſua amet. Id quod haudquaquam naturæ repugnat, modo harmonia ſocietatis per iſtum amorem non turbetur. Nec enim ideo ſocietates colere natura nos juſſit, ut noſtri curam negligeremus; quippe cum illæ vel maxime id efficiant, ut per mutuam auxilii atq; bonorum inter plures communicationem noſtris bonis eo commodius poſſemus proſpicere. Ac licet quis, dum ſocietati alicui ſeſe adjungit, primario ſuum, ſecundario ſociorum commodum ſpectare ſoleat; nihil tamen obſtat, quo minus debeat ita proprio ſtudere commodo, ne commodum ſocietatis lædatur, ſingulíſve membris injuria inferatur; aut interdum neglecto proprio commodo bonum ſocietatis curare. Et nihil ad rem facit, quod adfertur, originem magharum & diuturnarum ſocietatum, id eſt civitatum, non à mutua hominum benevolentia extitiſſe, ſed à mutuo metu; (vocabulo hoc pro quolibet proſpectu ac præcautione futuri mali ſumpto.) Nam id vel maxime naturæ humanæ conditioni congruit, ut cum ſinguli aut pauci injuriis eſſent expoſiti, plures inter ſe uniti contra mala ſeſe munirent; nec ſolus hic civitatum finis aut uſus, malum declinare. Nec id requiritur ad hoc, ut ſocietas aliqua naturæ congrua dicatur, ex ſola benevolentia mutua coaluiſſe; quæ tamen neque in civitatibus conſtituendis proſſus abeſt: quippe cum illi ſaltem, qui prima velut fundamenta civitatum ponunt, pleriq; mutua benevolentia invicem jungantur, etſi fors alii deinceps ex metu his ſeſe aſſociare compellantur.

§. 6. Operæ pretium eſt autem conſideraſſe, quanam conditione victuri eſſent homines, ſi omni deſtituerentur obligatione à natura ad colendam inter ſe ſocietatem;

ratem; vel si non essent animalia sociabilia. Ubi sane adparet, cum nullum ipsis jus invicem fuerit intercessurum, futurum fuisse ut quilibet in quodlibet æquale cæteris jus habuerit; ac sine ulla injuria potuerit quilibet cuilibet inferre, quod ad conservationem sui ipsius facere videretur, quantum vires cujusq; id admisissent; ex quo oriturum fuisset bellum omnium adversus omnes, quæ ipsissima est bestiarum vita. Quemadmodum enim, ideo, quod homini cum brutis nulla juris communio intercedit, cuilibet, (ubi removeas respectum, quo in bruta jam certi homines jus sibi præ aliis quæsivere,) quodlibet animal, ubi libitum fuit, vel occidere, vel ad ministeria præstanda cogere licet, quantum per vires conceditur, citra injuriam bruto illatam: sic si nulla mihi adversus ullum hominem esset obligatio, posita naturali facultate alterum lædendi vel etiam occidendi, liceret mihi utiq; vitam ac membra mea quantum possem tueri, omniáq; media eo inservientia adhibere, quorum ad finem aptitudinem penes me solum esset judicare; adeóque possem non tantum mihi vindicare ea omnia, quæ conducere mihi judicassem, sed etiam quemcunq; hominem occidere, debilitare aut alio modo constringere, siquidem id securitati meæ expedire videretur; cui utiq; in tali statu, nulla obligatione mutua existente, nisi per vim, prospicere non possem. Atq; idem cum cuilibet in quemlibet licuisset. quid aliud, quam rapaces in proprium genus belluæ fuissent homines? Enimvero cum in tali statu homines nunquam extiterint, nec ex intentione Creatoris unquam existere debuerint; incongrue admodum, & vix citra contradictionem hic vocatur status naturæ. Unde quoque incommoda ex tali statu resultantia directe non debent substerni pro fundamentis legis naturæ, (etsi revera, ne iste status inter homines existat, lex naturæ facit;) sed illud potius, quod Deus directe destinaverit hominem ad colendam vitam socialem. Hæc enim nisi fuisset

directa Dei intentio, non magis necessarium fuisset hominibus ob incommoda ex vita non sociali orta invicem pacta inire, quam cæteris animantibus cum ursis, lupis aut leonibus ad evitanda incommoda vitæ, quæ ipsis degitur, non socialis. Nec est, quod regeras, rationem his deesse, qua vim pactorum intelligant. Nam neq; hominibus rationem dedisset Creator, nisi societati colendæ eos destinare voluisset.

OBSERVATIO IV.

Homini ita curam sui agendam recta ratio dictitat, ut ne societas humana turbetur.

I. *Lex naturæ innotescit per dictamen rationis.*
II. *Quomodo limitandum illud; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*
III. *Obligatio legis naturæ unde*
IV. *Leges naturæ fundamentales.*
V. *An ex solo amore sui ipsius leges naturæ derivandæ?*
VI. *Quid in necessitate propria liceat in alterius vitam?*
VII. *Aus res?*
VIII. *Leges naturæ circa conservationem sui ipsius.*
IX. *An lex naturæ & instinctus circa idem objectum versari possint?*
X. *Quid homini liceat in propriam vitam?*
XI. *An cura propriæ salutis licitum sit bellum.*
XII. *Defensio propria quando locum habeat?*
XIII. *Quousq; progredi possit?*
XIV. *Bellica vis medium extraordinarium hominibus invicem agendi.*
XV. *Bellum non ex quibuslibet causis recte suscipitur.*
XVI. *Quid in hostem liceat?*
XVII. *An subditos hostis corrumpere liceat?*
XVIII. *Temperamenta licentiæ bellicæ.*
XIX. *Bellum componendum, quantum fieri potest.*
XX. *Qualis cautio de non offendendo in posterum exigenda?*
XXI. *Lex naturæ de colenda pace & exercenda humanitate.*

XXII. Qua

XXII. *Qua ratione homines invicem æquales?*
XXIII. *Lex naturæ generalis de non lædendo jure alterius.*
XXIV. *Leges de non violando alterius corpore.*
XXV. *De non violanda pudicitia.*
XXVI. *De non diffamando.*
XXVII. *De non mœchando.*
XXVIII. *De non lædendis rebus alterius.*
XXIX. *De servandis pactis.*
XXX. *De restituendo damno dato.*
XXXI. *De provocando ad arbitros.*
XXXII. *De recte judicando.*
XXXIII. *De gratitudine.*
XXXIV. *De recte adhibendis signis, ubi.*
XXXV. *De mendacio.*
XXXVI. *De Interpretatione signorum.*

§. 1. ETsi, quando in lucem homo prodit, nulla rerum cognitione animus ipsius deprehendatur imbutus; ita tamen disposítum ipsius intellectum formavit DEUS, ut postquam cum ætate ipsius se vires exserere cœperint, ex inspectione rerum naturalium notiones quasdam concipiat, uberiori scientiæ post superstruendæ inservientes; & ex contemplatione sui agnoscat, quas actiones ipsum tanquam naturæ suæ congruentes Creator obire voluerit, & quas vitare, tanquam eidem repugnantes. Circa illas aliorum est occupari; nobis de posteriori paulo curatius heic dispiciendum. Per experientiam igitur constat, quod ubi ex infantili ignorantia sese rationis lumen in homine paulo clarius exlerit, atque ad contemplationem suæ naturæ se convertit, ratio ipsi per adfectus aut vitiosos habitus non corrupta, dictitet, par quidem esse, ut ipse se, quantum potest, curet & conservet; quia tamen à Creatore ad societatem cum aliis hominibus colendam destinatum sese animadvertit, necessum esse, ita curam sui temperare ne cum aliis insociabilis fiat, aut ne societas inter homines turbetur. Id ipsum est, quod vocamus legem Naturæ. Hæc, uti dictum, ex consideratione naturæ & conditionis humanæ absq; adminiculo aliquo supernaturali innotescit. Nec ideo ea natura

nota

nota esse definit, quod aut multis haud ista ingenii vis, ut proprio ratiocinio eandem investigare queant, aut quod istius notitia plerisq; per informationem aliorum adquiratur. Sufficit enim, quod ingeniorum saltem mediocrium eam eruere possit perspicacitas; cæteri autem, ubi ejus, docentibus aliis, adquisitam notitiam cum naturæ suæ conditione contulerint, perspicere queant, necessario sibi hanc legem congruere. Ac uti per legem naturæ humana societas coalescit & conservatur; ita hic haud minimus societatum jam constitutarum fructus est, ut in ipsis per aliorum institutionem, atque ipso exercitio legem naturæ etiam hebetiores addiscant.

§. 2. Qui vero valde commendatur modus facile in plerarumq; cognitionem legum naturæ perveniendi; scilicet, ut facturus quid in alterum cogitet, se illius loco poni, quum est agendum, & alterum vicissim ipsius loco constitutum; ita est restringendus, ut isto casu consideretur, non solum quid *inferri* nobis placeat aut displiceat; sed etiam quæ alteri obligatio aut necessitas nobis quid inferendi incumbat. Adeoq; tritum illud; *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, hactenus duntaxat valet: quemadmodum tibi non vis fieri, ut alter quid ingrati tibi inferat, ad quod per obligationem aliquam aut necessitatem non adigitur; seu, quod eodem recidit, uti tibi non vis fieri ab altero, quod sit injustum aut inhumanum; ita tale quid tu alteri ne inferas. Qua ratione per dictum illud judex sane non impeditur, quo minus de sontibus supplicium sumat; etsi ipse sontium loco constitutus supplicium effugere, æque ut illi, sit desideraturus. Sic circa illud ab ipso SERVATORE prolatum: quidquid volueritis, ut alii vobis faciant, id iis ipsi quoq; facite; itidem cogitandum est, non solum quid ab altero nobis fieri gratum sit futurum; sed etiam, quid iste alter commode facere possit. Unde haudquaquam oportet me servo meo calceos

calceos purgare, quia volo, ut ipse mihi eos purget. Et injungitur isto præcepto justitiæ ac humanitatis potissimum exercitium; quæ sane humanitas haudquaquam requirit, ut aliquid alteri dem, quo ipse citra magnum meum incommodum carere nequeo, aut præstem, quæ vel ipse commode præstare non possum, vel quæ alteri, ut à me præstentur, adeo necessaria non sunt.

§. 3. Obtinet autem dictamen illud rationis, seu lex naturæ, vim obligandi homines ex autoritate Creatoris, tanquam supremum in ipsos imperium gerentis. Qui cum hominis naturam ita formarit ut ad societatem colendam ipsum esse destinatum satis adpareat, eaque de causa eidem animum istarum fecerit notionum capacem; intelligitur sane eundem quoque voluisse, ut homo fini ab ipso præscripto sese attemperet. Adeóque cum per legem naturæ iste finis obtineatur, obligasse quoque ad eam servandam, tanquam medium non ex arbitrio hominum inventum, ac ex eorum libidine mutabile, sed expresse ab ipso DEO huic fini adsequendo constitutum. Qui enim alicui pro imperio injungit finem, censetur quoque eundem obligasse ad usurpanda illa, quæ fini obtinendo sunt necessaria. Ac habuissent perfectam vim obligandi hominem leges naturæ, etiamsi DEUS eas nunquam in verbo quoque suo revelato proposuisset; nec eo minus leges sunt, quod videntur tantum conclusiones quædam ratione intellectæ de agendis & omittendis, non autem orationes ejus, qui aliquid fieri vel non fieri jure imperet. Tenebatur enim homo Creatori suo obtemperare, etiamsi peculiari revelatione autoritatem ipsi suam non ostendisset; quippe cum alias imperio summi rerum Arbitri subjectum se etiam citra istiusmodi revelationem sentire posset: & lex est decretum superioris, quacunq; demum ratione subdito innotescat, sive per signa notionalia seu orationem voce aut scripto expressum promulgetur, sive ex con-

conditione naturæ aut negotii, quod gerendum, ratiocinando sit colligenda & præsumenda. Ac nemo negaverit, eos quoque, queis Scripturæ Sacræ nunquam innotuerunt, in legem naturæ peccasse; quod dici non posset, siquidem ea vim legis ex promulgatione per Scripturas facta mutuaretur.

§. 4. Sunt autem leges naturæ fundamentales, & ex quibus reliquæ omnes fluunt duæ: 1. *Ut quilibet vitam & membra sua quantum potest tueatur, seque ac sua conservet.* 2. *Ut ne perturbet societatem humanam, seu, ne faciat aliquid, quo minus tranquilla inter homines societas esse queat.* Hæ ita inter se conspirare, & invicem velut implexæ esse debent ut in unam velut coalescant legem, scilicet: *Ut ita quisq; conservare se studeat, ne societas inter homines turbetur.*

§. 5. Equidem sunt, qui ex sola priore lege reliquas omnes satis [illegible]gute deducunt. Scilicet cum, remota omni societate inter homines, quilibet in quælibet æquale esset jus habiturus, ex quo bellum omnium adversus omnes fuisset oriturum; qui tamen status conservationi & securitati hominum quam maxime repugnet, ac infinitas secum molestias atq; miserias trahat: Igitur quærendam esse pacem, quatenus ejus habendæ aliqua spes affulserit; ubi haberi ea non possit, quærenda belli auxilia: Adeóq; jus in omnia non esse retinendum, sed pactis, queis omnino standum, societatem mutui auxilii causa constituendam, & sic deinceps. Enimvero cum supra ostensum fuerit, naturam directe hominem sociali vitæ destinasse; ita ut, licet peculiari se vinculo particulari alicui societati adstrinxerit, cum omnibus tamen, etiam qui extra istam degunt, hominibus quantum per ipsos liceret universalem pacem coleret, & quæ commode posset, humanitatis officia exhiberet; merito quoq; socialis vitæ conservatio pro fundamento legibus naturæ substernitur; non vero secundario assumitur tanquam aliquid, ad quod suscipiendum homines ex accidenti

cidenti fuerint compulſi. Unde incongruum quoq; eſt, ex dictamine rationis, præciſa ſuppoſitione ſocialis vitæ, velle derivare jus aliquod naturæ primævum; quippe cum omnia, quæ iſthoc modo colliguntur, ad ſocialis vitæ naturam neceſſario ſint attemperanda. Ac ponamus populum aliquem internam inter ſe pacem colentem, iſtis pollere viribus, ut reliquis omnibus queat eſſe metuendus; adeóq; ab aliis lædendis haudquaquam iſto metu reprimatur, ne fors ſua in ipſum exempla ſtatuantur: ſi talis populus in aliorum imbecilliorum perſonas aut res pro lubitu graſſaretur, ageret, raperet, occideret, in ſervitutem abſtraheret alios, prout ſibi expedire judicaret, quis non agnoverit directe ab his jus naturæ violari? Aut quis à cœtu luporum eoſdem differre dixerit? Et poterat tamen (quod ſupponimus,) populus iſte ſe conſervare, etiamſi fors nullum adverſus alios jus adhiberet. Quin præprimis ad vigilandum jus naturæ inducit illa perſuaſio, aliquem ſibi ipſi ſufficere; ſaluti ſuæ abunde proſpectum; non eſſe, quod reliquorum officia mereri ſtudeat. Nec ex alio fonte profluxit conſuetudo, multis olim populis recepta, exteros latrociniis infeſtandi, & piraticam exercendi; eo quod civibus ſe tantum ſuis obſtrictos putarent, extraneis nullo juris vinculo obligari; adeóq; cum civibus tantum ſuis pacem, cum cæteris omnibus bellum eſſe. Stat ergo, uti vita hominum ſine ſocietate beſtiarum vitæ ſimilis eſt futura; ita legem naturæ in eo præcipue fundari, quod ſocialis inter homines vita ſit conſervanda. Et uſque adeo aſſertioni noſtræ non repugnat, ut potius eandem firmiter adſtruat naturæ noſtræ conditio, quæ, etiamſi nulla naturæ lege ad colendam ſocietatem adſtringeremur, ſponte eam inſtituendam ſuaderet, ob commoda ex eadem fluentia, & effugiendis incommodis, quæ vitam non-ſocialem comitantur.

§. 6. Diſpiciendum vero heic, an non illa lex de conſervando ſeipſo ſine turbatione ſocietatis aut læſione alterius,

alterius, per neceſſitatis caſum reſtringatur; ſeu, an non alterius corpus aut res lædere liceat, ſiquidem ego me ac mea aliter ſervare nequeam? Ubi illud hoc ſuponimus, teneri quemlibet, extra æqualem neceſſitatem poſitum, ex lege humanitatis alteri in extrema neceſſitate conſtituto pro viribus ſuccurrere; idq; ſubſidium neceſſitatem eodem fere modo vindicandi poteſtatem facere, quo ea, ad quæ jus habemus; manente obligatione reſtitutionis, ſaltem per modum gratitudinis, ubi præſens neceſſitas remota fuerit. Merito enim ea vis neceſſitati tribuitur, ut prævaleat rationibus illis, quibus alias, quæ ex humanitatis lege debentur, non per vim vindicare jubemur. Potiſſima autem controverſia eſt, an neceſſitas alicui det licentiam in vitam alterius? Ubi de diſtinctis caſibus diſtincte eſt judicandum. Ac primo quidem, ſi v.g. Princeps, aut cui alias in vitam meam quocunque modo in præſens ſtatuendi vis eſt, me jubeat alterum, de cujus innocentia mihi conſtat, interficere, ni ipſe velim interfici; ſane ſiquidem meram duntaxat exſecutionem mihi injunxerit, vix dubitabit quiſpiam, quin vitæ meæ ſervandæ manus meas illi miniſterio recte commodare queam. Nulla quippe ratio eſt, quare vitam meam prodigam, alvero nihilominus per alios tollendo, præſertim cum, qui eam mihi neceſſitatem admovet, totum ſibi factum vindicet, nec ullam reatus partem in me derivare videatur. Etſi merito tale miniſterium deprecor, ubi id citra ingens periculum effugere licet, etiam ubi ſola mihi exſecutio mandatur. At vero alius caſus eſt, ſi Princeps mortem interminatus jubeat, innocentem ſua ſententia tanquam ſontem condemnare. Nam hac ratione judex officii ſui violationem commodat ad præbendam occaſionem ſpecioſam in inſontem tanquam noxium ſæviendi adeóque magnam reatus partem in ſe derivat. Cujuſmodi facti turpitudinem vir bonus etiam cum periculo vitæ effugere præclarum ducat. Dantur præterea a-

liſ

lii casus, quibus, ut vita mea servetur, alterius vita probabili mortis periculo exponi possit, non quidem directa intentione, sed indirecte & consequenter. Sic v.g. quando duo sumus in præsenti vitæ periculo, ut aut utriq; simul sit pereundum, aut unus duntaxat servari queat, alteri sane alias perituro fata admovere licet, ne ipse cum eo perire cogar. Sic in naufragio, ubi tabulam ego occupavi duorum non capacem, si quis adnatans eidem se quoq; injicere velit, me simul secum perditurus, nihil obstat, quo minus quavis violentia eundem à me rejiciam. Sic quando duobus fugientibus hostis necem intentans instat, unus vel ponte post se dejecto, vel porta clausa alterum in præsenti vitæ periculo destituere potest, si uterq; simul servari nequeat. Pari modo si robustior aliquis mortem intentans me persequatur, ac in via, qua fugiendum, forte quis occurrerit, cui alias ab isto nihil periculi, siquidem admonitus non cesserit, aut id temporis locive angustia non admiserit, licebit sane illum prosternere, & per ejusdem stragem fugam capescere; etiamsi probabiliter ex isto impulsu corpus ipsius vehementer adpareat affligendum; nisi forte persona obstans ejusmodi sit, ut mihi etiam probabile vitæ periculum potius sit subeundum, quam ut ipsa mei causa graviter lædatur. At vero si quis petulanter aut inhumane mihi obstiterit, & viam fugiendi indulgere renuerit, eum directa quoque intentione tanquam hostem occidere possum, siquidem leviori modo non possit amoveri. Quod si vero v.g. in naufragio plures in cymbam insilierint, quam illa ferre possit, ita ut si cæteri servari velint, necessario unus pluresve sint projiciendi, posito omne hoc æquali gaudere jure, sorte erunt ducendi, qui projiciantur; si quis sortiri detrectaverit, tanquam qui omnium perniciem quærat, ablatus ulteriore mora præcipitari poterit. Quos casus, & si qui his similes occurrunt, qui probe expenderit, haudquaquam metuet, ne ex hisce sequatur; posse quo-

que

que alterius vitæ noceri, ut membrum aliquod ſervetur; & ne eo uſq; tandem res perveniat, ut quævis incommoda noſtra alterius damno recte depelli arbitremur. Nam neq; qui ſervandæ vitæ favor adeſt, cætera æque bona comitatur; ac nulla lex humanitatis jubet, ut ejuſmodi incommoda æquali aut majori meo incommodo ab altero avertam; unde nullo colore vis heic ab altero adhiberi poteſt.

§. 7. Aſt quando tantum circa res alterius verſatur neceſſitas, ſeu quando vita noſtra non niſi per res alterius ſervari poteſt; vix eſt dubium, quin illæ per vim & invito domino, quem eadem neceſſitas non urget, ubi aliud medium non ſuccurrit, vindicari poſſint. Idq; non ex exceptione aliqua, in pacto proprietatem initio conſtituente addita aut ſubintellecta, ut in caſu neceſſitatis communio rerum rediret, ſed ex ratione modo dicta. Unde ſi quis per vim tali neceſſitate oppreſſum rei ſuæ uſu prohibuerit, proprie injuriam intuliſſe non dicitur, ſed in caritatis duntaxat legem peccaſſe; quorum prius tamen neceſſario dicendum foret, ſiquidem expirante hoc in caſu proprietate, indigentia æquale cum poſſeſſore in rem jus daret. Neque tamen domino injuria fit, dum officium alias à volente præſtandum, ob neceſſitatem ab invito extorquetur, præſertim reſtitutione ſaltem per modum gratitudinis ſuo tempore facienda. At vero quemadmodum in pari caſu indigentiæ ſibi quiſq; naturaliter eſt proximus; ita eripere quoque per vim mihi alter non poteſt rem meam, quo ego æque ac ipſe opus habeo. Unde etiam minus cum veritate congruere arbitramur; debitorem in extrema neceſſitate deſtitutum non teneri rem debitam, ſtatuto exhibendi eam tempore præſente, reſtituere creditori, æquali neceſſitate laboranti. Certum enim eſt, creditorem hoc in caſu debitori rem ſibi debitam per vim jure eripere poſſe. Atqui abſurdum videtur, alicui competere jus alteri rem quampiam per vim directa cum intentione

tione eripiendi, siquidem in isto altero nulla insit obligatio eam rem ipsi tribuendi. Nam quod necessitas res communes faciat, jam negavimus; & quod affertur, possidentis conditionem esse meliorem, valet duntaxat, quando petitoris jus nondum liquido est probatum. Iste autem casus parum dubitationis habet, an incendio exorto vicini ædes dejicere liceat, ut meæ serventur. Nam per istam dejectionem vicinus ex me proprie nihil damni patitur, cum ex alias sint conflagraturæ; nec querendi causam habet, quod manu potius hominum, quam flamma procubuerint, ut ea ratione à vicinis damnum averteretur.

§. 8. Ex priori autem fundamentali lege hæc generalis profluit: *Quilibet debet omittere ea, quæ vel rationis usum debilitant, vel corpori noxam aut labem inferunt.* Hujus legis exercitium, etsi immediate in propria cujuslibet persona terminetur; omnino tamen etiam respectum aliquem ad conservationem societatis involvit, & in ipsius usum consequenter redundat, dum vel ipsa membra, queis societas constat, se conservare jubet, aut ita se attemperare, ut ne sibi juxta ac societati oneri sint. Immo vix opus fuisse videtur hac lege, & suo quemq; instinctui natura circa curam sui relinquere poterat, nisi sociali hominem vitæ colendæ destinare voluisset. Porro ex isthac lege promanant præcepta juris naturæ *de componendis & sub imperium rationis redigendis affectibus*; quippe qui rectum de rebus judicium ferre impediunt, & frequenter in ea abripiunt quæ nobis aliisq; sunt noxia: *de fugienda ebrietate*; utpote quæ præter noxam corpori illatam mentem de statu suo deturbare suevit. Adeóq; efficit, ut in contraria legi naturæ tendamus, quæ ad sui observationem omnino rationis usum desiderat. Nihil autem interest, utrum contra officium directe quis faciat; an id suscipiat volens, per quod ineptus officio suo obeundo reddatur. Item *de fugienda Venere irregulari*, seu fœdis illis commix-

mixtionibus, cum eodem sexu aut diversis speciebus, quæ turpem corpori animóq; labem adspergunt, violata tam pudendis actibus humanæ naturæ dignitate; præterquam quod directe fundamenta societatis humanæ subvertum eunt, quæ sine propagatione speciei durare nequit. Et deniq; *de non mutilandis membris*, (nisi fors ob salutem totius corporis,) *& vita non projicienda, non reposcente eandem natura aut obligatione.* Sed quod membrum aliquo morbo aut casu jam corruptum à corpore separari possit, ne contagio totum corpus inficiat ac perdat, extra dubium est.

§. 9. Cæterum sunt, qui heic controversiam movent, quasi isthæc lege naturæ non præcipiantur, ideo quod instinctus atq; adpetitus sensitivus in talia jam antea satis valide feratur; nec necessarium fuisse, ut ad ista per legem naturæ homo obligaretur. Intelligunt autem heic non tantum conservationem sui, sed etiam adpetitum societatis, ac matrimonii, curam atq; educationem sobolis; quæ antiquis nonnullis prima naturæ dicta fuere, circa quæ hactenus duntaxat rationi locus sit, ne per ea injuste alter lædatur. Enimvero usque adeo non sequitur, jus naturæ ista non præcipere, quia instinctus naturalis in ea jam antea fat acriter feratur, ut potius naturam eadem, tanquam seminarium generis humani servantia, quam maxime observari voluisse luculenter adpareat; dum velut diffisa soli rationis dictamini, eidem succenturiari jussit instinctum naturalem ita vehementem, ut difficulter admodum homo in contraria niti possit. Quod si enim accurate expendantur molestiæ, quæ vitam humanam necessario comitantur, longe excedentes exiguum illud & vile voluptatum; ac quam multis vita producatur, ut fortunæ materiam saviendi præbeant: quotusquisq; non primo quoq; tempore vitam hanc abrumperet, si sola ratio eam servari suaderet, nec instinctus naturalis ejus amorem tam anxie commendaret? Prorsus uti quotidie plurimos peccare

care videmus contra illas naturæ leges, quæ sola ratio dictitat. Sic quotusquisq; liberis operam daret, qui sæpe materiam dolendi, aut saltem certissimam curarum ac laborum causam præbent, ni super rationem etiam inclinatio naturalis eo propelleret? Intercedente præprimis actu tam parum decoro, & consortio mulierum, quod sapienti vile juxta ac tædiosum citra istas illecebras foret. Novimus quidem longe distinctissima esse, instinctum naturalem & dictamen rationis seu legem naturæ. In compluribus etiam hæc duo in contrarium tendunt, ita ut instinctus ab honestate abducat, quam ratio suadet. Quem rationi reluctantem uti homo superare debet; ita superare posse est animi non degeneris. Ast illum instinctum, qui cum rationis dictamine conspirat, retundere furiosi est. Adeoque non omnem instinctum naturalem superare cum laude conjunctum, sed illum duntaxat, qui dictamini rationis obluctatur. Et quanquam solus instinctus nunquam ad aliquid agendum obligat; contingit tamen, ut ad aliquid obligemur, ad quod per instinctum quoq; inclinamur, quia idem rationis quoq; dictamen præscribit. Quemadmodum & bruta ideo haudquidquam juris capacia dici possunt, etiamsi solo instinctu ad ea ferantur, quæ ad individui aut speciei conservationem faciunt. Nec vero ideo excusatur mater à peccato in legem naturæ, quæ prolem occidit infamiæ vitandæ causa, licet instinctum erga prolem alio instinctu, nempe abhorrentia ab infamia superet. Nam non solo matris instinctu, sed etiam lege nunita erat infantis vita; & nosse mater debebat, minoris esse infamiam suam, quam mortem ejus, qui ex isto actu existit, in quem ipsa antea consenserat. Unde si famæ cura plutis ipsi erat, quam voluptas coitus aut amor sobolis, ante admissum coitum expendisse istud debebat; post haudquidquam proles mori meretur, ne parentem peccasse innoteſcat. Non autem absurdum esse aut supervacaneum legibus quoque

civilibus talia ſancire, ſatis Spartiatarum ac Romanorum oſtendunt leges; ubi ſane ad matrimonia inenda præmiis aut per metum ignominiæ cives impellebantur. Quantum tamen ad jus naturæ, ſane illud matrimonium inire præcipit quibuſlibet per naturam habilibus, probabiliſſime niſi proſpexerint, plus ſe humano generi allaturos commodi vita in caſto cœlibatu exacta, quam ſi ſimiles ſui procreaverint. Enimvero cum illud ſit præceptum affirmativum, non obligabit, niſi commoda occaſione data, quæ metienda eſt non tantum ex nubili ætate, & copia conditionis congruæ; ſed etiam conſiderandum eſt, an rationes ſtatus, quem quis in civitate tueri debet, id patiantur. Contracto autem matrimonio uti fermentatio duntaxat arvi genitalis in noſtra eſt facultate, germinatio autem ex cauſis naturalibus arbitrio noſtro haudquidquam obnoxiis dependet: ita ob eandem rationem, qui duos duntaxat liberos procreavit, ſiquidem uberiorem proventum natura negat, æque legi naturæ ſatisfecit, ac ille, quem numeroſa ſobole fœcunda uxor parentem fecit.

§. 10. Illud porro heic haud ſuperſunctorie diſpiciendum, quouſque ſe præceptum illud juris naturæ de conſervando ſeipſo extendat, & num quis vitæ jucunditatem adſpernans, aut declinandis ingentibus miſeriis, fata ſibi properare poſſit? Heic cum magnæ ſit invidiæ à communi perſuaſione diſceſſiſſe, quid probabiliter duntaxat dici queat videbimus. Supponimus igitur illud, quod ſupra demonſtratum, quemadmodum ſibi ipſi nemo proprie poteſt obligari; ita ſibi quoque injuriam haud facere qui vim ſibi intulerit. Quod autem ad ſe ipſum conſervandum quis obligetur ex lege naturæ, ejus rei iſtam rationem videri, quod à Creatore ad colendam ſocietatem humanam ſit deſtinatus, quam transfuga aut infrequentis militis inſtar pro ſubidine deſerere haudquidquam poſſit. Cum autem homo non-ſocialis omni quoque obligatione, bruti inſtar, fuerit curiturus; remoto

remoto isto ad socialem vitam respectu, videtur homini custodiam vitæ & corporis proprii solum instinctum fuisse commendaturum; qui solus cum vim legis non habeat peccaturum quoque non fuisse, qui contrarium quid illi feciſſet. Ex eo igitur, quod vita nostra ob bonum societatis humanæ lege naturæ est velut munita, conficitur; posse aliquem ex obligatione ab imperante injuncta, aut quam ipse cum ratione susciperet, pro salute plurium ejusmodi subire periculum deliberato consilio, ex quo prævidet probabiliter, se nisi insperato fors casu salvum non evasurum. Id quod non solum omnium consensus atq; usus gentium adprobat, sed & ipsæ historiæ autoritate divina consignatæ eos laudibus mactant, qui pro Rege aut civibus suis in pericula descenderint mortem præsentem minantia; etsi eos quandóq; propria virtute aut insperato casu evasisse contigerit; ex cujus tamen spe alias actum in se illicitum suscipere non licebat: Unde illud saltem constat, posse aliquem per legem naturæ ejusmodi actum suscipere pro salute plurium, in quo vitam sibi amittendam probabiliter prospicit. Qua ratione etiam isti navarchæ excusari possunt, qui, ubi hostis nave potitur, ignito sune pulveri nitrato injecto se juxta ac hostem perdunt. Etsi hoc probe sit dispiciendum capitibus Reipublicæ, an tali necessitate duces inferiores adstringi ex bono publico sit. Quod idem inferiori duci considerandum, siquidem ex voluntate duntaxat præsumpta superiorum tale quid suscipiat. Enimvero quid extra hunc casum liceat arbitrio est indaginis. Equidem istos à crimine autocheirias merito quis excusaverit, qui ex morbo rationis usum perturbante manus sibi inferunt. Horum enim actus, cum à ratione dirigi nequeant, pro non moralibus censentur; nisi fors quatenus ipsi in culpa fuerunt, ut ejusdem usu privarentur. Nec illud ad rem quidquam facere videtur, sive quis propriis manibus cadat, seu alios quovis modo adigat ad mortem ipsi inferendam.

dam. Nam qui heic & nunc mori non debuit, non excusatur, si alterius manibus in morte arcessenda usus fuerit; quippe cum ipse fecisse censeatur, quod quis per alium facit; etsi qui manus suas huic ministerio commendavit, crimen quoq; contrahere possit. In universum igitur causæ expendendæ veniunt, queis ad tale quid permotus aliquis fuerit. Nam si ejusmodi sua morte plurium salutem servatum est, videtur iisdem posse uti excusationibus, quæ iis patent, qui pro salute publica se devovent. Sed & illorum causa favorabilis est, certe miseratione, quam aspera sententia dignior videtur, qui manus sibi inferunt, quod certitudine moraliter infallibili prævident, mortem paulo post sibi ab hoste cum cruciatu adferendam, nec bono publico interesse, cur ad arbitrium alterius moriantur; aut quod ab aliis sibi vident intentari, quo admisso ipsi cæteris hominibus deinceps sint fastidiendi. Quales sunt, qui cum mortem sibi ab hoste truculento aut tyranno instare cernerent, festinare fata maluerunt, quo tormenta effugerent; item fœminæ, quæ pudicitiæ suæ violationem hoc modo declinarent. Plausibiliter sane in excusationem sui proferre possunt, ex admota tanta necessitate se collegisse, missionem sibi jam dari; ac parum interesse tantillo tempore mortem anticipare, ut tormenta & ludibria non sentiant, quæ ad grave fortasse peccatum stimulare ipsos queant; nec videri naturam generosis animis eam injungere voluisse necessitatem, ut omnino ad lubitum alterius, contumeliis prius vexati vitam ponant. Enimvero qui vel solo tædio molestiarum vitæ communium, aut indignatione malorum, quæ humana ipsum societate inutilem non erant redditura, vel metu cruciatuum, queis fortiter toleratis exemplo suo prodesse aliis poterat, vitam sponte abrumpit, illi sane nulla patet excusatio, quo minus in legem naturæ peccasse censendus sit.

§. 11. Cæterum uti posterior lex fundamentalis quoſli-

quoslibet homines obligat, ut sibi invicem sponte & amice præstent, quod debent; ex cujus accurata observatione pax resultat, quæ est status humanæ naturæ quam maxime conveniens, & cui constituendæ ac servandæ lex naturæ potissimum homini est insita: ita ex priori lege licitum ac quandóq; necessarium sit bellum, quando scilicet alter posteriorem naturæ legem in me violavit, & damnum inde datum sarcire detrectat. Heic enim prior lex de conservando me ipso, mihi potestatem facit quocunque modo meam aut meorum salutem defendendi, (scilicet ubi judicis copia non est,) contra eum, qui eandem injuste violat; non obstante posteriori lege, quæ alias corpori & rebus alterius læsionem inferri prohibet. Cum enim jus naturæ omnes homines æqualiter obliget ad exercenda invicem ex jure naturæ debita officia, patet sane, quamdiu alter mihi exhibet, quæ lex naturæ præcipit, me eadem ipsi præstare debere. At vero quando alter jus adversus me violat, tunc sane impudentissime idem à me postulaverit, ut ea ipsi exhibere officia pergam; nisi denuo acta pœnitentia ad ea repetenda sese obstringat. Alias omnia quoque bona, quæ natura aut industria nobis dedit, frustra essent concessa, si alteri injuste ea violanti, vim opponere non liceret; quam velut proprium in bello agendi modum natura adhibere indulsit, ubi pacificis mediis salus mea expediri nequit. Quam exceptionem autem obligatio subditorum adversus summam potestatem habentes faciat, alibi explicatur.

§. 12. Porro duplici fine vi opus est, vel ut me ac res meas contra eum, qui eas lædere aggreditur, defendam; vel ut alterum adigam damna ab ipso mihi jam data restituere, cautionémque de non offendendo in posterum præstare; unde distinctio inter bella defensiva & offensiva (justa) exoritur. Circa defensionem autem observandum, jus belli, seu vim usurpandi incipere, quando alter lædere me aggreditur, sive id faciat ex de-

ſtinato conſilio & per malitiam, ſive ex ignorantia, puta, quod in perſona mea erraverit, aut inſania fuerit agitatus. Nam qualicunq; cauſa impellatur aggreſſor, nulla mihi obligatio eſt in gratiam ipſius vitam meam prodigendi. Initium vero lædendi non tantum actuali læſione jam facta definitur; ſed etiam jam tum eſſe cenſetur, quando periculum aperte intentatur, & alterum in eo jam manifeſto occupari adparet, ut me invadat. Ubi ſtolidum ſane eſt, primo ſeſe ictui præbere; ſed mature potius vis opponenda, & occupandus, qui in eo jam eſt, ut me lædat. Aſt incerta periculi ſuſpicio etſi ut munimenta tibi circumponas ſuadere poteſt; non tamen ut prior vim adhibeas, jus facit, ne ad hunc quidem finem, ut realem, quam vocant, cautionem alter de non offendendo præſtet, puta, obſides, fidejuſſores, pignora, &c. Quamdiu enim aliquis alterum non læſit, nec manifeſto in læſione inferenda deprehenditur, habet ſane præſumptionem, quod in poſterum quoque officium ſit facturus; præſertim ſi id verbis & fide data confirmet. Abs tali realem cautionem per vim quis extorquere recte non poteſt; deterioris enim ut is eſſet, quam ipſe, conditionis faceret, cum ſibi citra cautionem fidem haberi poſtulet, quam ipſe alteri citra eandem habere detrectat. Aut igitur viciſſim alteri caveat, quod in tali caſu eſt inutile, & abſurdum quoque, niſi uterq; ſponte ab initio in id conſentiat; aut fide accepta datáq; contentus ſit.

§. 13. Quod autem ad intenſionem & modum defenſionis; non talem duntaxat naturæ jus adhibere permittit, quæ me ac mea in præſens ſervet, ſed etiam ad cautionem in futurum obtinendum mihi procedere indulget; ad quam dum alter per vim adigi ſeſe patitur, oſtendit, ſibi ſupereſſe animum etiam in poſterum me offendendi; adeóq; ubi commodiorem obtinere cautionem nequeo, licite eum occidere poſſum, etiamſi noxa primum ab eo mihi intentata vitam meam haud tetigerit.

rit. Nam qui in una re jus naturæ in me violavit, ab illo nihil amici expectare possum, nisi ipse sponte resipiscens de damno mihi satisfecerit, aut in posterum mihi caverit. Nec à me injuriam accipit, dum majus malum patitur, quam inferre tentavit; quia dum ipse me injuste lædit, nullum sibi jus reliquum fecit, saltem adversus me valiturum, quo minus quantacunq; vis à me ipsi inferri possit. At quando quis alterum injuste lædit, ni me simul mediate lædat, aut ni ipse sim obligatus istum contra vim injustam defendere, non nascitur mihi jus ipsi vim inferendi, quamdiu quidem adversum me nulla hostilis animi signa ostendit. Nam injuria tertio facta non præbet mihi certitudinem moraliter firmam, istum quoq; in me fore injurium; cum peculiares causæ in tertium incitare ipsum potuerint, quæ in me non deprehenduntur. Etsi non immerito à tali accuratius sit cavendum. Enimvero in civitatibus, ubi communibus viribus singulorum securitas tegitur, defensio sui ac rerum suarum cuilibet privatis viribus hactenus duntaxat suscipienda permittitur, quando præsidium publicum implorari tempus non concedit; & quidem intra eum modum, qui vitam meam aut res restitutionem non admittentes extra præsens periculum ponat; quippe cum cautionem in futurum Magistratus potestas ac pœna lædenti inferenda satis præstet. Adeóq; qui moderamen inculpatæ tutelæ casui alicui in civitate applicare vult, non merum duntaxat jus naturæ, sed leges quoq; civiles positivas inspicere debet.

§. 14. Ulterius autem circa bellum observandum, illud esse statum hominum non naturalem; in certo casu tamen à natura homini permissum, scilicet quando alterius injuriæ pace me frui non permittunt. Tunc enim omnia media meam expediendi salutem adversus eos, qui eam per nefas invadunt, mihi adhibere per naturam indulgetur; quæ cum cura sui acerbum injuriarum sensum animo hominis indidit, ut non velit injuriis

riis aliorum ſe perdi; manuum autem agilitate ac robore corpus armavit, ne eaſdem impune tolerare cogeretur. Ita tamen natura permittit bellum, ut id gerens pro fine ſibi conſtituere debeat pacem; ſeu ut officia legis naturæ invicem exercere, & jure ſuo potiri eóque frui ſine impedimento liceat. Alias certum eſt, eos qui bellum belli tantum cauſa gerunt, jure naturæ præculcato ipſiſſimam belluarum vitam agere, queis inter ſe & cum hominibus bellum eſt, ſine ulla intentione pacis adquirendæ.

§. 15. Præterea etſi qui me læſit, ſtatim mihi præbeat poteſtatem, quantum in ſe, bellum adverſus ipſum gerendi; circumſpiciendum tamen eſt, quantum boni aut mali ex iſto in me aut alios, qui me non læſerunt, ſit redundaturum. Quæ enim injuriæ ſalutem meam non prorſus everrunt, eas bello perſequi non debeo, ſi vel in me meóſq; exinde graviora incommoda, quam commoda ſunt oritura; vel ſi aliis, quibuſcum mihi pax adhuc colitur, occaſione mei belli ejuſmodi damna ſint eventura, quæ per ejuſmodi injuriæ, quali mihi illata eſt, inultam tolerantiam ex humanitatis lege avertere debebam. Unde injuriam ſibi illatam, ex qua vindicata majus malum exſurgere judicatur, quam bonum, recte & laudabiliter quilibet bello perſequi omittit.

§. 16. Cum autem exhibitio officiorum ex lege naturæ debitorum mutua eſſe debeat, ita ut qui prior ea abruperit, alterum quoque, quantum in ſe, abſolvat obligatione eadem adverſum ſe obſervandi; facile patet, eum, qui injuſte me læſit, remiſiſſe mihi ex ſua parte, quicquid alias per jus naturæ à me poſtulare poterat, ac inter nos omnia juris commercia ſuſtuliſſe: Adeóq; dediſſe mihi facultatem bellum in ipſum gerendi, i. e. vim contra ipſum exſerendi in infinitum. Idq; non ſolum ſi vitam meam impetat, ſed etiam ſi minorem aliquam injuriam ſciens volénſque intentet.

Neque

Neque enim majus jus habet v. g. colaphum mihi injuste infligendi, quam me occidendi. Nam quod quidam heic objiciunt, retributionem fieri debere secundum proportionem, locum duntaxat habet in tribunalibus, ubi pœnæ à superioribus infliguntur. Aſt quæ jure belli inferuntur, proprie pœnarum rationem non habent; quippe quæ nec à superiore qua tali proficiſcuntur, nec ad emendationem lædentis aut cæterorum directe tendunt; ſed ad defenſionem ac vindicationem ſaluris ac jurium meorum, quæ ab altero injuſte fuerunt violata. Heic cum lædens per injuriam ſuam commercia juris inter nos abruperit, licebit mihi quamcunque vim, aperte aut ex inſidiis, adverſus ipſum adhibere, quouſq; pœnitentia ductus fidem denuo dederit, de obſervandis erga me in poſterum officiis juris naturæ. Atq; hæc locum habent inter eos, qui apud homines communem judicem non agnoſcunt, ſive ſingulæ perſonæ morales ſint, ſive compoſitæ ſeu ſocietates. Nam inter membra ejuſdem civitatis tale jus belli uſurpare prohibitum; ubi quilibet injuriarum ſuarum perſecutionem Magiſtratui committere tenetur, niſi qua præſens diſcrimen ejuſdem ſubſidium implorandi ſpatium non relinquit.

§. 17. An vero quorumlibet promiſcue opera in bello uti conveniat, quibuſdam non ſatis liquidum videtur. Nonnulli enim diſcrimen faciunt inter proditores ac deſertores ſuorum dominorum, qui ſe ſponte offerunt, & inter eos, quorum fidea promiſſis aut per præmia corrumpitur: Priorum operam etiam per mores gentium recte adhiberi poſſe, poſteriorum non item, Quod tamen diſcrimen merum jus belli ignorare videtur. Quæ enim duo iſta hoſtis mei ſubditorum ſolicitatione quæruntur, auxiliis & defenſoribus illum nudare, & præterea damnum eidem inferre, utrunque, poſita juſta belli cauſa, faciendi mihi jus eſt. Eum finem cur non etiam corruptis per ſpem præmiorum civium animis

nimis adsequi liceat, nulla sufficiens ratio adparet. Cum enim etiam singuli illi, qui ad me transeunt, sub hostium fuerint numero, in quos per vim sæviendi licentiam bellum dabat; quam licentiam exercere aut remittere possum, prout ratio rerum mearum exigit: licebit utiq; mihi iis omnem belli sævitiam velut condonare, ac commodis insuper quibusdam eosdem cumulare; idq; vel omnino gratis, vel sub conditione facti cujusdam mihi utilis ab ipsis præstandi; scilicet ut citra laborem meum ab hoste se meo sejungant, aut aliquod insuper operæ pretium præstent. Quod etsi fors ipsi sine peccato proprio facere nequeant; tamen ex eo in me nihil culpæ videtur redundare: eo quod nulla adparet obligatio, ut quæ commodissima adparet via jus meum consequi intermittam, ne occasionem præbeam peccandi illis, qui mecum juris commercia per scelus suum in me suspenderunt. Præsertim cum in ipsorum arbitrio relinquatur, quæcunq; demum solicitationes admoveantur, utrum hostem me experiri malint, an amicitiam meam per conditiones à me positas redimere. At cur in pace v. g. alterius servum non possim solicitare, ut deserto domino suo ad me transeat, duplex ratio est; tum quia nulla mihi potestas competit istius res intervertendi; tum quia servo ipsi nullum malum recte inferre poteram, si isto suo transfugio me sibi non conciliaret, quorum utrumque in nostro casu adparet. Unde, quod alias huic sententiæ opponitur; non posse aliquem incitare alterum ad id, quo facto is peccet, seu peccare, qui alteri peccandi dat causam, inter non-hostes duntaxat valere videtur. Hostis enim, in respectu ad me, in eo est statu, ut dum jus meum adversus illum persequor, non curandum mihi sit, peccandi is ansam inde sumat, an minus. Quod si quis tamen dicere malit, etsi tali ratione neq; ejus qui solicitatur, neque principalis hostis jus aliquod lædatur, intermittendum tamen istum nocendi hostibus modum ideo, quod lex

naturæ

naturæ licentiam belli, quantum fieri poteſt, ad modum juſtitiæ vindicativæ in pace exerceri ſolitæ temperari velit, nos non valde habiturus ſit repugnantes.

§. 18. Enimvero iſtam licentiæ bellicæ latitudinem valde reſtrinxit tum mos gentium, qui certos modos hoſtem perdendi illicitos aut indecoros declaravit, ac in favorem fortitudinis bellicæ quædam velut armorum commercia conſtituit, ne infelicem fortitudinem pro crimine victor interpretaretur; an quod innocentium quoque intererat, ut injuſta moventium bella injuriæ eſſent tolerabiliores; tum vel maxime jus naturæ. Id enim uti bellum hominibus tantum velut extraordinarium medium ſtabiliendæ paci indulſit; ita etiam voluit, ut juſtus bellator vim in hoſtem, quam quo minus in infinitum graſſari pateretur, in ipſo hoſte nullum erat jus, temperaret, quantum ejus fieri poſſet, ad modum ſumendæ pœnæ ac reſtituendi damni in pace uſitatum. Inde plurima ſunt, quæ hoſtis citra injuriam pati poteſt, quæ tamen inferre humanus victor recte intermittit. Sic in bello publico juſtóque, etiamſi hoſtium cenſeantur loco omnes, qui intra fines hoſtium ſunt, etiam qui fato ibi ſuo fuere deprehenſi, etiam fœminæ & infantes; dux tamen humanitatis obſervans non debet aliquem interficere, niſi in pœnam juſtam, aut quatenus abſque eo vitam ac res ſuas ſuorúmque tueri nequit; nec niſi magnis & ad multorum ſalutem perventuris cauſis tale quid aggredi, unde innocentibus imminere pernicies poſſit. Ex quo conſtat, non interficiendos pueros, nec fœminas, niſi quid peculiariter vindicandum admiſerint, aut virilia officia & ipſæ uſurpent. Nec mares, quorum vitæ genus ab armis abhorret; quales ſunt, qui ſacra curant, agricolæ, mercatores, opifices & artifices quæſtum ex pace facientes, item, qui ſe dedunt, ſupplices, &c. Niſi ſi quid hi facinus dignum morte peculiariter commiſere. Humanum quoque eſt,

ob

ob multitudinem eorum qui mortem meruerant, de summo jure aliquid remittere. Prohibentur quoque hac ratione omnes commissiones, quæ ad jus nostrum consequendum aut bellum finiendum nulli sunt usui, sed meram duntaxat virium ostentationem habent propositam. Similiter etsi injuria hostis mihi adversus res suas licentiam in infinitum concedat, humanitatis tamen lex postulat, nihil perdere rerum hostis, nisi aut necessitatis gratia, aut in compensationem debiti & impensarum in id adsequendum profusarum, aut in locum vel mulctæ delicto hostium æqualis. Nequaquam autem perdenda res frugifera, quam quis ira tenet, ut hostibus non possit esse in fructu; nec in dubia licet possessione ager vastandus, si magna sit spes celeris victoriæ cujus præmium & ager & fructus sint futuri, aut si hostis alibunde habeat, quo sustentare se possit: Nec res perdendæ, quæ ad bellum faciendum aut ducendum nihil momenti habent. Nec rebus sacris aut religiosis temere admovendæ manus; aut facile ad direptiones violentas aut demolitiones urbium descendendum. Sic cum stupra matronarum ac virginum ad consecutionem juris nostri aut stabiliendam pacem nihil faciant, humanus hostis magis considerabit, quid honeste alteri inferre possit, quam quid impune. Sic etsi injuria hostis, quantum in se, licentiam faciat, omnes bello captos in servitutem redigendi, & incircumscripeam in servos potestatem usurpandi: humanitatis tamen erit, (ubi per consuetudinem istud servitii genus non abrogatum) servitio imponendo non grassari, nisi quousq; debiti primarii aut subnascentis quantitas patiatur, aut ni forte in aliquibus peculiare sit delictum, quod libertatis damno puniri mereatur. In taliter captos jus vitæ & necis eadem religione est exercendum, qua à judice publico circa minores pœnas adhibenda clementia, operæ cum modo exigendæ, & valetudinis servorum humane habenda ratio. Item si quid suum defraudantes genium com-

comparserint, ipsis relinquendum, nec nisi necessitate exigente eripiendum, & post diuturna aut valde utilia ministeria libertas concedenda. Sic circa repressalias humaniter quis faciet, si his, qui extra culpam sunt injuriæ, relinquat istas res, quibus ipse facilius careat, quam isti; præsertim si adpareat, eosdem id, quod tali modo amiserunt, à civitate sua non recuperaturos. Nec temere usurpandum hoc jus in bona subditorum innocentium, quamdiu spes est, nos nostrum satis facile consequi posse ab originariis debitoribus, aut qui jus non reddendo debitum suum fecere. Pleraq; tamen ista, quæ per legem humanitatis circa licentiam belli restricta diximus, communiter Jure Gentium licita esse dicuntur; non quod proprie ex conventione gentium originem habeant, (nam ea non usurpasse, apud cultiores gentes maximam meretur laudem;) sed quia per communem aliquam inter cultiores gentes consuetudinem pro barbaro non reputatur, qui ista utilitatis suæ causa, aut per affectuum vehementiam, & incutiendo aliis terrori usurpaverit.

§. 19. Enimvero quia belli gerendi facultatem ideo tantum natura indulsit, ut nobis securitas constet contra illos qui pacem nostram turbant; de cætero autem in omni bello totam pacem tanquam finem spectari, eámque ubi commode haberi potest, servari jubet; inde finiends bellis jus naturæ præcipit, *ut alter alteri, sumpta cautione futuri temporis, præteriti veniam, potenti & pœnituit concedat*: id est ut pacem ineat cum illo, qui lædendo causam belli dedit, postquam injuriæ pœnitens, restitutione damni facta, pacem petierit. Hanc enim ubi alter obtulerit, nulla mihi amplius justa in ipsum bellandi causa supereſt. Pacem autem concedere non petenti, i.e. animum hostilem adhuc retinenti, nec futuri temporis cautionem præstanti, i.e. occasionem gravius nocendi captanti, est salutem propriam per degenerem metum prodere. Communiter tamen inter

gentes

gentes receptum, ob rationes alibi adductas, & quia ægerrime lædentes ob metum infamiæ ad pacem per confessionem injuriæ animum erant adplicaturi, ut in pacificationibus partes quantum ad justitiam belli haberentur pro æqualibus, præsertim quando æquis utrinque viribus ad pacem descendunt. Cum hoc præcepto cognatum est, quod *pacis mediatoribus præstanda sit securitas & incolumitas*, quippe cum circa rem à natura præceptam laborent, quod facere non possunt, ni securitati suæ satis sit prospectum.

§. 20. Ex eodem fundamento & illud fluit, quod *in imponenda pœna hominibus duntaxat spectanda sit præcautio futuri mali*; (damni enim pensatio proprie pœna non est,) id est, ut aut ipse qui peccavit corrigatur, aut alii ejus supplicio moniti peccare metuant, adeóq; pœnæ gravitatem esse temperandam, prout ad finem istum obtinendum requiri videtur. In pœna enim exigenda tantum præteritum spectare delictum, & punire hoc duntaxat fine, ut peccanti ægre sit, hominis est pacem respuentis, ubi illa haberi potest, & pro belli fine ipsum bellum habentis. Quem enim ita teneo in potestate, ut pœnas de eo sumere queam, eum certe ita constrictum habeam necesse est, ut etiam cautionem de non offendendo in posterum ab ipso possim obtinere. Extra quem finem nulla adparet ratio, quare homo naturæ ejusdem consortem ob quodcunq; factum malo afficere velit aut recte possit.

§. 21. Alteram legem naturæ fundamentalem diximus; *Conservandam esse hominibus invicem vitam socialem, nec quidquam committendum, ut ea turbetur.* Socialis isthæc vita his fere officiis generalibus continetur, ut nulli læsio aliqua in persona aut rebus inferatur, citra antegressum aliquod factum suum, per quod nobis ipsum lædendi licentia aut necessitas adferatur; & ut quilibet ea alteri præstet sponte & citra adhibitam coactionem extrinsecam, tam quæ ex obligationibus peculiari-

ter

ter contractis ipsi debentur, quam quæ communis cognatio exposcit. Qualia vulgo habentur, queis citra incommodum nostrum alteri prodesse possumus, v.g. erranti aut percontanti viam indicare; aquæ profluentis usum ad aquationem concedere, ubi fundus noster inde deterior non fiat; innoxium transitum, quique ad nullius injuriam tendat, per terras nostras via publica indulgere, præsertim ubi idonee cavetur, nec à contagio periculum est; non corrumpere, quod mihi neq; obstat neq; prodest, alteri vero utile esse potest, naufrago litoris usum indulgere & similia. Sed & istud vi præcepti hujus requiritur, ut quilibet sese libenter adjungat peculiaribus illis societatibus, quas institui necessitas, aut insignis vitæ commoditas suasit.

§. 22. Cæterum cum ista obligatio vitam colendi socialem comitetur humanam naturam qua talem, adparet eandem omnes homines æqualiter stringere, & eatenus omnes homines esse æquales, ut quantiscunque aliquis cæteros antecellat animi corporisq; bonis non plus habeat juris alios injuriis afficiendi quam cæteri; quemadmodum & contra neminem maligna naturæ in se liberalitas, aut tenuis fortuna per se ad id condemnat, ut deterioris conditionis circa fruitionem communis inter homines juris sit quam alii. Hanc æqualitatem qui dedignatur, non magis commodum societatis humanæ membrum præbere potest, quam qui in particulari aliqua societate vivere cupit, nec tamen ejusdem legibus sese attemperare studet. Ac habet ista vim mutuæ conventionis, abs qua, ubi unus discedit, nec alter ea amplius tenetur, & præterea jus accipit istum vi ad conventa præstanda adigendi. Nam & qui alios non pro obligatione communi tractaverit, non potest recusare, quin sua in ipsum exempla statuantur, ac præterea vi in ordinem ab cæteris redigatur. Est tamen hæc æqualitas intelligenda citra præcedens aliquod factum humanum, quo isthæc vel ex consensu vel ob delictum re-

stringitur quantum ad actionem, quæ læso adversus lædentem enascitur. Etsi enim æqualiter legem naturæ violet, quicunq; alterum ad præscriptum ejusdem legis non tractaverit; ob necessitatem tamen summorum imperiorum humano generi expediebat, ut illi, in quos imperia collata, paulo melioris hoc essent conditionis, hactenus, ne aliis competat facultas ipsos in ordinem redigendi, etiamsi fors in aliquibus legem naturæ violaverint. Idq; non quia ipsi ea re non æque peccent ac alii, sed quia vis summi imperii ipsis subjectos inhabiles reddit, quo minus eosdem coercere possint; cum alias omnis imperiorum efficacia evertatur, si inter subditos aeq; imperantes reciprocam quandam fingere velis potestatem, ob legis naturæ violationem pœnas mutuo sumendi. Cujus tamen prærogativæ invidia, si qua est, inde lenitur, tum quia per hanc efficitur, ut cæteri eo securius æquali inter se jure fruantur; tum quia ab aliis in eam consentitur, idq; vel ex deliberato consilio & directe; vel indirecte injuriam alteri inferendo, & dum hic per vim repressum it, imperium simul in illum, abs quo injuria profecta adquirit. Alias ex æqualitate, ut hoc quoq; obiter hoc addamus, facile colligere licet, qua ratione res inter plures dividi debeant, scilicet ut cæteris paribus, si æquale jus fuerit singulorum, res ad partes æquales dividantur. At quæ dividi non possunt, communiter, si fieri possit, sunt utenda, idq; si quantitas rei permittat, quantum quisq; velit. Sin quantitas rei non permittat, tum præfinito & proportionate ad numerum utentium. At si res neq; dividi, neq; communiter haberi possit, usus ejus vel alternus sit, vel uni tantum sorte adjudicetur; commodius enim medium hoc inveniri nequit. Ista sors est vel arbitraria, quæ fit consensu contendentium, ac mero casu dirigitur; vel naturalis, ut est prima occupatio, & primogenitura. Circa quas sortis species id communiter observatur, ut arbitraria adhibeatur, ubi plures ad aliquam rem con-

concurrunt, ad quam actu aliquo præcedente jus sibi quæsiverunt; naturalis autem, ubi nemo præcedente aliquo actu suo jus sibi ad eam quæsivit. Inde res, quæ habentur pro derelicto, cedunt primo occupanti, & dignitas patris hæreditaria indivisibilis primogenito, nisi expresso statuto aliter fuerit dispositum.

§. 23. Ex ista fundamentali lege hæc generalis profluit: *Ne quis ergo alterum ita se gerat, ut iste aequalitatem illam juris in se violatam queri recte possit.* Contingit hoc quam maxime, si ab altero jus ipsius violetur. Id jus circa ea versatur, quæ per naturam, aut ex instituto hominum ita alicui peculiariter sunt assignata, ut siquidem ipso invito ab altero non tribuantur, eripiantur, aut lædantur, ægre illi fiat. Hæc lex in complures sese speciales diffundit.

§. 24. I. *Ne quis corpori alterius noxam inferat.* Qua lege prohibentur non tantum, quæ directe corpus lædunt, sed etiam quæ consequenter, v. g. terror, & similia affectus tristiores excitantia, queis corpus quoque, non animus tantum, graviter affligitur. non tamen comprehenduntur heic castigationes, modicum corpori dolorem inferentes, quo pueri potissimum aut servilia ingenia admonentur recta agere, aut pravis abstinere. Quod genus tamen castigationis ex instituto hominum non cuilibet promiscue in quemlibet exercere conceditur, sed certis personis, peculiari potestatis genere in alios gaudentibus, adsignatum; idq; evitandis turbis, quæ existere poterant, si castigato de bona intentione castigantis non constaret, ac si idem, quod in se humanitatis est officium, injuriam ab inimico profectam animo interpretaretur. Inde si v.g. quis, cui id à parente commissum non est, alterius filium castiget, ni fors ex præsumpta parentis voluntate id agat, tam parenti, quam filio injuriam facit. Huic, quia ex lege aut consuetudine ab alieno castigationem non admittere tenebatur, illi, quia domino invito & ignaro alienam potestatem

ſtatem uſurpat. Excipiuntur quoq; ab hac lege pœnæ corporales ob antegreſſa delicta à Magiſtratibus juſte impoſita. Hæ enim querendi nullam præbent cauſam, cum qui civitati ſeſe adjungit, legibus ſe quoque iſtius ſubjiciat, quarum violatoribus eas pœnas conſtituras norat; præſertim cum cæteri concives eadem quoq; conditione gaudeant.

§. 25. II *Ne quis invitæ pudicitiam violet.* Hujus enim integritate fœminæ præprimis æſtimantur. At quod conſentientes utrinq; vagæ indulgere Veneri non debeant, ſiquidem libidini tantum explendæ id faciant, inde eſt, quia in fundamenta ſocietatis humanæ impingunt, quæ per iſtas illecebras propagationem ſpeciei promovere voluit. Si vero prolem quæſitum eunt, civilem turbant ſocietatem, cujus concinnitas matrimoniorum religione quam maxime continetur. Peculiariter autem peccant virgines, queis nubendi ſpes, quando in defiorationem ſui pudoris conſentiunt. Hæ enim poſtea corruptas merces pro integris emptoribus ſubjiciunt.

§. 26. III. *Ne quis alterius famæ detrahat, aut exiſtimationem minuat.* Hujus enim integritas ad pleraq; commoda in vita communi viam velut munit, queis excludantur infamia adſperſi. Et talis quilibet apud eos, queis propius non innotuit, habetur, qualem fama ipſum fert. Præterquam quod acerrimo animos ſenſu tangit, & maximus ad bella ſtimulus eſt ab aliis contemni, ac contumelia affici; & fere quo quis generoſior, eo ægrius fert, cum ludibrio ab altero ſe minoris æſtimari, quam quanti ipſe ſibi judicatur.

§. 27. IV. *Ne quis uxorem alterius adulterio polluat.* Per pacta enim nuptialia marito jus fuit adquiſitum, ne alterius cujuſq; voluptatibus uxor pateat; ſcilicet ne is alienam ſobolem pro ſua alere cogatur. Hoc præcepto prohibentur mares, cælibes juxta ac maritati, ne alterius thalamo inſultent. Uxores autem ex lege de ſervandis pactis obligantur, nemini corporis ſui copiam præterquam

terquam marito facere; id quod etiam finis matrimonii omnino requirit. Quod quo minus etiam conſentiente marito fieri nequeat, cum aliàs rei ſuæ uſum alteri concedere liceat, divinæ atq; apud pleraſq; gentes civiles prohibent leges, quæ tam nobilis propagationem animantis magna velut religione circumſcripſere. Ex ejuſdem quoq; pacti vigore maritus, monogamia, ſeu polygamia legibus ſit introducta poſitivis, non debet ſe aliis fœminis, præterquam uxoribus impertiri. Etſi delicta maritorum in hoc genere, quando fors in ſolutam inerraverint, haud ita directe cum fine matrimonii pugnent, uti uxorum perfidia.

§. 28. V. *Ne quis rem alterius invito ipſo uſurpet, corrumpat, aut intervertat.* Cum enim illas res, queis homo ad conſervationem ſui opus habet, communiter poſſideri, & promiſcue abs quovis uſurpari, tranquillitas ſocialis vitæ non ferat, ex conventione mutua cuiq; in id, quod recte adquiſivit, tale eſt jus, ut aliis circa id nulla diſponendi poteſtas, multo minus idem corrumpendi aut auferendi, fuerit relicta. Et hoc tam circa incorporales, quam corporales res valet. Æque enim in hanc legem peccat, qui poteſtate aliquem aut imperio ſuo uti prohibet, quam qui ipſius pecunias furtim aut vi aperta eripit.

§. 29. VI. *Ut quilibet præſtet, quod ex pacto aut fide data debet.* Cum enim longe plurima ſint, quæ ab homine in alterius uſum præſtari poſſunt, extra illa officia, generali humanitatis lege comprehenſa; quo ea jure exigere quis queat, iiſdémq; velut rationes ſuas ſuperſtruere, ſervandæ inter homines ſocietati neceſſum fuit, ut, quando conſenſum meum circa rem aliquam præſtandam ſignis expreſſum alter velut acceptaverit, apud me quidem obligatio ſeu neceſſitas interna naſceretur rem conventam præſtandi, altero vero jus eandem exigendi. Et hæ conventiones pacta vocantur, quorum religione ſocietates hominum tanquam firmiſſimo

vinculo continentur, & quibus violatis justissimæ querelarum exsurgunt causæ. Nam siquidem ego ex pacto quid præstiterim, altero fidem fallente, mea mihi frustra res aut opera periit; sin vero nihil adhuc præstiti, nihilominus rationes meas turbari molestum est, & indignum alterius fidem sequentem ludibrio haberi. Cur autem aliquis alterius fidem, etiam nulla præterea cautione data sequatur, aut quare fidei datæ aliqua inesse vis judicetur, inde est; quod, cum ista nullum commodius vinculum sit sociali hominum vitæ conservandæ, ad quam natura homines destinavit, quilibet præsumatur fini sese huic attemperaturus, quamdiu quidem ipsius facta contrarium non ostenderunt.

§. 30. VII. *Ut quod quis damnum alteri sua culpa dedit resarciat.* Deterioris enim conditionis forem, si alterius malitia aut socordia efficere posset, ut ego invitus re mea gratis carere cogerer. Dicimur autem damnum pati proprie circa illas res, in quæ jus perfectum nobis competit, scilicet ubi vel læditur, perditur aut eripitur, quod jam possidemus, vel ubi non tribuitur, quod ex pacto aut lege civili debetur. Ad quæ enim lex naturæ jus duntaxat imperfectum seu aptitudinem tribuit, ea si denegentur, proprie damnum non judicatur; adeóq; nec ad restitutionem agendi facultas inde nobis competit. Quod autem quis teneatur, quantum in se est curare, ut res alterius, quæ inculpabili modo ad ipsum pervenit ad verum dominum redeat, i. e. indicare aut fateri talem rem apud se esse, & ubi reposcatur restituere; ex universali lege humanitatis est, de curando cujusq; commodo, & avertendo damno, quantum sine proprio incommodo aut damno fieri potest. Id enim hominis ad socialem vitam obligatio exigit, ut aliquid sibi adquirere, seu pro lucro legitimo habere non debeat, quod cum alterius immerentis damno sit conjunctum; nec pro damno reputare, si indebito lucro careat, quod se sine alterius immerentis damno tenere

non

non posse novit. Quia tamen generali duntaxat vinculo ad id obstringor, alter sane postulare non potest, ut dum ipsius rem servo, propriæ rei damnum patiar; adeóq; tenebitur mihi saltem impensas, quas in rem ejus servandam impendi, refundere, nisi fors per leges positivas peculiariter quid huic fuerit constitutum. Cæterum, uti plurimis modis, directe aut indirecte damnum alteri potest dari; ita lex de restituendo damno in plurimas sese particulares diffundit leges, quarum nonnullas velut per saturam huic subjiciemus. 1. In contractu, qui alterum defraudavit, tenetur ad restitutionem ejus, quod alter minus justo accepit, ac si mora temporis intercessit, cum eo quod interest. Hac lege comprehenduntur, qui mercede debita aut ejus parte operarios fraudant: qui operam quamcunq; locantibus stipendia non solvunt: qui mercedem ampliorem paciscuntur, quam quanti ipsorum opera est: mercatores, qui ad iniquum pretium solvendum emptores adigunt: qui iniqua mensura aut pondere utuntur: qui monetam adulteratam pro genuina subjiciunt; queis illa tamen eodem, quo ipsi dederunt, valore alia occasione reddi poterit; etsi haudquaquam tertio, quippe in quem mihi nihil indulget injuria à tertio accepta, &c. 2. Commodatarius tenetur resarcire, si quid in re commodata fuerit corruptum, aut si prorsus perierit, nisi omnino etiam apud dominum fuisset peritura. 3. Mandatarius tenetur ad restituendum mandanti, si quid ejus culpa aut dolo fuerit damni datum circa negotium mandatum. 4. Fidejussor circa ea, quæ fidejussarii causa impendit, indemnis haberi debet. 5. Amissio aut corruptio pignoris per creditoris culpam facta imputatur eidem in solutum. 6. Qui id, quod ex officio gratis tenebatur facere, non nisi accepto pretio voluit, idem restituere debet. 7. Magistratus, qui ad inhibenda latrocinia & piraticam non adhibuit ea, quæ possunt ac debent, remedia, tenetur ad restitutionem damni viatoribus ac navi-

gantibus dati. 8. Debitor, qui in culpa fuit, ut creditor ad juris sui consecutionem sumptus facere cogeretur, ad refusionem istorum sumptuum tenetur; & recte temere litigans ad impensas litis solvendas condemnatur. 9. Advocatus, qui calumniis & cavillationibus impedit, ne alter jus suum obtinere possit, tenetur pensare id, quod alter ex ista mora damni accepit. 10. Verus debitor, licet coram tribunali per iniquam sententiam fuerit absolutus, natura tamen debitor manet: etsi subditus, ob imperii civilis in ipsum efficaciam, etiam contra injustam sententiam jus suum exsequi non possit. 11. In populo aliquo illi, qui non solvendo quod debebant, aut jus non reddendo causam dederunt pignorationibus, tenentur ad resarcienda damna aliis, quibus ea de causa inique aliquid decedit. 12. Qui jubet, consilium adhibet, adjuvat, receptum præstat, non vetat præcepto aut opem fert ei, cui damnum datur, cum possit & debeat ex obligatione perfecta; qui non dissuadet cum debeat, aut factum reticet, quod notum facere tenebatur ex obligatione perfecta, tenetur restituere, quantum ipse ad damnum momenti attulit. & si à principali lædente restitutio nequeat obtineri, in solidum. 13. Qui promisit aliquid intuitu alicujus rei, quam explorare neglexit, aut si sensum suum de industria recte non expressit, tenetur resarcire, quantum alter damni inde fuit passus. 14. Qui dolo aliquem conjecit in errorem, cujus intuitu ad promittendum induceretur, tenetur pensare, quidquid ex eo errore damni promissor acceperit. 15. Si is, cui promittitur aut cum quo contrahitur, metum intulerit injustum, ex quo secuta est promissio aut contractus, tenetur liberare promissorem, siquidem hic velit. 16. Qui factum alienum promisit, ad id quod interest tenetur, si facere omisit, quod ex sua parte ad id factum obtinendum præstare poterat. 17. Monopolia exercentes, quando de compacto id agunt, ut res supra pretium, quod summum nunc est in communi pretio vendant;

dant; aut quando vi vel fraude impediunt, ne major copia importetur; aut ideo merces coemunt, ut vendant pretio, quod tempore venditionis sit iniquum, reparare tenentur id, quod alii hanc ob causam minus habent. 18. Homicida injustus (i. e. qui eum occidit, cui jus erat, ne ab isto occideretur; quale jus non est in eo qui cum altero in pugnam ex provocatione descendit, aut alterum injuste invadit, quia hi censentur renunciasse isti juri; etsi hoc non obstet, quo minus à Magistratu puniri possint, quantum id ipsius interest:) tenetur solvere impensas, si quæ factæ sunt in Medicos; & iis, quos occisus alere ex officio solebat, tantum dare, quantum illa spes alimentorum, habita ratione ætatis occisi, valet. 19. Qui mutilavit, tenetur ad impensas in curationem vulneris factas, & æstimationem ejus, quod jam, qui mutilatus est, minus potest lucrari. 20. Adulteri non tantum indemnem debent præstare maritum de alenda prole adulterina, sed etiam legitimis rependere liberis, si quod damnum patiuntur ex concursu ita susceptæ sobolis ad hæreditatem. 21. Qui imminuit virginem vi aut fraude, tenetur ei rependere, quanti minoris ipsi valet spes nuptiarum. 22. Fur & raptor tenentur restituere rem subtractam cum incremento suo naturali, & cum subsequente damno ac cessante lucro, ac si res perierit, æstimationem saltem mediam. Idem debent, qui judicio injusto, accusatione per calumniam intentato, falso testimonio damnum dederunt. 23. Qui bello se miscent injusto, obligantur ad sumptus & damna restituenda, quæ opera sua dedere illi, qui justum bellum gerit. 24. In bello injusto quisquis damnum dederit tenetur ad restitutionem. Duces tenentur de his, quæ suo ductu facta sunt: milites in solidum omnes, qui ad actum aliquem communem, puta incendium urbis concurrerunt; in actibus dividuis, pro damno quisque, cujus ipse causa unica, aut inter causas fuit. 25. Dux qui debita militibus stipendia non solvit, non tantum mili-

militibus obligatur, ſed & ſubditis aut vicinis tenetur ſarcire damna, quæ iſti inopia coacti ipſis intulere. 26. Subditus, qui parte tributorum aut vectigalium diſſimulatis mercibus aut facultatibus ſuis, aut quacunq; ratione Magiſtratum fraudat, tenetur reſtituere id, quod hac ratione ipſi eſt ſubtractum, quocunq; titulo idem imperium teneat, modo cives expreſſe aut tacite ſeſe ei ſubjecerint; non obſtante, quod illa portio, quam ſubditus ſubtrahit, ipſi ſupra æquam menſuram videatur impoſita, niſi ipſe Magiſtratus iſta ſubditis remittat, aut illi prætenſioni renunciet. Quæ tamen renunciatio non facit, ut ſubditus antea non peccaverit. 27. Quiſquis rem alienam vi injuſta à ſe ereptam detinet, tenetur ad eam reſtituendam, etiam cum eo quod intereſt, etſi ſpoliatus ipſe illi renunciaverit ad redimendam vexam, uti vulgo loquuntur; idq; ſive eam repetat, ſive non. Nam ejuſmodi renunciatio, utpote per vim injuſtam extorta, non impedit, quo minus quis ex jure naturæ in integrum debeat reſtitui. Aſt ubi quis rem ereptam domino iterum obtulerit, ac ipſe eam recuſarit recipere, tunc demum velut titulo donationis eandem poſſidere incipit. Ex quibus omnibus patet, quod nocentiſſimus quiſque ſit obſtinatiſſimus; & quantum quiſque damni dolo aut per culpam alteri dederit, tantum illi debere intelligatur.

§. 31. VIII. *Ne quis in controverſia propria jus ſibi ipſi dicat, ſed eandem coram arbitris diſceptet.* Frequentiſſimum eſt inter homines, etiam qui leges naturæ obſervare ſtudent, ut de recta adplicatione legum ad facta ſpecialia controverſiæ oriantur, nempe, an quod factum eſt, ſit contra leges, nec ne? (quæ quæſtiones juris dicuntur.) Heic ſane, priuſquam ab altero quid jure poſtulari poſſit, conſtare debet, utrius intentio legibus congruat. Ejus rei definiendæ facultatem neutra pars litigantium recte ſibi vindicare poteſt. Fingamus enim, alterutrum in propriam cauſam ſerio velle inquirere, & candidum ferre judicium; alter tamen eo ſtare non tenetur:

netur: quia tanquam inter æquales nulla ratio reddi poteſt, quare hic potius illius, quam ille hujus ſententiam ſequi debeat: (ſi enim utriſq; conveniat, nulla amplius controverſia reſtat.) Ac ſemper quilibet ſibi plus quam alteri favere judicabitur. Neceſſum igitur eſt, utrumq; de re quapiam ambigentium in tertium aliquem conſentire, cujus ſententiam ſeſe ſecuturos eſſe, pacto ſe invicem obligent. Nequaquam autem ad arma ſtatim provolandum, quæ non niſi in eum ſtringi recte poſſunt, qui manifeſtus injuriæ eſt, etſi fors ex pervicacia id ipſe negaverit. Nam illud eſt in propria cauſa pronunciare, ob cauſam nondum liquidam bello aliquem perſequi; quod non niſi in manifeſta injuria natura indulget.

§. 32. IX. *Ut arbiter utriq; parti æqualem ſeſe præbeat.* Qui enim inter ſeſe controverſantur, tanquam æquali jure digni ad arbitrum accedunt. Qui ubi uni plus juſto favet parti, quam alteri, ſtatim querelarum exſurgunt cauſæ, & parata bellis materia. Ex quo conſequitur, nullum pactum aut promiſſum intercedere debere inter arbitrum & partes, cujus vi teneatur in gratiam alterutrius partis pronunciare. Sed nec pactum intercedere poteſt inter eoſdem, cujus vi arbiter obligetur ad pronunciandum id, quod æquum eſt, aut quod æquum iſte cenſuit. Cujus rei ratio eſt, non tam, quod alias per legem naturæ arbiter teneatur id pronunciare, quod juſtum videtur; cujus legis obligationi nihil queat accedere ex pacto, adeóq; ſupervacuum ſit tale pactum; quam quod hoc modo finis arbitrii ſumpti reddatur irritus, ac fiat progreſſus in infinitum. Pactum enim ejuſmodi ita eſſet concipiendum, ut ſtaturas ſe judicio arbitri partes promittant, ſiquidem ipſe æquam tulerit ſententiam. Quod ſi itaq; poſt ſententia iſtius alterutri partium iniqua videatur, aut revera iniqua ſit, iterum oritura foret controverſia circa æquitatem ſententiæ. Cujus deciſio cum neq; huic arbitro, neq; partibus competere queat, ad alium neceſſario arbitrum erit decur-

decurrendum; de cujus sententia si iterum dubium oriatur, rursus alius erit constituendus, & sic in infinitum. Ast ubi quæstiones facti arbitro sunt decidendæ, scilicet quando quæritur, an revera factum sit, quod ab una parte factum esse dicitur; itidem partibus sese æqualem debet exhibere, & æque utrique, i.e. quia contradictoria simul vera adseverant, neutri credere. Sed ubi signa in cognitionem veritatis haud perducunt, secundum effata testium sententia erit ferenda; quos alterutri parti non ita oportet esse addictos, ut alteri vix æqui esse possint.

§. 33. X. *Ne eum, qui fiducia humanitatis tuæ prior tibi benefecerit, eam ob rem deterioris esse conditionis patiare*: seu; *Ut qui prior beneficium accepit, operam det, ne alterum dati pœniteat.* Id quod fit, quando qui beneficium accepit neq; danti significat, gratum id sibi esse, & occasionem paria faciendi negligit, aut, quod deinceps plerunq; sequi solet, odium pro gratia rependit. In quo etsi proprie dicta non fiat injuria, quippe cum heic jus aliquod per pacta quæsitum non violetur, nec beneficium soleat vocari, quod ex pacto præstatur: Odiosa tamen & detestabilis res censetur ingratitudo, quod & omnem inter homines beneficentiam, gratiæq; conciliandæ initia tollat; & degeneris valde animi sit, non ostendere velle, alterum in honesto de te judicio haudquaquam falli. In beneficiis tamen reddendis non necesse est, ut præcise tantum reddamus, quanti fuit, quod nobis est exhibitum, sed duntaxat quantum commode possumus. Unde grati nomen tueri potest, etiam cui haudquaquam eæ facultates, ut benefactoribus suis paria reponere queat.

§. 34. XI. *Ne quis signis ad exprimenda animi sensa institutis alterum decipiat.* Cum enim societatis humanæ plurimum interesset, ut sensa animi invicem cognoscere homines possent, quod non nisi per certa signa efficitur; omnino necessum erat, certam quandam vim,

per

per tacitam conventionem istis signis tribui, quorum interventu de sensu alterius judicare, & cogitata invicem communicare liceret. Quæ etsi non infallibilem de animo alterius certitudinem generarent, sed probabilem duntaxat, aptis ad quævis simulanda & dissimulanda hominibus; conservationi tamen societatis illud utcunq; sufficiebat, quod circa actus potissimum, queis obligatio aliqua est contrahenda, pro eo sensu eadem valerent, quem communis usus ac præsens negotium ostenderet. Sunt autem signa isthæc voces seu verba articulata, per linguam formata, aut post scripto expressa; eo commodius alendæ vitæ sociali instrumentum, quo volubili magis lingua manibúsq; agilioribus homines præ reliquis animantibus gaudent. Quibus vis determinate hoc vel illud significandi non ex natura aut aliqua intrinseca necessitate, sed ex mero hominum arbitrio inest. Cui non obstat, quod Adam dicatur summa ratione vocabula rebus imposuisse ex propria ipsarum natura; & quod in quibusvis linguis sint aliqua primitiva, ex quibus cætera magis ratione quam arbitrio deducantur. Nam etsi concedamus, animantibus atque aliis quibusdam rebus nomina imposita, ipsarum naturam aut præcipuam affectionem denotantia; tamen illa ipsa primitiva, ab quibus ista deflexa, ex mero sunt arbitrio. Post autem uti cognatis invicem rebus cognata plerunq; vocabula fuere indita, servata in plerisq; inflexionis conformitate, quam analogiam vocant: ita neq; perpetua est, isthæc, pluribus vocibus peculiarem sibi viam observantibus; & illa ipsa quoq; analogia, certa vocabulorum flexione & combinatione constans, itidem ex arbitrio est determinata. Etsi autem alia quoq; sint signa, quibus sensa animi utcunq; possunt exprimi; circa nullum tamen præterea ejusmodi tacita conventio, eaq; universalis est inita, ut conformiter in communi vitæ usu id adhiberi necessum sit, nisi fors peculiaris intervenerit conventio. Cum itaq; nemo alterum,

terum, cum quo juris naturæ commercia adhuc mutuo exercentur, nisi fors ex occasione demeriti lædere debeat; sed contra quilibet pro facultate alterius commoda promovere, & quæ ex pacto debet, omnino exhibere teneatur; patet sane cuilibet adversus alterum, qui vel ex pacto, vel ex sola humanitatis lege, animi istius sensum intelligendi jus habet, ita adhibenda esse signa, ut ne per ipsa in fraudem inducatur. Quod ipsum est fundamentum veritatis moralis, seu veracitatis, quæ in hoc consistit, ut signa commode animi nostri conceptus repræsentent alteri, cui eos intelligendi jus, nobis eidem illos aperiendi obligatio perfecta aut imperfecta est.

§. 39. Ex quibus quid *Mendacium* sit, haud difficulter colligitur, scilicet ubi signa alium præ se ferunt sensum animi nostri, quam qui revera erat, cum tamen hunc ipsum is, ad quem signa diriguntur, intelligendi & judicandi jus haberet. Ubi in universum constat, tum demum me teneri signa ad animi mei sensum conformare, quando mihi obligatio perfecta aut imperfecta est eum alteri indicandi, idq; vel ut ipsum directe intelligat, vel ne si diversum ego expresserim, damno præter meritum ipsum mactem: alteri autem itidem est jus perfectum vel imperfectum eum intelligendi, quod quidem jus oppositione valentioris obligationis aut juris non sit sublatum. Talis obligatio aut jus ubi non extiterit, haud quidquam mendacium admittet, si quis vel discrepantia ab animi sui sensu signa proferat, vel omnino eum tacendo dissimulet. Sic cum inter hostes obligatio sensa animi indicandi cesset, citra mendacii culpam poterit quis adversus hostem falsa proferre, aut fictis ipsum rumoribus terrere, aut detrimenti quid inferre, prout ex re sua judicaverit, modo ne tertio alicui præter fas damnum inde enascatur. Quem modum nocendi hostibus si qui reprehendunt, non inde est quod per eum jus aliquod violetur; sed quia apud erectiores animos illa tantum hosti illata gloriæ ducuntur, quæ vigorem quendam

dam animi aut corporis præferunt, non quæ imbellibus quoq; & timidis nullo negotio præſtantur; ex quo poſteriori genere quoq; eſt, fabulas hoſti fallendo ſpargere. Quod tamen haudquaquam ad ulla pacta, cum hoſtibus tollendi aut ſuſpendendi belli cauſa ineunda, eſt extendendum. Cum enim lex naturæ pacem, quantum commode fieri poteſt, ſervari aut ruptam ſarciri jubeat; jubere quoq; intelligitur, ut ea uſurpentur media, ſine quibus iſte finis non poteſt obtineri; ſcilicet ut de animi ſenſibus invicem judicare hoſtes queant. Alias enim in pacem coire ipſos impoſſibile eſt, ni diffidendi invicem neceſſitas obligatione veritatem adhibendi circa compoſitiones pacis tollatur. Adeóq; ſtatim atq; cum hoſte pactum iniri incipit, utrinq; enaſcitur jus intelligendi ſenſum alterius, ſaltem circa negotium præſens; quem qui non recte expreſſerit, mendacium commiſiſſe, atq; injuriam feciſſe cenſendus eſt. Sic plurima ſunt, quæ ego alteri ſignificare non teneor, quæ ſcilicet ab altero, cui ad ea à me ſcienda nullum jus, cum detrimento meo ſciuntur; de quibus percontanti optimum quidem omnino denegare reſponſum. Quemadmodum etiam tacita gentium conventione introductum, uti ſigillo munitæ literæ ab illo ſolo aperirentur, cui ſunt inſcriptæ; & ſi quis alius eas reſignaverit, niſi ex præſumpta aut expreſſa voluntate iſtius fecerit, injuriam ipſi inferat, ac communem gentium conventionem violaſſe cenſeatur: quod jus tamen, uti cætera, inter hoſtes expirat. Ac ſi ubi commode alterius importunam curioſitatem amolîri tacendo aut diſſimulando nequeo, tunc ſane licebit vel conficta fabella ipſi illudere, vel ambiguo ſermone uti; etſi iſtum in diverſam, quam nos ſentiamus, partem alterum intelligere adpareat. Ubi tamen cavendum, ne prætet ludibrium, quod curioſitas ipſius meretur, quidquam præterea damni ipſi inferatur. Quod etiam in eum caſum valet, ſi tertius quis cui ſermones meos arbitrandi nullum jus, meum colloquium

cum

cum altero captans, frustra habeatur, cum altero fictis de compacto sermonibus collatis. Sic in tribunalibus humanis, cum nemo, quando restitutionem damni delicto suo dati fecit, aut facere paratus est, ad pœnam se sponte offerre, aut nomen suum de crimine deferre teneatur, haudquaquam quoq; tenebitur quis de suo facinore sponte confiteri; sed vel negare illud, vel fictis eludere argumentis potest. Etsi ubi juramento res adserenda, ob reverentiam divini Numinis non debeat aliud, quam quod res est, fateri. At vero ubi de alterius crimine quis à Magistratu interrogatur, etiam injuratus verum fateri debet, ex vi obligationis, quo ad bonum publicum promovendum tenetur; quod spectari præsumitur circa quævis delicta punienda, de quibus quæstionem habendam Magistratus judicat. Sed & mendacium committit v.g. Judex, qui ut rem à reo expiscetur, aliquid fingit, puta, ab alio sese jam rem rescisse, hoc vel illud se facturum, si dissimulare pergat, & similia. Sane enim judici quocunq; modo verum exsculpendi jus est, etiamsi reo non sit obligatio quolibet modo rem aperiendi; adeóq; si callido quodam modo veritatem judex eruat, cum jure suo utatur, injuriam non facit. Sic laudem quoq; insuper meretur, qui ficto sermone alterius innocentiam tegit, vel iratum placat, mœstum solatur, aut quidpiam commodi alicui adfert, quod aperta rei confessione obtineri non poterat. Quia enim ista officia ex lege humanitatis, vel arctiore etiam obligatione exhibere alteri tenebatur, constat sane, non esse ipsum obligatum ad signa isto modo adhibenda, quo finem suum, nempe alterius commodum, non adfecutura erant. Quo etiam pertinent figmenta Medicorum, quibus ægroto morosо medicinæ dulcedinem aut lenitatem persuadere satagunt. Item quando infans aut amens commentis demulcetur. Aut si quis in prælio labantes suorum animos ficto nuncio erigat. Multo minus autem mendacii notam contrahimus, quando ipsi prædicimus

cimus nos falsa dicturos, (quod sit, quando fabulæ narrantur aut scribuntur,) vel quando joco aut facetiis utimur; cum vel ad usum alterius istud fiat, vel præsumamus alteri discrepantiam istam verborum à sensu animi, aut figuratum sermonem haudquaquam molestum fore.

§. 36. Cæterum hoic non incongrue aliquid subjungitur de Interpretatione signorum, absq; qua eorundem usus prorsus in irritum cadit. Ubi isthæc generalis observanda regula: Signa seu verba valere pro eo sensu, quem communis inter ejusdem linguæ homines usus tulerit. Penes hunc enim jus & norma loquendi est; & sine suo destitueretur verba, si quilibet pro lubitu, quem velit sensum, iis posset affingere, à communi usu abhorrentem. Artium vero peculiaria vocabula in eum sensum valent, qui à peritis artis istius usurpatur, siquidem constet, pro artificiosis illa fuisse prolata. Quod si artifices circa definitionem illius vocabuli dissentiant, vel alias quædam ipsi insit obscuritas, optimum erit communibus vocabulis determinare, quid proprie per talem vocem intelligi velis. Ast ubi obscuritas aut ambiguitas verbis inest, tunc verus sensus erit eruendus vel ex ipsa materia subjecta, vel ex effectu, vel ex ratione, qua quis ad illa proferenda fuit inductus. Sic & ubi vocabulum aliquod plures habeat significationes, unam strictiorem, alteram laxiorem, ni ambiguitas possit tolli, merito in odiosis strictior, in favorabilibus laxior significatio obtinet; ita tamen ne dum per favorem una pars sublevatur, altera contra nimis prematur. Idq; vel quia præsumitur quilibet maluisse ad plures pervenire commodum, quam onus; vel quia levior est error, si favor longius, quam si odium extendatur. Sic cum nemo censeatur voluisse absurda, aut nullum actionis suæ esse effectum; ille verborum sensus recte rejicitur, qui vel absurdi quid involvit, vel ad nihilum recidere facit actum, aut qui est contra rationem, cujus intuitu verba, de quibus ambigitur, prolata fuerunt.

Observatio V.

Ad vitam hominis socialem servandam non sola lex naturæ immediate sufficit, sed, ut in particularibus societatibus imperia quoque constituantur, necessum est.

I. *Cause, cur sola lex naturæ ad socialem inter homines vitam non sufficiat.*
II. *Necessitas particularium societatum inter homines constituendarum.*
III. *Quale imperium marito per naturam in uxorem?*
IV. *De obligatione ad contrahendum matrimonium?*
V. *De pudore circa actus matrimoniales.*
VI. *De prohibitis gradibus.*
VII. *De polygamia.*
VIII. *De imperio parentum in liberos.*
IX. *An patri quoq; imperium in sobolem?*
X. *De officio parentum erga liberos.*
XI. *De imperio domini in servum.*
XII. *Quod absolutum.*
XIII. *Quomodo dissolvatur?*
XIV. *Coalitio in familias pacis conservandæ non sufficit.*
XV. *Sed constituendum demiq; est summum imperium civile.*
XVI. *Partes imperii summi.*
XVII. *An & quatenus imperio civili resistere liceat?*
XVIII. *Summæ potestatis affectiones.*
XIX. *De subjecto summæ potestatis.*
XX. *An semper ea sit penes populum?*
XXI. *An tyrannus possit in ordinem redigi à populo?*
XXII. *Principi, qui in hostem abiit, ut hosti possit occurri.*
XXIII. *Responsetur argumentis eorum, qui Monarchis iniquiores.*

§. 1. Etsi omnia juris naturæ præcepta, quæ ex altera lege fundamentali profluunt, eo tendant, ut pacifica inter homines societas, citra injurias invicem illatas, colatur; tamen quo minus ista præcepta immediate sufficiant huic fini producendo, multæ deprehen-

prelienduntur causæ. Nam etsi cuiq; conscientia, quid agendum aut omittendum, satis inculcet; tamen paucis ea ingenii modestia, ut illud sequi perpetuo velint, ubi nulla id violanti præsens ac terrorem sensibus incutiens pœna fuerit proposita; præprimis ubi per adsuetudinem dulcedo vitiorum subiit, & ejecto pudore ad monita rationis animus affectibus obnoxius obsurduit. Cum igitur, ubi suæ quisq; conscientiæ circa servandam naturæ legem relinqueretur, longe uberrima esset futura seges hominum in reliquos injuriorum, cæteris quoque non nisi à vi petenda foret salutis suæ protectio; unde futurum, ut omnia bellis perstreperent, inter repellentes injuriam aut inferentes. Huc accedit quod etsi jus naturæ jubeat, ad arbitros controversias deferri; tamen cum hisce qualibus in litigantes nulla competat jurisdictio, per quam ad sententiam omnino sequendam adigi possint, in irritum quoq; istud pacis servandæ remedium cadet, siquidem alter judicium arbitri, quod sibi displicet, rejecerit. Et quid futurum esset, si nemo ullius in se hominis imperium agnosceret, cum hodie inter tam paucos ab imperio humano in se absolutos tot bella, continuata prope serie, gerantur; postquam amplitudo humani generis, & infinita negotiorum multitudo omnes homines in unum corpus coalescere non permisit; quippe cui in ea vastitate eadem à turbis intestinis, ac prope majora imminerent incommoda, quam quæ nunc humanum genus, in complura minora divisum imperia exercent.

§. 2. Omnino igitur necessum fuit servandæ inter homines paci atq; securitati aliquid constitui, per quod communiter hominibus optabilius redderetur, debita invicem officia præstare, quam per injurias velut mutuas clades pacisci. Heic vero nullum commodius medium potuit inveniri, in quod ipsum quoq; naturæ intentio fertur, quam ut in mutua invicem auxilia ferenda sese homines conjungerent; & quidem non pauculi aliqui,

ſed quibus ex numero eæ vires, ut injuria iſtos imperiturос, ex adjunctione pauciorum quorundam parum momenti acceſſurum ſit ad eoſdem opprimendos. Ubi tamen illud certum, quantuſcunq; ſit eorum numerus, qui ad mutuam defenſionem coivere, ſi non conveniat inter ipſos de optima ratione, qua id fieri debeat, ſed ex proprio quiſq; judicio vires ſuas adhibeat, finem propoſitum haudquidquam obtentum iri. Nam vel diſcrepantes ſententiæ circa modum defenſionis vires eorum diſtractas enervabunt, vel invicem concedere detrectantes æmulatio inteſtinis involvet bellis; niſi communi aliquo vinculo coërceantur, quo circa communem defenſionem ac ſalutem omnes ac ſinguli unam ſententiam ita ſequi teneantur, ut in alia omnia diſcedere non poſſint; etſi paucis quibuſdam ea diſplicuerit, aut privatis ſuis rebus parum proficua videatur. Iſtud vero commodiori ratione obtineri nequit, niſi unuſquiſq; voluntatem ſuam alterius unius hominis vel concilii voluntati ita ſubjecerit, ut pro voluntate omnium valeat, quidquid illi circa ſalutem publicam viſum fuerit; idémque ſingulorum viribus & facultatibus uti queat ad communem ſalutem. Huic fini duplici pacto opus eſt; uno, ſinguli ſeſe cum ſingulis obligant, unius alicujus imperio ſimul ſeſe ſubjicere; altero, uni ſeſe illi omnes & ſinguli obſtringunt, quod uſum opum & virium ſuarum ad ipſius arbitrium bono publico præbere, ejuſq; juſſis non reſiſtere velint. Quo ipſo etiam ſinguli ſeſe abdicant jure illo, ex proprio judicio lædentem ſe bello aggredi, injuriarum ſuarum perſecutionem ab imperantis judicio expectaturi, niſi fors præſens neceſſitas ipſius opem implorare non permittat. Unde fit, ut, quia in ipſum jus eſt tranſlatum viribus & facultatibus omnium utendi ad id, quod ipſe rebus communibus expedire judicaverit, iiſdem viribus polleat, quibus omnes ad harmoniam & pacem internam queat componere, ſi vel maxime quidam adſpectu commodi peculiaris in diverſa velint

velint tendere; & exteriorum quoq; injurias valide propulsare. Inter quos igitur talia pacta intercedunt, illi in unam personam moralem seu societatem coaluere, quæ suam sibi voluntatem res ac jura habet propria, distincta à rebus ac juribus singulorum qua talium, quæ neq; pauci aliqui ex sociis, neq; etiam universi, si excipiatur ille, in quo imperium hæret, sibi queant vindicare.

§. 3. Cæterum talia pacta societates generantia existunt vel occasione nativitatis, vel belli, in quo altera pars succubuit, vel intuitu amplioris securitatis. Prioribus modis constituuntur *Familiæ*, per quas is, quem diximus finis non ita plene potest obtineri; posteriori *Civitas*, quæ prædictum finem perfecte, prout res humanæ ferunt, adsequitur. Societas autem nuptialis seu matrimonium, etsi scaturigo & velut seminarium sit omnium societatum, proprie isthoc fine non contrahitur. Nam & inter pauciores personas subsistit, quam quarum vires conjunctæ mutuam præstare queant securitatem; quippe cum uni viro à conjunctione unius aut particularium fœminarum exiguum accedere præsidium queat; nec securitatem humani generis, sed propagationem ejusdem pro fine habet matrimonium; nec per illud in se imperium aliquod constituitur. Equidem non tantum ex sexus præstantia, sed etiam ex ipsa pacti matrimonialis natura hactenus in uxoris corpus jus marito competit, quantum sufficit ad hoc, ut probabiliter certus esse possit, partus uxoris à se procreatos. Unde cum suo quisq; jure uti præsumatur, quilibet pro ejus filio habetur, cum quo mater sua, cum ipse nascereretur, nupta fuit. Et non citra omnem rationem maritis vulgo ex uxorum impudicitia ignominiæ aliqua labes adspergitur, eo quod ex imprudentia aut abjectione animi potestate sua non recte fuerint usi; etsi sint, qui ejus rei causam inde derivent, quod opprobrio videatur, carere aliquem iis dotibus, quæ amorem mereri, aut stipulatum con-

ſervare queant. Adeóq; quod circa res matrimonium concernentes uxor mariti, non hic illius ſequi voluntatem teneatur, proprie & immediate eſt ex vi pacti matrimonialis, non ex imperio aliquo: quemadmodum mercenarius operas ſuas adplicare tenetur ad arbitrium locatoris, etſi huic in illum nihil imperii proprie competat. Unde quoque, ſi conductor quod debuit non præſtitit, locatori adverſus ipſum actio competit non tanquam refractarium ſubditum, ſed duntaxat tanquam pacti violatorem. Sic uti hæc quidem ex pacto matrimoniali fluunt, quod uxor viro cohabitare teneatur, quod eo invito peregre abire aut ſecubare non poſſit, ita an directio cæterarum uxoris actionum, quæ eſſentiam matrimonii non tangunt, ut & plena poteſtas in bona ejuſdem marito competat, ex peculiari conjugum conventione, aut civilibus dependet legibus. His enim utiq; ſtandum, ſiquidem definierint, an fœminæ cum dote ſint elocandæ, an bonorum inter conjuges debeat eſſe confuſio, an maritus plenam aut reſtrictam poteſtatem in bona dotalia habeat, & ſimilia. Ubi civiles leges nihil heic diſponunt, circa iſta pro lubitu inter ſe pacifci conjugibus licebit.

§. 4. Poſſunt autem, quantum ad legem naturæ, matrimonium contrahere, quicunque per conſtitutionem corporis aut ætatis habiles ſunt. Et cum per eandem ad colendam vitam ſocialem adſtringamur, cujus fundamentum velut eſt matrimonium, patet, homines quoque ad id ineundum obligari, per modum tamen præcepti affirmativi indeterminati, ſcilicet quando occaſio ipſis ſuppetit, & quando non valde probabiliter prævident, ſeſe in cœlibe vita, ad quam per continentiam exigendam habiles ſe deprehendunt, plus humano generi aut civitati ſuæ utilitatis poſſe præſtare, quam conjugatos. Unde haudquaquam peccare arbitrandi ſunt, qui matrimonium differunt, quo commodius ſoluti animum excolant, ac ad præſtanda egregia ſocietati humanæ miniſte-

nisteria sese præparent, quod maritis propter mores civitatis aut genium fœminarum non ita licebat. Nec si quis sublimiori agatur spiritu, ut stimulos istos vel non sentiat, vel facile retundat, quiqs alias bene merendo utilem se universi civem præbere queat, putandus est per naturam obligari, ut omnino præclaris suis conatibus per muliebres illecebras velut compedes injiciat. Leges autem civiles uti non nisi per summam iniquitatem certos homines habiles matrimonio sint prohibituri; ita si exploratum sit, munus aliquod longe commodius à cœlibe, quam à conjugato posse obiri, nihil sane videtur obstare, quo minus cœlibes tantum ad istud munus admittantur; aut si uxore carere amplius nolint, eo excidant. Non secus ac v.g. Legato, aut Duci vel militi potest interdici, ne peregre aut in expeditionem proficiscens uxorem secum ducat. Sic potestas civilis alia quoqs recte heic disponere potest, puta, circa ætatem connubio jungendorum, circa eorundem statum, v.g. ne civis peregrinam, nobilis plebeiam ducat; item circa ritus contractui adhibendos, aut consensum aliorum à contrahentibus imperrandum, v.g. ne quis parentibus aut tutoribus invitis, vel etiam ipso Magistratu inconsulto, matrimonium ineat, aut similia. Cujusmodi legum civilium hæc esse vis potest, ut vel effectibus legitimi matrimonii in ista civitate careat connubium, cui aliquod lege præscriptum requisitum deest, puta ut liberi non fiant pleni cives, ad hæreditatem paternam aut ad certas dignitates civiles non admittantur; aut ut concubinatus nomine duntaxat censeatur tale connubium; vel ut etiam omnino licet jam consummatum possit dissolvi. Nam nec commixtio corporum in se per naturam eum habet effectum, ut inter quos ea aliquoties vel semel intercessit, cohabitare semper teneantur; & ad firmitatem pacti connubialis saltem in foro civili requiritur, ut quæ heic leges civiles adhiberi jubent, tanquam citra quæ pactum non sit valiturum omnino adhibeantur. Ex qui-

bus facile poteſt colligi, quid judicandum ſit de vetuſtiſſima illa quæſtione an parentes matrimonia liberorum ſeſe inſciis & invitis inita poſſint reſcindere? Ubi illud præprimis videndum, extra civitatem, an in civitate vivat parens. Si enim extra civitatem degat, cui ipſe ſubjectus ſit, utiq; ipſe in ſuam familiam inſtar ſummi imperii habebit, adeóq; quicquid circa iſta ſuis præſcripſerit, vim legis civilis habebit; cui ubi filius contravenerit, vel pœna affici à patre poterit, vel contractus quoq; matrimonialis reſcindi, ſiquidem id expreſſe fuerit prædictum; aut ſi imperio patris ſeſe ſubtraxerit, familia, & hæreditate paterna excludi. Quod ſi autem nullum circa iſtud patris præceptum extiterit, tunc intelligitur iſte eam rem in arbitrio liberorum reliquiſſe; uti ea quæ legibus non interdicuntur pro licitis habentur. Ubi nihilominus obſervantiæ officium requirit ut cum de tanti momenti negotio agatur, parentis conſenſum decenter requirant liberi, cujus non parum intereſt, per quos genus ſuum propagetur, aut in quos bona ſua devolvantur: Ita tamen, ut eo conſenſu non requiſito, nihilominus matrimonium firmum maneat; quippe cum omnino per modum civilis legis antea fuerit promulgandum, tantam vim habiturum expreſſi conſenſus paterni defectum, ut matrimonium eo irritum ſit reddendum. Quando autem ſemel valide id fuerit contractum, ubi poſt conditio filii fors patri diſplicuerit, non magis recte reſcindi poteſt, quam ex lege poſt lata antegreſſa facta licita puniuntur. Aſt ubi in civitatibus vivitur, tota ea res ex legibus civilibus eſt dijudicanda. Harum enim eſt definire, quid civibus poteſtatis in liberos ſuos, præſertim qui confirmata jam ſunt ætate, competat.

§. 5. Cæterum uti & ex dignitate hominis erat, non per vagos concubitus pecorum inſtar procreari; & maxime ad decorum in ſocietatibus ordinem facit, pacti religione cohabitationes marium & fœminarum velut muniri: ita illud mirum ſane videtur, quod, inter cultiores

tiores saltem gentes, tum membris procreationi destinatis, tum ipsi generationis actui tenera admodum adhæreat verecundia, cum tamen illa neq; ex naturali aliqua membrorum deformitate, aut absurda figura oriri videatur; & actus iste in se naturæ sit conformis ac omnino necessarius speciei conservandæ ac aptus tantæ dignationis animal producere. Quo exercendo cur magis erubescere quis debeat, quam edendo aut bibendo; cum citra istum æque species servari nequeat, quam citra hæc individua? Nec satisfaciunt rei qui huic ad divinas confugiunt literas, ubi isthæc verecundia statim post lapsum sese exseruisse memoratur. Nam nihilominus quæstio manet, cur his potissimum in partibus pudor velut sedem fixerit; cum manus ac lingua hominis non minus in turbidarum ac pravarum ministeria cupiditatum præsto sint. Probabilissima igitur hujus rei causa hæc videtur adferri posse, quia tantum momenti in eo situm erat ad socialem inter homines vitam servandam, sobolis propagationem decenti ordine, secus quam apud bestias, circumscribi. Hinc insita quadam verecundia, quæ animos vehementius fere, quam legis interdictum movet, natura actuum eo facientium innocentiam munire voluit, ut & solicite ista membra tegerentur, ne oculis semper exposita nimis irritarent libidinem nullo temporis termino circumscriptam; & eo cautius venere illicita abstineretur, quod & legitimam non nisi recte & remotis arbitris obire pudoris teneritas subigeret. Et hic pudor quam maxime est efficax inter immediate generatos ac generantes, adeo ut qui per eum non reprimatur, quo minus cum ejusmodi personis ita sibi juncta in familiarem istam corporum commistionem descendere non vereatur, effronti prorsus ingenio, & qui nullum præterea facinus sit formidaturus, judicetur.

§. 6. Inde putamus arcessendam causam cur ipso naturæ jure interdicta censeantur connubia in recta linea adscendente & descendente; præsertim cum nullus casus

ſus extiterit, nec probabiliter exiſtere poſſit, ut eorum admittendorum neceſſitas foret. Illa enim ratio haud prorſus conficere rem videtur, quod nec filius maritus lege matrimonii ſuperior eam reverentiam poſſit præſtare matri uxori, quam natura exigit; nec patri filia, quæ quamvis lege matrimonii inferior, tamen ob familiarem illam conſuetudinem iſtius neceſſitudinis reverentiam exhibere prohibeatur. Nam ſi naturalem illam verecundiam, quam dixi, removeas, non ſane ita abſurdum eſſet, matrem cum filio ſui juris, adeóq; obſervantiam duntaxat debente, jungi poſſe; cum & alias ſexus conditio quoad contractus matrimonialis eſſentialia ordinarie eam alterius arbitrio obnoxiam faciat, cuicunq; demum jungatur; obſervantia autem filialis in aliis rebus ſeſe exſerere poſſit. Multo minus autem, ſi verecundiam commixtionis removeas, filia per matrimonium prohiberetur patri marito obſervantiam exhibere; cum nequaquam neceſſarium ſit, ut uxor in imperii domeſtici partem adſciſcatur, multo minus ut viro adverſetur. At vero licet inter fratres quoq; & ſorores, reliquóſq; propinquo admodum gradu junctos ejuſmodi verecundia remiſſior utiq; quam inter parentes & liberos deprehendatur; tamen quo minus inter hos quoque matrimonia, jure naturæ prohibita dicamus cauſa eſt, quod prout origines hominum divinarum nos ſcripturarum docet autoritas, neceſſario inter primorum conjugum liberos, fratres certe & ſorores, matrimonia fuerint invicem contrahenda. Non autem videtur probabile, Deum ejuſmodi caſum procuraſſe, ut omnino legi naturæ vis eſſet inferenda; præſertim cum facile fuiſſet iſtum caſum evitare, creatis ab initio duobus conjugum paribus. Monuit tamen verecundia illa, ut, poſtquam neceſſitas ejuſmodi connubii expiravit, auctо ſufficienter hominum numero, iſte gradus per leges poſitivas prohiberetur; præſertim cum eorum victus quotidianus & & inobſervatus ſtupris & adulteriis occaſionem

valde

valde pronam esset daturus, si amores tales nuptias possent conglutinari. Quæ ratio etiam ad alios consanguinitatis & affinitatis gradus est extendenda, quos præterea leges positivæ prohibent, aut non nisi peculiari Magistratus indultu privatis permittunt.

§. 7. Quod vero polygamiam attinet, certum quidem est, talem qua una pluribus simul viris uxor est, à natura & fine matrimonii prorsus abhorrere; at vero ut unus pluribus fœminis simul jungatur, etsi lege divina positiva inter Christianos jam credatur interdictum, legi tamen naturæ in se haud repugnat. Non enim necessum est, ut quemadmodum uxor nemini vivo corporis sui copiam debet facere, præterquam uni marito; sic & maritus alii fœminæ præterquam unicæ uxori. Nam prius necessarium est ob certitudinem sobolis. At vero ut unius fœminæ libidini mulcendæ omnes quis impendat vires quæ apud plures soboli excitandæ sufficere poterant, haudquidquam à natura præcipi videtur. Illæ vero rationes de zelotypia uxorum inter se, de discordiis domesticis, de odiis novercalibus in ipsa quoque prole continuandis, apud istas duntaxat nationes valent ubi erecta nimis fœminarum ingenia; quales hodie plerasq; apud Europæos; ubi strenue officio viri fungitur, qui uxori ipse non est obnoxius. At vero apud Asiaticos, aliosque, ubi fœminis obsequii tantum gloria relinquitur, domesticam pacem plures uxores nihil magis turbant, quam alibi unius viraginis præpostera imperandi libido. Omnino tamen gravissimis de causis concessam antehac polygamiam post per positivas leges prohibitam fuisse censendum est. Sed & illud ex positiva Dei lege matrimonio accessit, quod violata quidem essentiali contractus conditione per adulterium, quando uxor alteri copiam sui fecit, dissolvi possit; ob cætera tamen incommoda, cohabitationem molestam facientia, etiam mutuo consensu non possit. Cum alias jus naturæ non prohibeat, quo minus quis ob sterilitatem, aut ob deformia

formia vitia & intolerabiles mores uxorem dimittere queat, præsertim si contractui nuptiali fuerit insertum, ut divortii facultas foret, siquidem tale quid in uxore deprehenderetur; & alias quæ mutuo consensu fuere constituta, contrario consensu iterum dissolvi possint, ubi lex positiva non obstiterit.

§. 8. Per generationem porro atq; nativitatem existere incipit societas inter parentes & liberos. Hæc enim præbet occasionem adquirendi jus in prolem, quod non tantum adversus alios non parentes valeat, ut quemadmodum maxime naturale est eum esse dominum fructuum, qui est dominus rei, ita proximum habet gradum ad imperium in prolem quærendum, qui est dominus corporis, ex quo illa fuit generata: sed &, quod in ipsam prolem valeat. Præterquam enim, quod ipsa natura parentibus liberorum curam, liberis adversus parentes reverentiam injunxit; eo ipso dum tollitur infans, parens quidem declarat se obligationem à natura injunctam impleturum, eumq; quantum in se, bene educaturum. Ubi quanquam infans, eo quod ratione uti non novit, reciproca officia per naturam injuncta expresse promittere nequit; nihilominus ex natura negotii obligatio erga parentem contracta in ipso, non minus ac si expresso fuisset consensu contracta, sese exserit, quam primum, quid à parente gestum sit erga se, intelligere potest. Præsumitur enim, si usum rationis eo, quo sublatus est, tempore habuisset, expresse in tale imperium parentis in se citra quod commoda educatio fieri nequit, fuisse consensurum, commodámq; sibi educationem ab eo vicissim stipulaturum. Qui consensus cum ratione præsumptus pro expresso valet. Non secus atq; is, cujus absentis atq; ignorantis negotia alter gessit, obligationem contraxisse intelligitur isti pensandi, quod quod in ipsius utilitatem impendit; eo quod præsumitur, ipsum expresse in talem contractum fuisse consensurum, si negotia sua alterius operam desiderare sciviſſet. Quod

si

si extra civitates vivitur, in adultum jam filium imperium patris quasi civile continuatur ex pacto tacito; suadente etiam æquitate & lege gratitudinis, ut viribus suis illi se potissimum adjungat, per quem ipse habet, quod talis jam est; donec ipsius patris consensu isto imperio prorsus solvatur.

§. 9. Enimvero cum ad procreationem sobolis tam pater quam mater concurrat, utri potestas in sobolem competat, & quousque, ex pacto matrimoniali est dijudicandum. Nam si nullum inter ipsos intercessit pactum, matris proles est; quia in tali statu pater sciri, nisi indicio matris non potest, saltem ea certitudine, qua res facti inter homines probantur; nec alteri heic propius jus ad prolem competere intelligitur, præ illa quæ eam proprium intra corpus gestavit atq; aluit. Hinc etiam ex legibus Romanis, qui citra pactum matrimoniale genitus erat partus ventrem sequebatur. Ubi autem extra civitates degitur, pactum matrimoniale satis ostendet, utri in prolem imperium competat; nam ut utrerq; parentum æquale simul imperium habeat, fieri non potest. Quo in pacto cum ordinarie maritus velut locatoris, mulier conductricis vicem sustineat, adeóque vir non tam uxori, quam sibi prolem quærere intendat, patet quoq; ordinarie in prolem patri imperium competere. Quod si tamen præter ordinem contingat, ut mulier sibi adsciscat virum, non contra; adeo ut non solum viro in uxorem nullum competat imperium, sed & in pacto matrimoniali uxor locatricis, maritus conductoris loco sit, tunc sane uxori quoq; in liberos imperium competet. Cujus rei exempla dantur in fœminis, ad quas summa imperia devolvuntur. Hæ enim sane maritos sibi adsciscere possunt, & adsciviſſe aliquoties legunrur, ut marito neque in ipsam, neque in sobolem imperium concedant. Huc quoq; referre possis, quod aliqui de Amazonibus tradunt, eas non per vagos concubitus prolem quæsiviſſe, sed certum sibi quamq; maritum habuiſſe

isse in diversa regione habitantem, ad quem certis duntaxat temporibus accesserint, prole quoq; masculâ ipsi remissa. At in civitatibus per viros constituris, uti ordinarie viri sunt capita familiæ; ita privatum in liberos imperium penes patres est, ita ut matrum jussa in se fere consiliorum duntaxat vim habeant, ac vim obligandi ex communicata à patre potestate obtineant. Quod ipsum tamen privatum in liberos imperium, uti plerisq; in civitatibus per leges civiles tantum est parentibus relictum, & relinqui quoq; debuit, quantum ad educationem ipsorum requiritur; ita quæ circa cæteras liberorum, præprimis adultorum actiones & res parentibus sit potestas & quousque, ex iisdem legibus est judicandum.

§. 10. Cæterum est quoque per jus naturæ injunctæ parentibus obligatio, ut non solum prolem intra viscera conceptam per abortus non elidant, nec in lucem editam projiciant, necéntve; sed & (alter ambóve, prout in pacto matrimoniali inter se convenerunt,) alimenta suggerant, quousq; sese ipsa commode possit alere, & pro viribus ad vitam socialem bene colendam educari atque instrui curent. In quo posteriori potissima pars paterni officii vertitur, & unde maxima gratitudinis necessitas liberis incumbit. Quippe cum non tam nudam generationem, quæ molestia caret, aut propria voluptate pensatur, parentes liberis imputare queant, quam laboriosam juxta & fidæ solicitudinis plenum educationem, qua pro cujusq; facultate in membra societati humanæ utilia formantur. Quod officium ut eo curatius observaretur, quippe cum inter præcipua sit socialis vitæ firmamenta, natura tenerum in sobolem adfectum parentibus implantavit, ut nemo istud officium facile negligere velle possit. Quod si qui tamen parentes, non solum lege naturæ violata, sed & communi adfectu superato, prolem alere nolint, & eam projiciant, illi nihil in eandem amplius juris prætendere queunt, nec ab ipsa ullum amplius offi-

cium

cium velut parenti debitum exigere. Is autem, qui expositum educaverit, in parentis jura succedit, cui ab alumno eadem, quæ alias genitoribus, officia debentur: nec ipso invito sub parentum naturalium potestatem redire potest.

§. 11. Ex præcedente bello oritur Societas herilis, scilicet quando ei, quem licite poteram occidere, vitam concedo, & quæ ad eam servandam faciunt suppeditaturum me recipio isthac lege, ut in perpetuum meus sit, &, quicquid operarum ab ipso præstari potest, in meum cedat commodum, utq; imperiis meis, quousq; efficaciter valere queunt, absolute obsequatur. Enimvero quemadmodum bestiæ, quibuscum perpetuum nobis existit bellum, eodem quidem belli jure victæ perpetuam nobis serviunt & absolutam servitutem; quia tamen obligationis non sunt capaces, vinculis tantum corporeis cohiberi possunt, quibus ubi ruptis aufugerint, in naturalem iterum libertatem abeunt: ita quem non nisi vinculis physicis coërceo bello captum, cum eo nullum adhuc contraxisse pactum censeor; adeóq; cum ex bello in pacem non nisi per pacta veniatur, durare adhuc inter nos belli status intelligitur, nec illi ad serviendum obligatio est. Unde talis non modo licite aufugere, sed etiam ubi facultas fuerit, captorem tanquam hostem tractare potest. Adeóq; non simpliciter ex vitæ condonatione oritur obligatio serviendi, sed ex eo, quod ipsi non vincto aut in ergastula compacto fides habeatur.

§. 12. Porro cum absoluta potestas domino in servum sit quæsita, ac servi persona propria domini facta fuerit, adparet quoq; absolutum eidem jus competere in omnes res servi, non solum, quas deinceps adquisiverit, sed & quas ante servitutem habuit, siquidem eas dominus simul cum ipso ceperit. Nam quæ cum domino in captoris manus non inciderunt, in eum veniunt statum, quo mortuo capto erant perventuræ, nisi leges civiles aliter disposuerint, ut postliminio locus esse possit. Quod

si

si quid dominus servo concedit peculii, in id hactenus proprietatem obtinere censetur, ut istud retinere & defendere possit contra alium quemvis non-dominum. Ast ubi contigerit ut dominus sub alterius potestatem tanquam subditus concedat, manifestum est, in servos quoque ipsius dominium saltem eminens in eundem transire, ita ut dominus velut intermedius non plus potestatis in servum queat exercere, quam quantum supremo domino visum fuerit. Unde si quibus in civitatibus jus dominorum in servos absolutum fuerit, non id demum per leges civiles illis datum fuit, sed quod patresfamilias extra civitates antea habuerant, id ipsis relictum.

§. 13. Dissolvitur autem ista societas, quando jus domini in servum extinguitur. Quod fit, 1. Si libertate eum dominus donarit. 2. Quando abs se abegerit. Id quod à manumissione differt non quoad effectum, sed quoad modum. Libertas enim heic velut in pœnam datur, eo quod, cum tam improbi hominis molesta sit possessio, judicetur longe damnosius ipsi fore, si sui juris fiat, quam si domino serviat. 3. Si captus fuerit servus, veterem servitutem nova abolet. 4. Si dominus moriatur, nec jus suum ad alium transtulerit, servus liber esse intelligitur, quia nulla ipsi adversus quemvis ad serviendum obligatio superest. An vero in civitate quoq; pro libero cive sese gerere possit, ex legibus civilibus erit judicandum. Porro contingit istud, si domino nullus hæres extiterit, naturaliter aut civiliter mortuo. Non enim, quemadmodum bona pro derelicto habita cedunt occupanti; ita ejusmodi quoq; servus quasi pro derelicto habitus ab quovis in servitutem potest abstrahi. Nam cæteræ res sive sint inanimatæ, sive animatæ, ut bruta, nullo muniuntur jure, quo minus abs quovis possint sibi vindicari, nisi jam alteri in ea jus fuerit quæsitum. In hominem autem nullam sibi jus adserere quis potest, nisi quantum ex ipsius consensu aut antegresso facto, istum spectante, oriatur. Extincto itaque

itaque illo jure, quod victor ex bello peculiariter in servum quæsierat, redit naturalis libertas, etiamsi fors ingenio ipsius servitium magis congruat. Inclinatio enim ingenii in se, uti quidam absurde putant, nemini jus dat invitum in servitutem rapiendi, nec quod alteri fors utile est, id statim mihi licet per vim illi imponere. 5. Ubi servus non ex præcedente delicto, neqs per modum pœnæ in vincula conjicitur, aut quovis modo libertate physica corporis privatur, obligatione illa ex pacto nata liberatur, qua ipsum dominus adstringere amplius noluit dum physica ipsi vincula injicit; adeóqs hoc ejusmodi servo licebit, quod captivis vinctis, & qui fidem nunquam dederunt, licere diximus.

§. 14. Enimvero per neutram harum societatum in se secura & stabilis hominibus pax obtingere poterat; eo quod multiplicatis hominibus in maximum excrescebant familiæ numerum, quæ neqs propter exiguas vires sibi contra quamvis violentiam defendendis sufficturæ, & quo plures, frequentius bellis inter se erant collidendæ. Equidem si quæ familia multiplicatione sobolis & servorum adquisitione ita numerosa extiterit, ut sine belli incerta alea subjugari nequeat, eandem quæ alias civitates solent, securitatem membris suis præstare poterit. Enimvero nisi vivus adhuc paterfamilias partium familiæ saltem præcipuorum consensu ita eam velut colligaverit, ut deinceps quoqs una manere debeat; ipso defuncto in totidem illa familias sese disjunget, quot filii ad hæreditatem concurrerint, adeóqs divisæ vires debiles reddentur. Nam prærogativa primogenituræ non est tanti, ut ex eodem parente nati omnes sub primogeniti imperio esse debeant, nisi ipsi in eam subjectionem vel per dispositionem paternam, vel propria conventione se submiserint. Quæ conventio eo magis est necessaria, quo longius à stipite communi membra familiæ discesserint.

§. 15. Ut igitur securitati hominum plene, quantum

quidem rerum humanarum conditio fert, prospiceretur, & quæ prohiberi non poterat, ne omnino alter injuste ab altero læderetur, id tamen efficeretur, ne impune posset; complures tandem familias conjungi necessum fuit. Quæ ubi pactum invicem circa procurandam salutem communem iniverint, & illi, cui ista administranda ab ipsis committitur jus imperandi ea, quæ ad hunc finem facere videbuntur, contulerint, contracta simul obligatione jussa ejus capessendi, Civitas existit.

§. 16. Ex Civitatis porro fine facile est colligere, quale & quantum esse debeat imperium, quo ista continetur. Huic enim cum, uti supra dictum, non sufficiat, ut quilibet eorum, qui in civitatem sunt coaliturí, fidem det, se adversus cives suos leges naturæ observaturum; necessum est, ut, cui summa civitatis administranda committitur, facultatem habeat malo aliquo seu pœna afficiendi illum, qui facere detrectaverit, quod ille tanquam publice expediens observandum præceperit. Tunc demum enim non habeo probabilem à concivibus metuendi causam, quando illum, qui me injuria est affecturus, æquale aut gravius malum manet. At cum frustra pacem inter se colant, qui contra externos sese tueri nequeunt; neq; contra externos tueri se queant, quorum vires non sunt unitæ; inde in civitate necessario penes aliquem esse debet potestas tot uniendi & armandi cives in quovis periculo vel occasione, quot pro viribus hostium ad communem defensionem opus esse videbitur; rursúsq; cum hostibus pacem faciendi, quoties ex usu fuerit. Hæc penes eundem quoq; erit, cui pœnas exigendi potestas; cum nemo ad arma & belli sumptus cives jure possit cogere, nisi qui punire etiam detrectantes queat. Nec minus idem habebit dijudicationem de factis eorum, de quibus, an pœnas dare debeant, ambigitur. Si enim potestas judicandi penes unum esset, & potestas judicatum exsequendi penes alium, nihil ageretur. Frustra enim judicaret, qui sententias

tentias latas exsequi non posset; aut si exsequeretur ipse ex jure alterius, non ipse haberet potestatem puniendi, sed alter, cujus iste minister tantum foret. Cum etiam per unum hominem aut concilium immediate omnia negotia nequeant obiri, eidem quoq; facultas erit, certis hominibus delegandi certorum negotiorum curam & exsecutionem, qui tamen omnem suam autoritatem ab ipso mutuentur. Deniq; cú mutua inter cives officia recte exhiberi aut exigi nequeant, nisi quousq; singula debeãtur definitum sit, ejusdem summæ potestatis erit, certas regulas, quas leges civiles dicunt, promulgare, quibus declaretur, quid juris uni civium adversus alterum sit, aut quæ obligatio; quid præstare invicem debeant; aut quid quave ratione ab aliis exigere possint, verbo, quid per imperium civile necessario ipsis invicem faciendum aut omittendum.

§. 17. Cæterum quemadmodum qui imperium in se alteri confert, simul obligationem contrahit non resistendi illius jussis; quippe cum implicet, alicui esse jus imperandi, ut tamen alteri resistendi potestas maneat: ita quousq; sese hæc non resistendi obligatio extendat, dispiciendum. Ubi illud certum, cum omnis potestas intelligatur alicui delata salvo jure ac potestate superioris, cives quoq; constituta aut agnita civili potestate imperio Dei in se renunciare neq; potuisse, neq; renunciasse censeri; adeóq; debere detrectare & non implere jussa summæ potestatis, quæ aperte mandato D. i. repugnare constat. Quod si autem ideo summa potestas vitæ meæ vim inferre aggrediatur, an ea de causa vim ipsi recte opponere queam, difficilis quæstio oritur. Ubi discrimen faciendum arbitramur inter ea, quæ proprie ex religione Christiana, qua tali, præcipiuntur, & quæ ex religione naturali, cujus praxis magna ex parte in exercitio juris naturæ consistit, fluunt. Quid liceat, ubi vis intentatur, circa prius, nostrum non est definire; cum ex iisdem scripturis, unde ista religio hauritur, cui-

libet constare possit, quanti debeat ipsi esse, suæ religioni nihil contrarium egisse aut præse tulisse. Ut autem summa potestas civilis jubeat profiteri aliquid contrarium capitibus theoreticis naturæ, casum non putamus dari; præsertim cum ista religione populus quam maxime ad obsequium adversus imperium civile adstringatur. Quod vinculum ab ipso, cujus id valere plurimum interest, convelli furiosum esset. At ut etiam contra praxin religionis naturalis, quæ fere in observatione juris naturæ, per intentatam ab imperio civili mortem quis peccet, vix fieri posse arbitramur. Ubi enim vis vitæ nostræ admovetur, ut faciamus quid alias per legem naturæ interdictum, mera duntaxat executio actus illius nostra erit, cujus reatus non nobis, sed ipsi summæ potestati imputari potest; adeóq; non penes nos, sed penes illam solam hoc casu peccatum erit; unde cur resistamus causa nulla videtur. Quod si tamen exsecutio actus ejusmodi sit, ut vel omnino citra proprium peccatum suscipi nequeat, vel in se ipsa morte acerbior judicetur, ubi nulla ostenditur aut saltem probabiliter simulatur ratio neq; ex meo delicto, neq; ex bono publico, quare mihi potissimum tanta necessitas istud exsequendi admoveatur, quod per alium fieri poterat, vel omnino fieri absurdum est; adparet sane id agi, ut ego innocens nullo juris aut boni publici prætextu per solam imperantis libidinem & hostilem ejus in me animum perdar. Qualis adversum me ubi imperans deprehenditur, non utiq; amplius pro subdito me, sed pro hoste habet, adeóq; ipse obligationem, qua imperio ejus devinctius tenebar, mihi remisisse intelligitur. Hoc casu, cum ego ex subdito in liberum hostem transeam, nullum sane in ipso imperante jus remanet, quo minus mihi adversus ipsum mei defendendi causa omnia in hostem usurpari solita media adhibere liceat, præsertim ubi fugæ copia deficit; nisi quatenus civibus meis aliquid dandum est, ne hoc modo magnis turbis involvantur. Idem judican-

dum

dum arbitramur, ſi imperans extra dictum caſum citra noſtrum delictum, innocentes nos perditum eat. Ubi licet optimum ſit, fuga aut per latebras ſibi ſalutem quærere in civium noſtrorum gratiam; tamen ubi fugæ aut latebrarum copia non ſit, vim defendendæ ſaluti adhibere licebit contra eum, qui pro ſubditis non amplius nos habet. Quo caſu etiam tertius, cui adverſus iſtum nulla obligatio eſt, noſtri defenſionem recte ſuſcipere poteſt. At vero quando ob delictum aliquod imperans pœna plectere nos inſtituit, etſi non teneamur ſponte pœnam nobis arceſſere, ſed per fugam aut latebras eandem declinare; tamen quo minus per vim nos hoc defendere queamus, ratio eſt, quia jure ſuo imperans utitur, quem ea de cauſa quocunq; reſpectu lædere ſane injuriam foret.

§. 18. Ejuſmodi autem imperium ſummum uti in qualibet civitate deprehenditur, & in quo illud non eſt cœtu, is pro civitate non eſt cenſendus: ita ex ſeſe patet illud in terris neminem habere cui ſit obnoxium, aut qui per poteſtatem legitimam illud in ordinem redigere poſſit. Non in ipſa civitate; id enim implicat; nec extra eandem; quia ob naturalem hominum æqualitatem nemo in alterum jus aliquod imperii poteſt prætendere, niſi illud antegreſſo aliquo actu aut conſenſu ipſius quæſiverit, qualem hoc non interceſſiſſe ſupponimus. Ex quo conſequitur, id quoq; eſſe abſolutum, i.e. quod actus illos, quos ſini ſuo expedire judicaverit, pro arbitrio exercere poſſit, ita ut neq; poteſtatem exercendi eos ab altero mutuari velut cogatur, nec eorundem reſciſſionem ab altero factam admittere. Multo minus autem, qui iſto imperio gaudet in foro civili conveniri, aut pœna plecti ob aliquod ſuum factum poteſt. Nam neque judicari neq; puniri poſſumus, niſi ab eo, qui imperium in nos habet. Quæ enim ab illis, qui extra civitatem æquales nobis ſunt, mala ob injuriam ipſis factam inferuntur, proprie pœnæ rationem non habent, cum

ex jure belli procedant, quod inter illos versatur, quos tribunalium humanorum vis non stringit. Inde quoque non difficulter colligitur, quatenus legibus obligetur, qui suprema in terris potestate gaudet. Legibus enim naturalibus, & divinis positivis, qua talibus, omnes quæ homines obligari indubium, de quibus violatis Principi æque ac privato coram divino tribunali actio intendetur. At quando quæritur, quidnam efficaciæ insit obligationibus, quæ adversus alios homines ipsi contrahuntur, tunc discrimen deprehenditur inter ea, quæ debentur exteris, & ea, quæ subditis. Nam exteris quidem nihil summa illa potestas obstat, quo minus adversus ipsum ex ejusdem obligatione perfectum jus adquirant, cujus vi, cum commune inter homines tribunal deficiat, per arma detrectantem ad debitum suum explendum adigere queant. At quamcunq; erga subditos suos contraxerit obligationem, modo jus summi imperii illibatum servaverit, imperfecta duntaxat erit, i.e. ille violatis in foro quidem divino reus erit; subditi autem neq; in foro humano actionem ipsi intendere poterunt, quippe quod nullum heic est; neq; vim eidem adhibere, propter illud ipsum imperium in se constitutum, quod in irritum cadit, quando tam subditis imperanti, quam huic illis vim intentare ob legem naturæ violatam conceditur. Ubi tamen meliori longe conditione Monarchæ deprehenduntur quam aut Optimates aut singuli de populo libero. Heic enim cum summa potestas in universo concilio, qua tali, hæreat, si qui singuli de eo quid deliquerint, sane à cæteris, quorum major pars vim universorum habet, ob quamcunque obligationem violatam in foro civili juxta leges civitatis judicari ac plecti poterunt; id quod in Monarchis locum non habet.

§. 19. Summa isthæc potestas, quam diximus, uti in quolibet cœtu alteri non subjecto qui quidem unum corpus morale constituat, est tanquam in subjecto communi;

muni; ita prout peculiares Reip. formæ variant, modo in una persona hæret, modo in paucis quibusdam, modo in universo populo. Ac in democratiis quidem summam potestatem eo quem descripsimus modo in universo esse populo, ita ut ejus actus à nemine alio possint irriti reddi, nec ipse in ordinem redigi aut plecti, nemo in dubium facile vocaverit. Nam quando comitia seu conventus populi in confusam turbam seditiosorum hominum degeneraverint, jure suo major pars populi istos turbatores coercere atq; punire potest; eo quod in ejusmodi Reip. forma major pars obtineat vim totius, nec pauciores isti seditiosi jus aliquod peculiare habeant præ bonis iisq; pluribus civibus Remp. curandi. Talis potestas quod in paucis adeóq; in uno quoq; tanquam in subjecto proximo illimitata esse possit, non minus certum est. Nam nihil sane repugnat, quo minus & victus bello populus evitando excidio victori ita se subdere possit, ut nihil prorsus sibi potestatis circa imperium relinquat; & liber alias populus, nec tali necessitate pressus imperio se suo prorsus abdicare, & in alterum id conferre queat, ut circa idem nihil sibi juris reservet. Etsi enim per jus naturæ necessarium videatur, ut quis non solum peculiariter suæ sibi salutis curam agat, sed etiam in societate degens, adeóq; suæ salutis rationes cum aliis implicitas habens, communi consilio eandem defendendam curet: tamen posterius naturaliter nemini ita est injunctum, quin, si commodius videatur, id jus eamq; curam in alium absolute & irrevocabiliter possit transferibere; saltem si probabile sit, alterum provinciam istam recte gesturum, quæ præsumptio omnibus communiter adest, qui munus istud in se suscipiunt. Atq; istud non solum licitum sit, sed etiam necessarium, quod, uti supra dictum, communis illa salus non nisi uno consilio recte administrari possit. Cæterum tali potestate summa gaudere intelligitur, cuicunq; populus ita imperium in se contulit, ut sibi non reservarit jus conventus

agendi per se aut deputatos suos, cum potestate inquirendi in acta imperantis, eaq; irrita faciendi, ac ipsum met in ordinem redigendi: aut ubi non ab initio consensum expressum populi circà actus imperii exercendos tenetur requirere Princeps, absq; isto irritos futuros. Ubi tamen non est putandum, si principes quidam nolunt acta sua valere, nisi à certo aliquo consilio ab ipsis constituto probentur, istud statim majorem Principe potestatem habere. Nam si quæ acta heic rescindantur, intelligi debent rescindi ipsius Principis voluntate, qui hoc modo cavere sibi voluit, tum ne quid parum considerate statueret, tum ut eo commodius amoliatur importunas hominum solicitationes quibus ali quid annuit, quod ab isto consilio improbatum iri novit. Quemadmodum & Ordines in puro regno summæ potestati Principis nihil detrahunt, quippe qui consiliariorum duntaxat autoritatem habent, ut eo melius necessitates populi innotescant. Quod si quæ ex ista absoluta potestate penes unum hærente incommoda videantur sequi, ea neq; faciunt, ut tali modo constitui quis non potuerit; nec sane graviora erunt, quam quæ alias Rerump. formas comitantur; cum ubiq; singulis sub absoluta potestate sit vivendum, qua non Monarchæ duntaxat, sed & Optimates atq universus populus abuti aliquando potest.

§. 20. Inde oppido quam periculosum errant errorem, qui ex proprio in Monarchas odio, aut ex certo scriptorum genere hausto, contendunt, necessario & semper summam potestatem penes populum, quatenus suo capiti contradistinguitur, esse, adeo ut ille de Regum factis cognoscere, ac pœna eosdem afficere possit ac debeat. Nec saniores illi, qui mutuam quandam subjectionem fingunt, ita ut Principes quidem nulli subsint, quamdiu secundum leges, & civiliter imperant; abutentes autem potestate, coercitioni populi subjiciantur; eóq; prius ab officio deponendos, quam in eos exse-

exsecutio fiat. Quid enim? si Rex adseveret, ac fors vere, se potestate sua recte usum, populus id neget, quis arbiter erit? Cum præsertim tanta plerunq; actuum civilium sit obscuritas, ut plebs eorum æquitatem aut necessitatem agnoscere raro queat, aut per turbida affectum sæpe non velit; ac Reip. utplurimum expediat, ne rationes consiliorum pluribus pateant. Ejusmodi confusio uti finem imperiorum prorsus subvertit; ita nullus populus citra exceptionem alicui imperium tradens, eam voluisse introducere præsumitur. Nam qui omnino in acta Principum inquirere voluit populus, is expresse sibi reservavit potestatem proprio jure conventus super ea re agitandi, ac certas præscripsit formulas, ad quas illa forent exigenda. Atqui talis ubi Princeps est, is summum imperium haudquaquam habet & Magistratus proprie dicti vicem duntaxat gerit, quocunque fulgeat titulo; quemadmodum & ille, qui circa negotia publica, aut saltem graviora, nihil decernere potest, nisi cum consensu expresso populi, aut ejus deputatorum seu statuum, suo jure, non precario, in consilio sedentium.

§. 21. Nec magis admitti possunt, qui dicunt, Regem ubi in tyrannum degeneraverit, posse à populo imperio exui & puniri. Nam eadem, quæ antea difficultas redibit, quænam actiones faciant, ut aliquis recte vocetur tyrannus. Cujus vocabuli invidiam, à Græculorum vanitate ortam, Principi adplicabit, quemcunq; ipsius aut præsentium rerum odia ceperint. Nec hactenus à quopiam liquido definitum est, quinam actus aliquem tyrannum redderent, à propriis subditis in ordinem redigendum. Privata enim vitia tyrannum non facere, nec paulo negligentiorem Reip. administrationem, communis sententia est. Tributa graviora imperantur? Atqui subditus ad consilia non admissus judicare nequit, an necessitas Reip. ea flagiter. Supplicia aspera sumuntur? Atqui si secundum leges aut ex præcedente delicto fiant, nemo jure queri potest, etiamsi fors clementia rectius ad-

adhiberetur. Quod invidioſiſſimum vulgo habetur, quidam magni viri, aut alii ob privata odia innocenter è medio tolluntur? Atqui ſi vel delicta vel machinationes in Remp. aut ſtatum Principis prætexuntur, vel ordinaria judiciorum forma obſervatur, etſi fors iſti, qui tolluntur de ſua innocentia, & pauci præterea alii, certi ſint; aliis tamen id liquido conſtare qui poteſt? cum præſertim præſumptio juſtitiæ ſemper à Principis partibus ſtet. Promiſſa non ſervantur, aut privilegia antehac conceſſa (quibus pars aliqua ſummi imperii non condonatur,) violantur? Atqui ſi Princeps vel delictum, vel neceſſitatem aut inſignem Reip. uſum prætendat, jure egiſſe cenſebitur; de quo ipſo ſubditis liquido judicandi facultas deerit. Ex his cætera quoque incommoda hujus ſententiæ judicari facile poſſunt.

§. 22. Ne quis tamen credat, nos infinitam Principibus licentiam dare, ac ſubditos velut pecora ipſorum libidini addicere, erepta omni facultate repugnandi, omnino arbitramur, ſiquidem Princeps etiam abſolutus hoſtilem prorſus animum erga ſubditos induat, & aperte ipſorum perniciem quærat, abſq; prætextu cauſæ ſaltem ſpeciem juſtitiæ habentis, recte poſſe ſubditos media adverſus hoſtem uſurpari ſolita, in hunc quoq; ſalutis ſuæ defendendæ gratia expedire. Idq; quia ipſe hoc caſu obligationem, qua ſibi erant devincti, remiſiſſe cenſetur, cum implicet, aliquem velle ſimul Principem eſſe, & hoſtem adverſus omnes ſubditos agere. Talem tamen animum erga populum univerſum induere Principem fieri vix poteſt; niſi ſi quis forte pluribus imperet, ut uno extincto vel oppreſſo, lautiores alteri conditiones conciliet. At ut talis ſit erga ſingulos aut paucos quoſdam facilius contingere poteſt. Hos cum itidem ex ſubditorum numero ejiciat, defenſionem alias in hoſtem licitam adhibere iiſdem fas erit, obſervatis tamen, quæ ſupra circa hunc caſum monuimus. Cæteris tamen ſubditis ideo obſequium exuere, aut innocentem vi defendere

dere non licebit, sive prætextum aliquem adhibeat Princeps sive non. Præterquam enim quod ipsis in Principis facta, quæ velut ex potestate judiciaria exercet, inquirere non licet, ac sæpe contingat, reum aliquem falso jactare innocentiam invidiæ Principi conflandæ, facta concivi injuria nequaquam cæteri obligatione sua erga Principem solvuntur; eo quod quisq; subditorum pro sua persona curam sibi & protectionem ejusdem stipulatur, nec pro conditione supponit, si omnes quoq; & singulos cives tanquam subditos tractaturus sit. Nec metus, ne similiter secum agatur, sufficit obligationi abrumpendæ, quippe qui incertus est, cum peculiares in isto odii causæ esse potuerint, quæ in me non deprehenduntur. Stante autem adhuc obligatione subditi erga Principem, neq; in acta hujus inquirere, neq; ulla de causa ullóve prætextu vim eidem opponere licebit.

§. 23. His ita distincte propositis, facile erit respondere ad argumenta, quæ communiter contra absolutam Principum potestatem objiciuntur. Pleraque sponte sua ruunt, si observetur, haudquaquam eadem esse: populus habet potestatem Reges etiam absolutos in ordinem redigendi, siquidem ad libidinem ipsorum non imperaverint: & populo competit jus in casu extremæ necessitatis, quando nempe Princeps in hostem abiit, suam salutem adversus ipsum defendendi. Nam quæ posterius probant rationes, haudquaquam prius similiter inferunt; quæ tamen à multis confunduntur. Sic quando dicitur, populum, etsi se in servitutem addixerit, non tamen amisisse omne jus in libertatem aut securitatem sese vindicandi; siquidem intelligatur de tali jure, quo quis contra extremam vim injustam saluti suæ prospicere potest, quod ubi bene successerit, libertas quoq; sequitur, (nam adversus dominum, postquam semel in hostem abiit, i.e. obligatione me mea ipse solvit, nullum mihi amplius vinculum, etsi post fortasse animum mutare velit,) habentes concedimus. Extra hunc casum populo, qui se in ser-

ſervitutem addixit, non magis jus in libertatem ſeſe vindicandi competit, quam mihi rem, quam alteri jam ex pacto tradidi, per vim iterum eripiendi. Nec enim adeo abhorret à natura iſta civilis ſervitus, quod quidam ſomniant, ut etiamſi quis aliquando, evitando majori malo in eam conſentire neceſſum habuerit, poſt per occaſionem, ipſa natura jus dante eam excutere iterum queat. Et licet ea repugnet ingenio certi alicujus populi vel ab initio vel poſt mutatis animis; nequaquam tamen Principi hanc ſolam ob cauſam jus quæſitum eripere licebit; non magis quam emptori rem pacto partam, etſi poſt venditor contractum ex re ſua non fuiſſe deprehenderit. Inter privatum porro dominum & Principem magna eſt diverſitas. Ille enim rebus ſuis abutens recte à Magiſtratu coërcetur, quia huic jus eminens in eadem bona competit. At vero quis dixerit, in bona Principum, quæ inter etiam jus imperii, populo poteſtatem eſſe eminentem? Quæ enim adferuntur dicta bonorum Principum, puta Trajani, Antonini, &c. Remp. eſſe populi non ſuam, nihil aliud populari dictionis formula indicant, quam imperium non tam imperantium ſolorum bono, quam ſubditorum eſſe gerendum. Ex quo non magis inferre licet, populo jus in Principes competere, quam liberis in parentes aut eorum bona, quia & horum poteſtas liberorum gratia & bono communiter eſſe dicitur. Id vero libenter concedimus, populum cum ipſe jus non habeat ſeipſum extinguendi, aut in corpus ſuum injuſte ſæviendi, Regi quoq; non potuiſſe tale jus dare. Nam tale jus nemo ſanæ mentis Rex ſibi unquam vindicare voluit. Enimvero quemadmodum populus jus habuit Remp. ex arbitrio plurium abſolute adminiſtrandi, etiamſi fors id paucis quibuſdam diſplicuerit: ita quin idem jus in Regem conferre valuerit, ut quod plures ante poterant, id ſolus deinceps Rex poſſet, dubium non eſt. Bene autem ſequitur: qui rationibus reddendis obnoxius non eſt, eum ab hominibus non poſſe puniri.

Certe

Certe enim Principes absoluti neq; ob Remp. non ad placitum populi gestam, (id enim implicat) possunt puniri, nec ob privata delicta, quod apud omnes in confesso. At postquam personam hostium induerunt, quæ ipsis fors inferuntur ex jure belli mala, pœnæ proprie dictæ rationem non habent. Consules Romanos aut quoscunq; Magistratus (proprie sumpto vocabulo) huic adducere incongruum, qui longe ignobiliori modo supra populum fuere, quam Principes absoluti. Unde quid mirum, ipsorum imperium valde fuisse restrictum, cum revera populus superiorem ipsis potestatem haberet. Illud vero oppido quam periculosum est dictu, populum Regi fidem dedisse, quamdiu is boni Principis officio fungitur, tamdiu sese parituros: manifestum tyrannum, in quo intelligendo nemo fallatur, quidquid inter se & populum in constitutione imperii factum est, ipsum irritum reddere & sic parendi obligatione populum solvere. Nam uti posterius concedimus, si per tyrannum is intelligatur, qui destinato consilio & hostili animo perniciem populi molitur: ita obligatio subditorum à bonitate Principis, modo hostilem animum non induat, haudquaquam suspenditur; nisi velimus populo potestatem dare, quandocunq; lubitum fuerit, Principes dejiciendi. Nam bonus videri statim definit, cujus imperium quacunq; de causa displicet. Nec adhuc definitum est, quibus actibus aliquis boni Principis nomen amittat; & an malum Principem unus aut pauci actus, an plures mali quam boni, an mali sine intermistione bonorum constituant. De quibus qui plebi querulæ facultatem judicandi velit tribuere egregie scilicet de generis humani tranquillitate merebitur. Itaque, quando per expressam conventionem inter populum & Principem formula non fuerit constituta, ad quam hujus bonitas sit exigenda, reservata quoq; isti potestate acta hujus examinandi, ipsúmq; in ordinem redigendi; bonus an malus sit, modo non hostis, populi, quantum ad obliga-

ligationem parendi, nihil interierit. Nec ad rem facit quod de uxore adfertur, super quam licet vir sit constitutus, illa tamen haudquaquam denegationem debiti conjugalis, violationem pacti matrimonialis, adulteria & alias graves injurias tolerare teneatur, sed divortio sibi consulere possit. Nam siquidem conjuges in civitate ut subditi degant, superiorem sane habent, qui controversias ipsorum ex jure civili decidat. Ast ubi extra civitatem degitur, aut conjuges legibus civilibus sint superiores, videndum, quid hi in se sint pacti. Nam si imperio mariti sese uxor subdidit, ab eo discedere non potest, nisi is hostem induerit. At si præter pactum matrimoniale nihil ipsis invicem negotii intercesserit, tanquam inter æquales pacto quoq; alter non amplius tenebitur, si unus prior eo non stetit. Atqui posteriori modo subditi nequaquam cum Principe absoluto paciscuntur. Deniq; frustra adferuntur exempla è sacris scripturis petita, ubi Israelitæ jugum Moabitarum, Ammonitarum, Palæstinorúmque excussisse leguntur, postquam DEO (at pœnarum ob idololatriam visi sunt dedisse. Nam vel in statu belli adhuc fuerunt, nec per pactum istis populis aut eorum Regibus se subjecerunt; vel expressum DEI mandatum super ea re acceperunt, quod præter istos, quibus id peculiariter datum, nemo pro se allegare poterit.

FINIS.

A. T. G.

INDEX RERUM

In Elementis Jurisprudentiæ Universalis SAMUELIS PUFENDORFII contentarum.

A

ABrogatio legum civilium cur quocumq; tempore ſuſcipi poſſit à civitate? 103

Abſentis negotia gerere quale pactum? 110

Acceptilatio quid & quotuplex? 149

Acquirendi modi quotuplices? 43

Actio aliorum mea directioni ſubjectorum eſt actio mea 3. 133. 251

Actio alterius ut pro mea haberi poſſit, quid requiratur? 3

Actio bona 151. 199

Actio bona eſſe nequit quoad ſubſtantiam operis, niſi & ipſe finis ſit legitimus 201

Actio civis adverſus civem alterius civitatis ubi inſtituenda? 163

Actio humana moralis quid? 1

Actio humana quotuplex? 4. 5. 199. 244

Actionis humanæ affectiones 197. *effectus.* 230. *objectum* 7. *principia* 76

Actiones malæ ſemper imputari poſſunt ab iis, quorum intereſt eaſdem fieri vel non fieri 247

Actio quando principi in foro humano poſſit intendi? 86

Actioni quo ſenſu ineſſe dicatur moralitas? 6

Actio

Actio voluntaria quid ? 1
Adami dominium in res quale ? 41
Adactus ab altero ad implendum pactum illicitum, in quod prius consensit, cur non patiatur injuriam ? 132
Admissa contra juramentum ex quo dijudicandum licita sint an irrita ? 140
Adulterio alterius uxor non est polluenda 308
Adventitia obligatio quid ? 82
Ædes vicini quando dejicere liceat ? 289
Æqualitas comparata cur in justitia distributiva observanda ? 136
Æqualitas simplex cur in onerosis contractibus attendenda ? 160
Æqualitas quænam in pœnis infligendis adhibenda ? 240
Æqualitas summa quo sensu inter homines ? 305
Æqualitas summa inter homines quomodo lædatur ? 307
Æquitas quid ? 189
Æquitas in quo à dispensatione differat 190
Aer an sit nullius 58
Æs alienum, quod civitas multis retro seculis contraxit, cur civis pro rata solvere teneatur ? 124
Ætas quid ejusq; gradus. 18
Ætas puerilis an proprietatem tollat ? 56
Affectus cur componendi 289
Affirmativis præceptis quando quis obligetur ? 193
Affirmativa præcepta cur cedant negativis 225
Agentis potestas ubi maxime attendatur 195
Aliena quando contractus objectum 133
Alienum quid sit, an penes Leges civiles sit definire. 172
Alteri qui se obligat, ad quæ potestatem dare intelligatur 126
Alterius post mortem valitura obligatio an mihi possit injungi 127
Alterum an possim actu meo obligare tertio 122

Ambi-

Ambiguo sermone quando & quomodo alterum illudere liceat? 319
Ambiguus verborum sensus quomodo eruendus? 321
Amentes cur obligationem non possint sibi accersere? 103
Amentes quando manus violentas sibi inferunt, cur à crimine autocherias excusentur 293
Amentes an commentis demulcendi? 320
Amicitiæ fœdera quid? 154
Amicorum conditio cur nos fortius moveat quam propria? 274
Amissa improviso casu & ab alio inventa pérq; tempus retenta an mea maneant? 44
Amor hominum cur in hunc potius feratur quam in alterum? 277
Amor proprius an sit sufficiens principium, ex quo omnes Leges naturæ deducendæ? 284
Amor proprius erga seipsum qualis quantúsq; sit? 273
Animal sociale homo 274
Animal liberum dimittens homo aut in potestatem non redigens an in legem naturæ peccet? 36
Animantium cædes cur improbaverint antiqui Philosophi? 37
Animi actus an sint Legum civilium objectum? 187
Animi puritas an habeat se ad corporis puritatem instar gradus? 216
Animæ vegetativæ vires in homine an voluntatis imperio subjaceant 268
Antecessoris fœderibus quibus princeps teneatur? 135
Appetitus sensitivus an voluntati pareat 269
Appetitus sensitivus in qua fertur an lex naturæ præcipiat 290
Apprehensio rei possidendæ quomodo efficax? 34
Aptitudo quid? 62
Aqua profluens quando concedenda 305
Arbiter quid & quomodo se gerere debeat 314. 314. 315. 316

Arbitrio laesorum an poena sumptio relinquenda in civitate 235
Arbitrium nostrum in quas res se extendat 25
Arbitrium liberum 269
Arma in quem recte stringi possint? 315
Areae globi terrestris qualem figuram habeant? 59
Aristocratia quid? 22
Articulatus sonus quid & cur hominibus concessus? 274. 317
Artifices in justo bello non interficiendi 301
Artificiales fructus qui 48
Assertio nuda quid? 89
Asseveratio quantum differat à juramento. 138
Atheismus ne invalescat, quantopere rerum humanarum intersit 101
Antocheria cur prohibita 290
Autoritas quid 71
Auxilii foedera quid 254
Axiomata quid? 244

B

Belli civilis tempore num una pars civium obligationi ab altera contracta teneatur? 124
Belli finiendi causa inita pacta cur sint servanda? 108
Belli jura quid? 191
Bellum inter animantes intercedere & ipsos homines ex quo pateat? 37
Bellum quid, quotuplex & quando incipiendum? 13. 294. 297. 305
Bellum cur quantum fieri potest, componendum? 303
Beneficentia quando cedat gratitudini? 225
Beneficia quomodo reddenda? 316
Beneficium ab hoste datum majus est eo, quod ab amico proficiscitur 223
Bestiae cicures ex quo usibus hominum se praebeant? 38

Bona

Res publica quid?
Rectitudo moralis quid & in quo consistat. 199. 200. 216.
Regnum summum quid? 77.
Bonum vir quid? 114. *in quo ejus laus consistat?* 78
Brutis non morales actiones cur hominibus salus sint? 6
Brutis cur homo non possit obligari 112.
Brutis cur homo nullam injuriam faciat, sed ex suo arbitrio tractet 279

C

Cælibatus quando pro matrimonio eligendus? 298
Cælibes non insalubres aliorum thalamis 308
Cainbium quid? 162
Captus bello ex quo victori servire teneatur? 335
Carnifex qualis per sese moralis? 19
Carnificum quæstionibus quinam subjiciendi? 230
Castra hostium aut subditi præmiorum spe corrupti transire possint? 299
Causa moralis quid? 3
Cautio de securitate quousque jure naturæ requiratur à lædente? 234
Cautio de securitate quousque in civitate commodissima? 235
Cautio realis in bello quando ab altero per vim extorquenda? 296
Civile bellum quid? 13
Civis quid? 17
Civis obligatio erga civitatem 86
Civis cur ea, quæ ipsi jure naturæ debentur, non possit per media jure naturæ concessa sibi recuperare 96. sique repetat, quale crimen committat? 50
Civis quando de Magistratus delicto participet? 118
Cives qualiter delinquentes cur æqualiter puniendi? 241
Civitas quid? 325
Civitatis cui bono instituta? 234

INDEX.

Civitas an peccet, quæ exteros pro hostibus habet? 69
Civitatis jus quid & quale? 67
Civitatis obligatio cum cive 85
Clavitas quid? 71
Clementia cur in bello adhibenda? 302
Coactæ actiones non possunt imputari 248
Coactio quanam in se Legibus? 178
Coactum quid & quotuplex? 267
Cogere quo sensu dicantur Legislatores 179
Cogitationes an sint objectum legum civilium? 187
Collybus quid? 161
Commercia quomodo in Oceano libera? 33
Commerciorum libertas utrum sit ex jure naturæ ut ne? 12
Commodatio quid? 257
Communio quotupliciter circa aliorum facta nobis intercedere possit? 251
Communionem omnium bonorum an jus naturæ distinxerit? 39
Communionis à proprietate differentia 26
Condonatione an tollatur obligatio? 149
Confirmationes pactorum 135
Conjuges quando circa numerum procreandorum liberorum legi naturæ satisfecerint? 292
Conjux meæ cur alteri corporis sui copiam facere nequeat? 308
Connubia in linea adscendente & descendente cur jure naturæ prohibita? 330
Conscientia quid & quotuplex? 260
Consensus quid? 266
Consensus cur in contractibus necessarius? 103
Consensu meo quæsitum in me alterius imperium an possim iterum excutere? 256
Consensus parentum an requiratur ad matrimonii essentiam? 328
Consentiens in pactum illicitum, si ab altero postea ut adigi-

adigitur ad illud implendum, cur non patiatur injuriam? 132
Conſilium quomodo à lege differat? 168
Contingentia ex neceſſitate phyſica vel cauſis naturalibus an poſſint imputari? 248
Contractus quid & quotuplex? 93. 157
Contractus objectum an poſſint eſſe actiones vel res meæ, in quas alteri jam jus eſt quæſitum? 133
Contractus, in quo qualitates expreſſæ vel præſumptæ non apparent, ex quo vitiatur? 105
Contrahere an hoſtes poſſint? 108
Controverſia cum altero cur tertio committenda? 238
Corpori qua noxam aut labem inferunt, cur homo omittere debeat 289
Corpus alterius non ladendum 286. 307
Credere quod quis rem non aliter vult, quam ſe habere novit, non poteſt pœna affici 258
Creditor quando ſciens inſtrumentum falſi debitori reſtituit, quid feciſſe cenſeatur? 136
Creditoribus principum an actio in privata ſubditorum bona competat? 120
Crimen alterius à Magiſtratu interrogatus injuratus fateri debet 320
Culpa quotuplex apud Jctos? 309
Culpa mea licet facultatem præſtandi legem amitto, vis ipſius tamen non expirat 171
Curam ſuiipſius gerere cur homo teneatur 101
Curator qualis perſona moralis? 20

D

Damnum quid? 310
Damnum alteri per delictum datum quomodo penſandum? 306
Damnum alteri mea culpa datum cur reſarciendum? 310
Damnum ab altero paſſus quando ladentem jure ad cautionem

tionem præstandam vi possit adigere 233
Damnum in contractu mihi datum ut alter penset, quando ipsum adigere possim ? 206
Damnum ob fidejussionem acceptum an dici possit pœna. 148
Davidis factum, ob quod populus pestilentia plectebatur, cur & ipsi populo imputandum ? 252
Debita à principibus boni publici gratia contracta an solvere teneantur subditi ? 120
Debita cur societati adhæream, licet omnia membra mutata fuerint ? 183
Debita ex contractu cur potius solvenda quam quæ ex gratitudine 215
Debitor in extrema necessitate constitutus cur teneatur rem debitam Creditori pari necessitate laboranti exhibere ? 288
Debitoris principalis conditio cur apud Rom. melior ipsius fidejussoris ? 147
Debitores qui non sunt solvendo, quando pœnæ solvere faciant ? 128
Decalogi præcepta an sint Leges naturæ ? 175
Decalogi quintum præceptum & sextum quid in se complectantur ? 215
Decreta superiorum quocunque modo innotescant obligant subditos 283
Decretum quod factum non rescindit nec pœnam in transgressorem constituit, Legis titulo venire non potest 188
Decretis propriis an quis immediate obligari possit irrevocabiliter ? 170. 271
Declarationes summi imperii 189
Defensio in statu belli quando incipiat & quousq; à jure naturæ permittatur 295
Defuncti bona quomodo in successione ab intestato in cognatos dividenda ? 43
Defuncti bona vendum in alterum translata vel alienata cui tribuenda 54

Deliberationem circa utile judicium quomodo instituere debeat intellectus ? 259
Delicta quousq; Magistratus punire aut prohibere teneatur ? 118. 174
Delictis iisdem cur non ubique aequalis pœna imponatur ? 186
In delicto quanam observanda ? 206
Delinquenti an societati pœna debeatur ? 206
Demerium quid ? 233
Democratia quid ? 22
Demonstrationes Ethicæ non eruuntur per adeo multa media seu principia complexa 244
Depositum quid ? 158
Depositarius cur amisso deposito deponenti culpam saltem levem præstare teneatur ? 158
Dei libertas qualis ? 14
Dei concessio qua homo rerum dominus factus quomodo se habeat ? 29. 36.
Dei sanctitas & justitia an sint origo Legis naturæ 180
Detertitio quid ? 78
Deum testem in juramento invocare quid sit ? 138
Deus cur non possit esse causa peccati ? 202
Deus quare ratione hominum debitor ? 91. 231
Deus an possit de lege naturæ dispensare 183
Deus quomodo actiones nostras æstimet ? 220
Dido an jure naturæ Æneæ socios hospitio arcere prohibuerit ? 28
Dispensatio quid ? 190
Dissimulationem in purgatorio juramento cur quis adhibere nequeat 130
Dissuasio quid ? 78
Dolor ex alterius pœna in me redundans cur pœna dici nequeat 237
Dolor lædentis an possit esse causa cur ipsi pœna inferatur ? 206. 235
Dominii imperium in servum unde ? 335

Domini promissio servo facta qualis? 90
Dominium quotuplex 24. 63
Dominium eminens ex quo cognoscatur. 26
Dominium hominis in bruta ut & in res reliquas ex quo sit licitum? 29. 30. 36. 37. 38
Dominium in res an possit sibi acquirere, qui easdem possidere nequit? 41
Dominii modus ex quo dependeat? 38
Dominus qui servo extraordinarium promittit præmium neq; tamen solvit, peccat 88
Donatio quid? 43
Donum an sit, quod ex dolo in contractu in me redundat? 159
Dotes quid? 44
Discordiarium seminarium 98
Duella cur Magistratus prohibere possit 167
Duci bellico quando pœna recte remittatur 239
Duci bellico cur licitum subditos alterius præmiis corrumpere & militum loco uti? 299
Dux bellicus qualis persona moralis 20
Dux bellicus quando possit militem probabili mortis periculo exponere? 145
Dux bellicus quando jura belligerantium circa bellum observare teneatur 192
Dux bellicus cur in bello neminem interficere debeat, nisi in justam pœnam? 301
Dux bellicus inferior cui expresse est interdictum ne cum hoste manus conferat, cur non possit recte inscio superiore in bellum descendere? 195

E.

Ebrietas cur fugienda? 289
Ebriosi quibus mens penitus loco mota est, cur nihil contraxisse censeantur? 103
Electio quid? 266

Elec-

Eleemoſyna quid? 43
Embrio ſi dum mater plectitur, vitam amittit vel libertatem an puniatur? 238
Embrioni quocunq; titulo quid tributum ſi eripiatur, an fiat injuria? 8
Emptio Venditio quid? 162
Emptor rei furto erepta an Domino genuino, ad quem eam pertinere noverat, reſtituere teneatur? 26
Erranti via monſtranda 305
Error in quo conſcientia verſatur quotuplex 262
Error circa pacti eſſentiam cur id irritum faciat? 204
Exiſtimatio quid & quotuplex 69
Exiſtimatio alterius cur non minuenda 308
Exſecutionem agentis cur Legiſlatores humani potius reſpiciant, quam intentionem 219
Exteris ex quo littora maris prohiberi poſſint? 31
Exteros pro hoſtibus qua habet civitas an pecet? 69
Extraordinaria non poſſunt imputari 250

F.

Fabulis hoſtem illudere non eſt mendacium 319
Facta paterna filio princeps imputare poteſt 245
Facultas Locomotiva quid? 78
Fœmina cur in bello juſto non occidenda 301. *cur jure naturæ uni ſaltem marito poſſint ſui corporis copiam facere* 331. *per mortem declinantes violationem pudicitiæ an ab Autocheria excuſentur?* 294
Fama alterius cur non ladenda? 308
Familiæ quid? 325
Fata an ſibi quis ob miſerias properare poſſit 293
Feudi amiſſione ſi multatur pater, liberi non puniuntur 237
Fide mutua quomodo ſtent pacta 94
Fideicommiſſa quid? 159. *num inter modos acquirendi lucrativos referri poſſint?* 43

Fidejussio 147
Fidejussor multam *solvens pro altero, an pœnam patiatur?* 336. *an teneatur latroni servare fidem?* 107
Fides cur servanda 309
Filius matri matrimonio jungi non potest 330
Filius innocens delicta patris cur luere non debeat? 245
Filium alterius quando quis castigare possit 307
Finis quid? 76. *an per medios illicitos obtinendus* 78
Furtorum quid & quotuplicia 154. *an pœna universali quid superaddant* 13. *continuo durant, quando summa potestas ejusdem plures uno* 125
Fœtus inanimati animantium cur consumi & usurpari ab homine possint 37
Forma artificialis quando materiam sequatur 48
Fraus quid? 50
Frater an connubio jungi possit sorori jure naturæ? 330
Fruitio quid? 266
Fructus rerum quotuplices? 47
Frugiferæ res in bello non sunt perdendæ 302
Fuga an recte possit pœna declinari? 237
Fundus quid? 60
Fur ex eo, quod sibi res vehementer arrisit, se excusare nequit 249. *si æquali pœna cum homicida afficitur, non patitur injuriam* 241
Furiosi se obligare nequeunt 103. *alienare non possunt* 57
Furor an proprietatem tollat? 56

G.

Gentes cur sanciverint, ut in pace sanciendâ utraq; belligerantium pars exæquetur 109
Gentes cur ob jus in principe aut civitate persequendum læso in subditorum bona manus injicere permiserint 122
Gentes cur licentia bellicæ fortitudinem vestriuxerint 301
Gentes quæ pro derelictis habuerint, cur ab uno aliquo non possint occupari 40

Gentium jus 190
Gratitudo erga parentes unde 83. 129
Gratitudo cur benefactoribus exhibenda 316
Gratitudini quando cedat beneficentia 225

H.

Habitus quid? 79
Habitus vitiosus cur delinquentem non excuset 249
Habitus cur in moralibus maxime attendatur 224
Hæreditas quid 67
Hæreditas quando vim pleni juris obtineat 67
Hæres cur de antecessoris ære teneatur 123
Hæreditates quomodo ab uno in alterum transeant? 43
Homines nasci liberos quo sensu accipiendum 15
Homo cur sibi ipsi obligari nequeat 101
Homo animal sociale 274
Homo cur legibus conformiter possit agere 270
Homo cur suam probitatem coram Deo jactare nequeat 220
Honor quid? 71

I.

Ignorantia quid & quotuplex? 263
Imperare nobis quinam possint 256
Imperium quid & quotuplex 21
Imperium summum civile cur constituendum, quantum esse debeat, & quousq; eidem liceat residere 339. *seqq.*
Impossibilium nulla obligatio 127
Imprudentiorum obligationes an jure naturæ irritæ? 325
Impudicitia uxoris marito est ignominia 325
Imputatio quid & quotuplex 3. 245
Inciatio quid 78
Inclinatio potentiæ physica in objectum in moralibus habet rationem actionis 2
Incendii tempore vicini ædes dejicere licet 288

In-

Indifferentia quid 268
Inducia quid, 137. 109
Infamiam qui irrogare possint 70
Infantes an commentis demulcendi? 320
Injuria quid 207
Instinctus naturalis quisnam superandus 291
Instrumenta pactorum cur in vita civili tantopere attendantur 136
Intellectus quid, ejusq; facultates 257
Intentio quid 265. *ejusdem gradus* 217
Intermissiones nudæ actionum malarum moralium imputari nequeunt 253
Interpretatio quid? 321
Invitum quid 267
Invito domino quando alterius res non usurpandæ 288 309
Invito nihil promittitur 92
Judex in quo ab arbitro differat, 114. *actiones humanas accurate æstimare nequit* 221. *ejus officium in quo consistat* 259
Judicium practicum quid? 232
Juramentum quid & quotuplex 137
Jus quid & quotuplex 66. 190 191. *quantum à lege differat* 170
Jussio quid? 77
Justitia quid & quotuplex 203

L.

Lædens alterum ad quæ teneatur 234. *qualem vim contra seipsum alteri concedat* 73. 298
Læsio fortuito casu facta ab ignorante & invito an possit dici injuria 208
Læsus in civitate si ad jus suum Magistratus auxilio pervenire non potest, an à civibus id postulare possit 121
Latrocinium quid? 14

Latrocinium quid? 14
Latrocinii infestandi exteros consuetudo cur gentibus olim familiaris? 285
Latroni vi injusta me ad pactum compellenti an fides servanda? 107
Legatus qualis persona moralis 20. *cur apud hostes jure naturæ inviolabilis* 192
Legata quid 44. *cur immediate à testatore in legatarium transeant* 114
Leges civiles non sunt pacta 169. *quid respicere debeant* 234. *cur abrogari possint quocunq; tempore* 103
Leges positivæ ex quo suam vim habeant in origine & duratione 182
Legislatoris potestas qualis esse debeat 170. *ex quo cognoscatur, quænam subjecta obligare voluerit* 177
Lex quid & quotuplex 168. 179. *ejus materia* 171. 301. *promulgatio* 177
Lex divina an sit mensura pœnarum 239
Lex naturæ 183. *cur ex parte facta fuerit positiva* 95. 171. 323. *an possit positivis divinis & humanis adversari* 172
Liberi, si amissione feudi pater ob delictum multatur, non puniuntur 237
Liberorum jus in bona parentum adhuc viventium quale 42
Liberorum reverentia in parentes quando cesset 83
Libertas quid & quotuplex 14. 17. 63. 268
Libertas commerciorum utrum sit ex jure naturæ nec ne?
Libertas naturalis an legibus tollatur 179. 22
Licita quænam esse dicantur 195. 303
Lictor qualis persona moralis 19
Littora maris ex quo exteris prohiberi possint 31
Locatio Conductio 162
Locomotiva facultas quid 78. *an voluntati pareat* 268
Lotharia quid 167
Lucrum ex dolo in contractu non est donum 159

Lucra

Lucra quo respectu in civitate distribuenda 164

M.

Magistratus quid 19. *quousq; delicta prohibere teneatur* 118. *quousq; ad pœnam sumendam teneatur* 242. *quomodo in se derivet obligationem civium* 121. 148. *an possit ea permittere, quæ sunt contra jus naturæ* 174. *an pœnæ humanæ possit subjici* 237
Majestas ex quo melioris conditionis ac alii homines 396 *an possit legibus divinis contraria præcipere* 187. *an potestatem habeat vitam subditi in periculum mortis pro salute publica exponendi* 144
Malefico cur non deferri soleat juramentum purgatorium 137
Malitia moralis quid 199. *est instar anguli rectilinei* 211
Mala citra præcedens demeritum non possunt imputari 245
Mala actio quid 199
Malum summum quid 77
Malus vir quis 79
Mandatarius cur sumptus ex mandati præscripto impensos repetere possit 158
Mandatarii gestis quando quis tertio obligatur 112
Mandatum quid & quotuplex 158
Mare an proprietatis capax 29. *ejus littora ex quo exteris prohiberi possint* 31
Mares cur aliorum thalamis non insultent 308
Maritus quale jus iis corpus uxoris habeat 325. *cur uxoris impudicitia ei ignominia* 325. *cum propria uxore adulterium committere potest* 262
Mater an habeat imperium in sobolem 307
Materia quando formam artificialem sequatur 48
Matrimonium quid 325. *in quo consistat & cur non possit dissolvi* 84. *quando hominibus jus naturæ præcipiat?* 292. 326. *in linea adscendente & descendente jure na-*

natura prohibitum 330
Matronæ in bello non sunt stupranda 302
Membra citra totius corporis salutem non sunt mutilanda 290
Medium quid 78
Mendacium quid & quotuplex 318
Mentis actus non sunt Legum civilium objectum 187
Mercator quo titulo rem faciat 45. *cur in justo bello non occidendus* 301. *an recte possit merces, quarum usum mox à Magistratu interdicendum scit, vendere* 162
Merces quid? 232. *an pro præstita opera turpi sit solvenda?* 131
Merces in ditione mea natas aut factas exportare an jure natura permittere tenear 286
Meritum quid 231. *an insit actioni bonæ formaliter tali* 212
Metempsychosin cur finxerit Pythagoras 37
Miles ob gallinæ raptum capite plecti quando jure possit 207. *quando probabili mortis periculo possit exponi* 144
Minorennes in iis, quæ ipsis sunt oneri, se obligare nequeunt 104
Miserias ingentes ut quis declinet, fata sibi properare non potest 292
Molendina alata & navalia an inter res mobiles referenda? 60
Monarchia quid? 22
Monarcharum pactis imprudentioribus subditi obligantur 117
Motus physicus in moralibus quid? 290
Mors sibimet ipsi non inferenda 228
Mortem ad perferendam an quis se obligare possit? 102
Mutilantes semetipsos plectendi 157
Mutuum quid?

Na-

N.

Natura cur actus & membra genitalia infirmâ verecundiâ muniverit? 329
Naufragorum bona an sint ullius 59
Negligentiâ contracta imputari possunt 250
Nihilo datur minus 35
Numi quid 75

O.

Objectum unde dicatur morale? 5
Obligatio quid & quotuplex 80
Oblivione legis nemo obligatione solvitur 176
Obses firmandis pactis publicis datur 142
Obvium via factum quando vacidere possum 287
Occanus an dominium suius populi agnoscere possit 32
Occasio quid 77
Occidendi ne facultas, an quis se possit obligare 128
Occultatione cur quis pœnam recte declinare possit 165
Occupatio modus acquirendi originarius 40
Officium quid 17
Opera nostra quomodo æstimanda 165
Opifices in justo bello non occidendi 301
Opinionem singularem circa rem quampiam fovens, quando pœnâ afficiendus 258

P.

Pactificationes quid 156. cur partes in iisdem pro æqualibus quantum ad justitiam habeantur 304. Pactum quid 11. 93. quotuplex 154. quomodo à lege differat 169. cur posterius per prius reddatur invalidum 134. cur servandum 310. quibus unam confirmetur 135

Pa-

Patris imperium in liberos 332. *promiſſio filiæ facta qualis* 90. *ſi uni plus donat quam alteri non peccat in Legem naturæ* 42

Parentes ad quæ perfecte exhibenda liberis obligentur 42. *an liberorum cauſa omnia acquirant* 58. *prolem ſi projiciunt an quid poteſtatis habere in eam poſſint* 334

Paſſio ſæpe eſt actio moralis 3

Pax quid & quotuplex 11. 295. *quamdiu ſervanda* 295. *ejus mediatoribus ſervanda fides* 303

Peccatum quid 199. *quæ in ſe complectatur* 233

Peccator cui Deus peccatum remiſit an poſſit à Magiſtratu plecti 246

Pecunia quid 75. *an ſit res ſterilis* 164

Peregrinus quid 17. *quando de actibus ſocietatis eo tempore, quo in ea verſatur, contractis tenetur* 115

Permutatio quid 161

Perſona moralis quid & quotuplex 19

Perſonæ cur in pœnis infligendis habenda ratio 241

Perſuaſio quid? 78

Permiſſiones LL. civilium 174. 189

Pignora quid & quotuplicia 141

Pœna quotuplex 206. *quomodo imponenda* 236. *delinquenti an ſocietati debeatur* 206. *cur à tertio commodiſſime determinetur* 238

Populus abſolute ſe Regi ſubjiciens an citra peccatum poſſit formam Reip. quæ commodior videtur arripere 150

Potentia quotuplex 5

Poteſtas quid & quotuplex 61. 194

Poteſtas ſummæ cur conſtituenda 338

Poſſeſſio quid & quotuplex 34

Poſſeſſor rei alienæ quando conveniendus 53

Præda ad quos militantium ſpectet? 45

Præmium quid & quotuplex 43. 232

Præſcriptiones quid & cur introductæ 51

Prætenſiones quid? 67

Pretium quid & quotuplex 72

Primogenito cur cedat patris dignitas hæreditaria indivisibilis 307
Princeps an cum subdito circa imperium summum contrahere possit 86. *quando ex delicto subditi reatus quid in se contrahat* 118. *an pœnæ humanæ possit subjici* 237
Privatio sæpe est actio 2
Probatio facti unde instituenda 193
Proæresis quid in moralibus 3. 265
Prohibitio delictorum ex parte imperantis quousq; extendenda 118
Promissio quid & quotuplex 88
Propinqui nostris cur & quando potius benefaciendum ac aliis 226
Propium quid? 25
Pudicitia invitæ non est violanda 308
Pudicitiæ servandæ gratia fœminæ violentas manus sibi inferentes an ab Amochevia excusentur 294
Pueri cur in bello justo non interficiendi 301
Pupillis cur LL. civiles curatores constituerint 57
Pythagoras cur finxerit Meten psychosin 37. *scite definit Deum per sphæram* 212

Q.

Quæstiones juris 314
Qualitates rerum in contractu quanam indicandæ 161
Quantitas actionum moralium 210

R.

Rebellio quid? 13
Ratio practica quid & cur summa diligentia excolenda 259
Rationis rectæ dictamen quid & ex quo obliget? 141. 283
Rationis usum quæ debilitant cur homo intermittere debeat 289
Rarum quid 72
Religionem falsam qui violat, quam pro vera habet, peccat 262
Religionis circa negotium quousq; Magistratus vim adhibere possit in subditos 258
Religiosis cur in bello non manus admovenda 302
Reluctatio interpretativa 268
Renunciationes quid 273
Represaliarum jus unde derivandum 123. *cur non temere in subditorum innocentium bona usurpandum* 302
Res moralis quid & quotuplex 23. 25
Res sacræ quo censu habendæ 27
Res pro derelictis haberi unde præsumatur 40
Reservationes mentis circa juramentum non excusant à perjurio 141
Restrictiones imperiorum quales esse debeant 64
Rex invito populo regnum alienare an proli nondum natæ nocere possit 10
Reo an judex injuriam faciat, si ex ipso callide veritatem eruit 310
Reus an seipsum accusare vel deferre teneatur 130
Reverentia liberorum in parentes quando cesset 86
Rumoribus falsis hostem illudere non est mendacium 318

S.

*S*Alutem meam quibuſcunqꝫ modis defendere quando conceſſum 295
Sanctitas Dei an ſit origo Legis naturæ 180
Sanctus inter homines quis dicatur 181
Scelus aliorum fraudi non poteſt eſſe tertio 99
Scelus minimum committens quando extrema pœnã poſſit affici 239
Scripto cur pacta pl rumqꝫ comprehendantur 136
Securitati meæ quomodo proſpiciendum, ſi vita hominum non eſſet ſocialis 276
Seditio quid? 13
Semen informe ut intra primos conceptionis dies elidatur qui agit, an ſit in id injurius 9
Senibus cur leges civiles Curatores conſtituant 57
Senſus interni & externi an voluntatis directioni ſubjecti 269
Sermone ambiguo quando & quomodo alterum illudere liceat 339
Servile ingenium an neceſſario in ſervitutem abſtrahendum 337
Servitus quid 14. quot modis introducatur 15
Servos dari natura quomodo capiendum 16
Signa voluntatem hominis exprimentia quotuplicia 135
Societas quid? 21. quotuplex 323. eſt contractus 164. quando mutetur 28
Socialis vitæ conſervatio eſt lex fundamentalis Legis naturæ 284. 304
Solicitationibus qui abhorrentem à ſcelere corripit, ad quæ teneatur 138
Sors quotuplex 306
Spatium quid 7. an ſit res immobilis 59
Sponſiones quid 154. cur Magiſtratus interdicere poſſit 306

Spontaneitas ejusdemq; actus 265
Status moralis quid & quotuplex 7
Stipulationes juri meo subjecto factæ quo sensu dicantur inutiles 88
Stuprum in templo committere fœdius quam in caupona 224
Subditus quando imperantis jussis recusandi potestatem habeat 64. *ne circa religionem quid proponat, à Magistratu sub pœnæ commination constituere potest* 258. *an teneatur mortis periculum pro salute publica jussu Magistratus obire* 144. *statim atq; ipsi Legislatoris voluntas circa agenda vel omittenda innotuit, obligatur* 176
Subjectio quid & quotuplex 82
Suffragia plurium in societate, quæ per plures administratur, vim universorum habent 117
Summum bonum 77
Supplices in bello justo non interficiendi 301
Suasio 78
Syndicus nomine populi quod agit ipsi populo, à quo constitutus est, imputatur 252

T.

TAlio quando ex jure gentium recte inferatur 143
non est mensura pœnarum 240
Templis in bello non temere manus admovendæ 302
Testamentorum effectus 61
Testator de bonis quæ diminuto habendi modo possidet in fraudem ejus, qui prius jus habet aut eminentius, disponere nequit 56
Testatore vivo an hæredi jus competat in ipsius bona 67
Thesaurum inventum quando quis retinere possit 44
Titulus quid & quotuplex 61

Tormenta quæ reo admoventur quo loco habenda 130
Tormenta quousq; circa religionis negotium adhibenda 258
Transitus innoxium quando concedendus 29. 305
Tutelæ quid 158
Tutores cur minorennibus constituantur 131
Tyrannus an possit in ordinem redigi à populo? 345

V.

VAs ad pœnam pro reo subeundam se obligare usquit 148
Vegetabilia cur homo usurpare & consumere possit 36
Venditor quando rem emptori tradere teneatur 162
Veniam cur facilius consequatur qui prima vice deliquit quam qui sæpius 225
Veniam imputationis cui Deus per remissionem peccatorum facit, an Magistratus politicus plectere possit 246
Venus irregularis fugienda 289. 340
Verba impudica an se habeant ad adulterium instar gradus 216
Verbis cur alter non decipiendus 111
Verba quo sensu valeant 320
Verecundia cur insit membris procreationi destinatis 329
Viæ publicæ quando exteris prohibendæ? 28
Vicarius qualis persona moralis? 20
Vicinus an possit areæ meæ imminentem structuram excitare 60
Victor an obligationes ad hostem pertinentes possit tollere 151
Victo ex quo victor imponere possit quicquid libitum 166
Vis quid 50. *in quem finem adhibenda* 295
Vis externa an possit voluntatem cogere 269
Vi injusta qui mo ad paciscendum adegit an fides servanda? 107
Vir bonus quid 79. *ejus laus in quo consistat* 185

Vir-

Virtus moralis quid 79
Virginem pactione matrimonii ad concubitum pellicius ducere eam tenetur 132
Virgines in ſui pudoris defloratione ne conſentiant 308
Virgines in bello non ſtuprandæ 302
Vita humana quid &. ſine ſocietate indigens 274
Vitam alterius lædere quando licitum 286
Vitæ commoda an dominio magis quam mutua opera juventur 277
Vitioſe moraliter an quis ſe obligare poſſit? 106
Vitium morale quid 79
Vitium rerum de quibus contrahitur indicandum 160
Vitium rei ſpurio modo acquiſitæ an elapſo tempore expiret? 51
Volenti an fiat injuria? 209
Voluntas quid ejuſq; facultates 265. *an poſſit cogi* 269. *in quas hominis facultates imperium gerat* 268. *cur ſe poſſit obligare* 271
Voluntas alterius, ex quo poteſtas agendi noſtra dependet, quomodo præſumenda? 196
Voluntatis mutatio quando facta cenſeatur 271
Vota quid & quando ea valide poſſint ſuſcipi 111
Vota jurata bonum aliquod morale majus impedientia ſunt irrita 139
Vota meæ poteſtati ſubjectorum quando valida 196
Vſucapiones quid & cur introductæ 51
Vſura quid 163
Vſura pecuniarum in fœnore locatarum quomodo acquiratur 45
Vſus 266
Vſusfructus 65
Vſus rerum ex quo definiatur 72
Utilitas juris mater 186
Utilitatis innoxiæ res 28
Vulnera qui accipit in pugna vetita de injuria queri nequit

Vxor cum proprio marito adulterium commissere potest 189. circa quas res mariti voluntatem sequi tenetur 326
Vxoris impudicitia marito ignominia 329
Vxori & liberis satisfacere tenetur de damno ex vade accepto, qui alterum in duello occidit 167

Z.

ZEdechiæ Regis Israelitarum perjurium cur & ipsi populo imputandum 352

FINIS.

MVSEVM BRITAN NICVM

Enc

nd